



En damus tibi christianissime lector, Commentaria Bibliorum et illa brevia quidem ac catholica, eruditissimi simul ac pijssimi uiri Chuonradi Pellicani Rubeaquensis, qui & Vulgatam commentarijs inseruit aeditionem, sed ad Hebraicam lectionem accurate emendatam. Habes autem in hoc opere quicquid syncerae theologiae est. Ideoque si sapis ex ipso potius Sacrorum fonte, quàm riuulis Religionem ueram imbibe.

<https://hdl.handle.net/1874/400000>

COMMENTARIUM

IN ACTA APOSTOLORUM SE-

MONEM LUCAE EVANGELISTAE SECVN-

dum, Chuonradi Pellicani Rubeaquentis,



POSTOLICORVM Actorum illustris ac necessarius li-
ber, primordia apostolicæ ecclesiæ continens, non omnium a-
postolorum acta, sed quædam Petri, multa autem Pauli com-
plectitur, utilissima tum uerba doctrinæq; in primis, tum ge-
sta & exempla, ne extra duodecim apostolorum numerum as-
sumpti ad apostolatam à Christo iam regnante autoritas ne-
gligatur, aut uilis putetur. Cuius in orbe Christiano celebris et sanctissimus fru-
ctus ignorari non debuit, qui non minus sed amplius cæteris laborasse cogno-
scitur. Quamquam & cæteros omnes apostolos certissimum est perquam dili-
gētissime laborasse, & apostolatum suorum officia magnopere orbis totius con-
uersione reddidisse conspicua. Quandoquidem liquet in omnem terram exi-
uisse sonum Euangelicæ prædicationis ipsorum. Quorum temporibus latissi-
me peruasit Christi Euangelium ad extremas quasq; orbis nationes & climata,
nempe Romam, Hispaniam, Germaniam, Galliam, Indiam, Aethiopiam, A-
gyptum & Africam, non sine apostolorum & discipulorum suorum ingenti
labore & studio, domino cooperante, & sermones ipsorum confirmante sequen-
tibus signis. Quorum singulorum gesta profectusq; si tam diligenter fuissent
conscripta, ut hoc libro per Lucam cernimus facta Pauli, multa Christi domi-
ni magnalia nota certius forent, quæ nunc apocryphorum scripturis obscurio-
ra leguntur & incerta. Quæ uero hic leguntur, grauissimæ autoritatis sunt, &
habeantur, & ad salutarem orthodoxam doctrinam maxime necessaria, non a-
lio spiritu dictata quam sacrosancta reliqua Euangelia: siquidem & Christi uir-
tute peracta sunt omnia apostolorum opera, & spiritu sancto inspirati apostoli
docuerunt, quæ hoc libro tractantur firmissima Christianæ fidei dogmata. De-
scribitur hoc uolumine Christus dominus iam exaltatus in cœleste regnū, cla-
rissimus triumphus peractus non tantum Christi in cœlum scandentis, & con-
sidentis ad gloriam patris, sed apostolorum omnium de multis gentibus illu-
stris uictoria, qua eliminatis erroribus & sacrilegis cultibus dæmoniorū, Chri-
sti Euangelium & uniuersale perpetuumq; regnum peruasit orbē uniuersum
terrarum: ut iam intelligi clarissime detur Christi domini gloriosa diuinitas, cu-
ius humilis humanitas tam est indigne tractata à Iudæis, pro quorum salute ue-
nerat, factis sermonibusq; sese animarum illis redemptorem exhibuerat, sese
ostenderat diuinitatis uirtute omnipotentem, in uita pariter ac in morte. Quin
& ascendens in cœlum, spiritum sanctum suum misit apostolis supernaturali
illustratione donandis, linguis ad Euangelizandū, uirtute ad patrandum glo-
riosa miracula per nomen Christi domini crucifixi. Docent propheta passim
Messiæ regnum uniuersale & æternum, quod nisi diuinum esse non possit. Do-
cent diffundendum in orbem terrarum fidei certitudinem ac sanctimoniam, ut
omnes uno humero dominum colant, & fiant à deo docti, Gentes saluandas,
& Israelitico sancto populo coadunandas in unitatem fidei & charitatis, non

solum Iudæorum reliquias, sed gentiliū populos Christo obedituros. Vnde & iam perfecta ostendūtur hoc libro, quæ prophetarum oraculis promissa leguntur. Euangelicæ quoque doctrinæ fundamenta locantur hoc in uolumine apostolicis multis sermonibus. Huius ergo libri author & scriptor est Lucas Euangelista ex Antiochia Syriæ, cuius per omnes ecclesias apostolorum temporibus laus uigebat, medicinæ artis tam corporalis quàm spiritalis professor egregius, & Pauli apostoli comes indiuiduus, spiritu sancto plenus. Qui postea in Achaia partibus cum Paulo Euangelistam prædicans, illud ipsum quoque literis commendasset, plurima supplens de incarnationis uerbi historia ab alijs prætermissa libro primo, apostolorum quoque Petri & Pauli acta hoc secundo libro aggressus est scribere stilo erudito & simplici, propter quod & coniungendus priori potius uidetur quàm ut interposito Ioannis Euangelio dirimatur, quod uoluit ex prima libri huius sententia continuatum priori. Quandoquidem & hic liber pars est doctrinæ Euangelicæ non ignobilis. Complecti Euangelicam historiam uoluit duobus uoluminibus, quorum utrunque ad eundem scripsit Theophilum, & posterius auspicans, prioris facit mentionem, in quo describitur gratum frumēti solo conditum, quomodo enatum suas paulatim opes protulerit. Quod nisi per hunc Lucam cognouissemus, quibus modis Christus terras reliquerit, ubi & quo loco, quibus modis aduenerit promissus ille spiritus, quibus inchoata ecclesia cœperit, quibus rebus polluerit, quibus creuerit rationibus, nonne bonam Euangelij partem ignorassemus? Hoc ergo maiore studio conuenit, ut Christiani suæ gentis exordia cognoscere studeant, quo postea cognitum habuerint quibus rebus adoleuerit ecclesia, huiusdem intelligant iam collapsam posse tutius instaurari.

CAPVT PRIMVM.

A



PRIMUM quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere usque in diem qua præcipiens apostolis per spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.

Sermonem priorem haud dubie librum Euangelicum uocat, in quo complexus est Iesu Christi uitam & doctrinam, altius rem exorsus quàm cæteri, nimirum à conceptione Ioannis Baptistæ, qui domini præcursor fuit, de quo Christi domini cœceptio ne natiuitate & pueritia quædam attingens. Verum non dixit se omnia adnotasse, sed de omnibus, nimirum ordinem ac seriem indicans rerum, potius quàm nihil esse prætermissum. Alioquin dissentiret à Ioanne, qui negat mundum fore causam pacem uoluminum, si singula quæ dominus dixit ac fecit scriberentur. Siue autem Lucas habuerit amicum quendam Theophili nomine dictum, siue hoc uocabulum generaliter pro quouis dei amico usurpet, certe hoc libro uoluit non tam unum quàm plures homines diuinæ rerum studiosos, de rebus necessarijs ad salutem docere. Quamquam autem dubium non est, quin tota Iesu uita fuerit unicum exemplar absolutæ pietatis, tamen obmissis his quæ in medio gesta sunt, transiit ad Ioannis baptismum conscribendum; ab eo enim tempore potissimum dominus Iesus cœpit agere negotium salutis humanæ. Huius autem negotij summa duabus in rebus consistit, In factis, hoc est in ædendis miraculis, in toleran-

do

do supplicio crucis, in resurrectione, in quibus nihil est exhibitum per illum quod non uel in lege fuerat adumbratum uel à prophetis promissum. Tū in dictis, quibus orbi tradidit nouam & Euangelicam philosophiā, ut ab eodem peteremus animarum nostrarum salutē, rationē quoque & exemplum pię uiuendī. Harum omnium rerum seriē prosequutus est Lucas in suo priorī libro, ad eū usque diem quo posteaque rediuitus à morte, præceperat duodecim apostolis suis, reliquisque septuaginta discipulis, quos ante mortem peculiariter in hoc munus delegerat, ut accepto postea spiritu sancto, quem & tum illis insufflans in faciem eorum, impartiret, & post copiosius è cœlo miseret, abirent in orbem uniuersum, ac prædicarent Euangelium, non Iudæis tantum, uerumetiam cunctis mundi nationibus, iuxta prophetarum prædictiones multiplices receptus est in cœlum unde uenerat, quibus & præbuit seipsum uiuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno dei.

Modis omnibus confirmanda primū erat eorum fides, per quos decreuerat admirabilium gestorum fidem fieri cunctis mortalibus. Horum caput erat, ut persuaderetur omnibus, Iesum Christum uere mortuum pro mundi salute, uere reuixisse tertio die, non imaginario corpore uel spirituali, sed eodem illo, iam tamen glorificato & immortalī, quod mortale gesserat in terris, quod exanime conditum fuerat in sepulchro. Proinde non satis habuit, semel exhibere se rediuitum discipulis suis, sed frequenter illis apparuit per quadraginta dies, hac de causa commemoratus in terris. Nisi enim resurrectio Christi certo constet, nihil constabit in Christiana religione. Si Christus non resurrexit, inquit Paulus, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides uestra &c. Et si Christus non resurrexit, nec mortui resurgent, & qui obdormierunt in Christo, perierunt. Si denique Christus non resurrexit, profecto nec ascendit in cœlum, nec sedet ad dexteram patris, nec misit spiritum sanctum, nec regnum eius porrigitur per totum mundum. Ad hanc igitur declarandam resurrectionem Christus per quadraginta dies multis apparitionum argumentis usus est, ut patet ex Euangelistis & Paulo, sic ut etiā plusquam quingentis fratribus simul apparuerit in monte Galilææ, ubi illis Christus constituerat locum, dicente angelo: Ecce præcedet uos in Galilæam, illic eum uidebitis. Visus est & Iacobo: postremo discipulis in monte Oliueti, unde in cœlum assumptus est. Variè ergo sese discipulis reuelauit, ostendens eis manus, pedes, latus, iussitque contrectari quo certi essent se non spectrum quoddam uidere. Aliquando etiam unā cum ipsis uescebatur. Semper autem cum ipsis loquutus est de regno dei, ut eiusdem rationē plene intelligerent, ne carnale & mundanum arbitrentur futurum, sed spirituale, æternum, uniuersale, & diuinum. Vnde & scripturas explicauit illis propheticas, de Messia præscriptas & regno cœlorum cum lege & Psalmis, asserens sibi datam esse potestatem in cœlo & in terra super omnes creaturas, quam non sit administraturus carnali brachio ac ciuili potentia pro more regum huius sæculi, sed peccatorum remissione donanda, donis spiritus sancti confirmando fideles, consolando consciētias signis & miraculis, dum opus fuerit opprimendo impios, subleuando credentes & pios, animas saluando, uiuificando in uitam beatam ac æternam in cœlestibus. Hæc est, inquam, spiritualis maiestas, qua Christus regnum suum occupat in homines, & administrat in sua, quæ est electorum ecclesia, cui etiam subiecti sunt quamlibet impij. Fide autem huic regno inserimur in Christum, quem regem fateri et sentire coguntur tam tyranni quam sancti.

Et conuescens, præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed ex *Lucæ 24.8*

pectarent promissionem patris. Quam audistis, inquit, per os meum:

Nō autē conspicuus apparere uoluit Christus illis diebus, nisi suis. Atq; his non solū præbuit sese conspiciendū oculis, audiendū auribus, contrectandum manibus, uerū etiam familiariter cum illis uiuens, cibū unā cepit, quo nō aliud uiui corporis certius indicium. Interim miscuit frequenter cum illis colloquium de regno dei, reuocans illis in memoriā quæ gesserat ac docuerat ante mortem; ut tandē agnoscerent, nihil non euenisse quod ille prædixerat euenturum sibi, simul monens quid in posterum essent uel facturi uel expectaturi. Quanc̄ enim illis iam tradiderat authoritatē Euangelij prædicandi, tamē uetuit, ne mox profilirent ad tam ardui muneris functionē, nec discederent ab Hierosolymis, sed illic congregati, simul uacantes ieiunijs, hymnis, & precationibus, expectarent spiritū sanctum, quē anteq̄ moreretur promiserat illis alterū consolatorē à patre mittendū. Ego, inquit, pollicitus sum ore meo, nec addubitate quin pater bona fide præstaturus sit quod illius nomine promisi. Eadem est enim patris & mea uoluntas. Spiritū, inquam, paraclētū quē mittet pater nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis. Ille testimoniū perhibebit de me, & ducet uos in omnem ueritatem. Huiusmodi promissiones Christi erant de spiritu sancto mittendo, de quo sequitur,

quia Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autē baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies.

Ioannes quidem baptizauit aqua, simili baptismo quo postea apostoli baptizarunt, et quo utitur usq; hodie ecclesia: baptizauit em̄ in nomen domini Iesu, quē prædicauit Christū esse, & agnū dei tollentē peccata mundi. Cui si quis crederet, in filiū scilicet, uitā haberet æternā, & remissionē acciperet peccatorum per fidem in Christū. Sicq; signis huiusmodi & exhortationibus promouebantur homines ad pœnitentiā priorum delictorū, & ad credendū Christo, qui prædicabatur futurus. Nō ergo suo nomine Ioannes baptizabat, sed Christi domini. Qui ergo baptismū illud ex fide susceperunt, consequuti sunt spiritum sanctum, Christo & patre deo authore, non Ioanne, qui minister tantū erat ablutio- nis & doctrine ac uerborū: seruus Ioannes erat, Christus dñs; salutis cooperari- us, minister et prædicator erat Ioannes, Christus uero saluator ipse. Vnde cum dicit Ioannes: Ego quidem baptizo uos aqua, ueniet autem fortior post me, qui baptizabit uos spiritu sancto & igni, nihil aliud significat q̄, Ego quidē salutis uestræ præco sum & minister, alius post me reuelabitur, qui salutis erit author ac magister, Iesus ipse Christus, is est qui salutis dona largitur, qui incrementum dat spiritus, qui saluat animas, & uiuificat gratia & influxu diuini spiritus, quē ego nō largior, sed ille. Quod autē ipse Christus author salutis sit, declarabitur celeberrimo signo, quando mittet de cœlestibus ignem, formis linguarū in die pentecostes, quo tunc alio baptismo donando admirādis donis pluribus & magnificis spiritū sanctum mittet discipulis. De quo baptismo hic Christus loquitur, dicens: Quandoquidē posthac cœleste negotiū aggressuri estis prædicandi Euangelicam in toto mūdo doctrinā, non mediocris oborietur uobis ob id persequutio. Proinde opus est, ut uirtute cœlitus donanda à me cōfirmemini multo fortius q̄ spiritu illo accepto nuper baptismate Ioannis & aquæ. Vt autē pater sitis tanto negotio, id non humanis uiribus fiet, sed præsidio diuini spiritus singulari. Hactenus tantū prælusum uideri potest rudimentis illis carnalibus. Ioannes aqua baptizauit quidē, sed huiusmodi spiritū dare non potuit, nec tan- tum

Matth. 3. c
Marc. 1. d
Luca 3. c
Ioan. 1. d
Infra 2. a
21. 6. 19. d

tum fortitudinis & illustrationis donū. Prædixit autē tale suo tempore dādum à Christo, ad quē præparauit uos, & alios suos discipulos, ad pœnitentiā exhortando, quia in ianuis esset cœlorū regnū, instituendū per Christū dominū. Noua uobis doctrina est opus nouoq; spiritu eoq; copioso cœlesti & igneo, eo uos baptizabimini post paucos dies. Hic baptismus igneus est, quem Ioannes dare non potuit, sed à me dandū prædixit. Siquidē de me ferens testimoniū, aiebat: Ille uos baptizabit in spiritu & igni. Huic uenturo tam copioso spiritui præparate animos uestros sobrietate, pijs uotis, simplici certaq; fiducia, quo sitis organa commoda per uos uim suam explicaturi spiritus.

Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel:

Nondū illi deposuerant somniū illud de proferendo regno Israelitico, ideo dominū percontātur, ueluti mox abiturū, an protinus à missō spiritu sancto restitutus esset regnū populo Israelitico, & an statim esset exhibiturus orbi maiestatem suam. Nondū enim intelligebant cuiusmodi futurū esset regnum illud spirituale. Petrus in monte cupiebat constitui regnū. Cæteri quoq; audientes de resurrectione Christi mentionē, statim seiscitabantur de regno. Hic rursus audito sermone de mittendo spiritu, redit illis in mentem regnū: sperabant em̄ fore, ut orbis totius imperiū transferretur in populū Iudæorū. Et omnino futurū erat, ut regnaret Christus de tribu Iuda filius Dauid in toto orbe, sed & Israelitae in spiritu & fide domini fierent orbis in Christo, nō suis iustitijs uel meritis nec uiribus, sed gratia & fide. Vbi sibi quisquā diffidens, fidere cœperit Euangelicis promissis Christi, iam iustus constituitur & amicus deo, necessario misericordiā consequutus. Hoc regnū spiritus ubiq; collapsum præcipue apud Iudæos, qui operibus legis sese iustificandos credebant, & meritis operum saluandos, restituit Christus in orbē per Euangeliū. Hoc nō intelligentes discipuli, felicitatem quandā mundanā somniabant, quæ eos liberaret ab omnibus malorū persecutionibus: quod ante finē mundi nulli hominū etiā fidelibus non contingeret. Hanc autē discipulorū ruditatē curiositatē uel timiditatē Christus non abiicit, ut alios sibi deligat aptiores. Ut quidam morosi & difficiles facere solēt, ut non uitia propter amicos tolerant, sed amicos propter uitia reiiciant & derelinquant. Christus autem qui uenit ad seruandos non ad perdendos homines, ueram æquitatis regulam in discipulis seruat.

Dixit autē eis: Non est uestrū nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua ipsius potestate: sed accipietis uirtutē superueniētis spiritus sancti in uos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usq; ad ultimum terræ.

Dominus Iesus nec reiicit tardiores discipulos, nec uitia eorū arguit, sed ad salutem plenius erudit. Tempus autē illud dñs ideo uolebat suis incognitū esse, quia nō expediebat illos scire. Proinde inutilem illorū curiositatē tali responsoretudit: Nolite quærere quod non expedit scire, tantū fidite, & quod mandatum est peragite. Vos huius rei nihil aliud eritis q̄ ministri, progressum & exitum permittite patri cœlesti. Non igitur uestrū est nosse quo anno, quo mense, qua hora uenturū sit regnum Israeliticū, qualia scrutantur Astrologi stulte curiosi. Quicquid pater uoluit uos scire hoc uobis impartij: tēpus illud uobis non aperui, quia pater eius arbitrium unī sibi seruauit, quo semper uigiletis in officio. Veniet omnino regnū dei, quo pijs et impijs sua pro factis præmia tribuen-

tur, in cuius aduentum oportet semper esse paratos. Quamquam & interim exeret se regnum spirituale, in quo asserendo deus uestram requirit operam, de praemijs ipse uiderit. Proinde omisso studio cognoscendi quae non oportet, parate uos ad id quod instat. Cui rei quonia ex uestris uiribus impares estis, spiritus sanctus ita ut sum pollicitus coelitus effundetur in uos, robur animis uestris additurus, & quicquid uos docui reuocaturus in memoriam, suggesturus etiam si quid praeterea fuerit opus cognitu: cuius suggestione docti, praesidioque roborati, eritis mihi testes, primum Hierosolymis, iuxta prophetam qui dicit: De Sion exibit lex, et uerbum domini de Ierusalem, mox per omnem Iudaeam, deinde per Iudaeam finitima Samariam, postremo per uniuersas orbis nationes, quaecumque gentes humanae terram incolunt. Omnibus enim ex aequo ueni, omnibus mortuus sum, omnibus offertur Euangelij gratia. Regnauit haec lex & ueritas apud Iudaeos, Euangelij autem regnum tam late patere uult pater quam late patet terrarum orbis. Quibus paucis uerbis explicat Christus, quibus uiribus, quo exercitu, quo genere expugnandi apostoli debellaturi sint orbem, & subiecturi obsequio Christi. Vnde quoque cognosci licet quale sit Christi regnum. Accipietis, inquit, uirtutem spirituales & caelestem exercitum, mittam uobis dona sancti spiritus, loquemini uarijs linguis, & detis miracula, omnem ueritatem cognoscetis, animum habebitis infractum in omnibus aduersis.

Et cum haec dixisset, uidentibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

LUC 24. 5

Discimus hinc articulum orthodoxae fidei de credenda domini Iesu Christi ascensione, qui habet: Ascendit in caelum, sedet ad dexteram patris. Eduxit enim discipulos suos Christus post resurrectionem suam quadragesimo die foras Ierusalem in Bethaniam, & sublati in altum manibus benedixit eis. Et factum est, cum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in caelum. Haec Lucas in Euangelio. Sic Marcus: Posteaque, inquit, loquutus fuisset eis, receptus est in caelum, & consedit a dextris dei. Ioannes Euangelista refert, dixisse Christum Mariae Magdalene: Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, deum meum & deum uestrum. Et Petrus dicebat: Dextera dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta a patre effudit hoc quod nunc uidentis. Ad Ephe. quoque Paulus: Ascendit, inquit, super omnes caelos, ut omnia impleteret. Dauid quoque praedixerat de Christo: Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et alibi: Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Haec autem ascensionem domini aliter scripturis edocti non intelligimus factam quam ut Christus dominus quod sepultum, quodque per resurrectionem immortalitate donatum est & clarificatum, post aliquantum temporis sustulit cum anima felicissima, utraque deitati unita, a qua nunc deserta sunt uel deserentur, in & super omnes caelos in beatitudinis maxime statum, quae ei conuenit in gloria patris, ut illi omne genu curuetur caelestium terrestrium & inferorum, ad locum paratum omnibus sanctis anima cum eo ascendisse creduntur, ubi & speculum sit felicitatis aeternae omnibus sanctis animabus & angelis. Nec tamen sine diuinitate uerbi, cui humanitas est unita in unitatem personae, ascendit: quae tamen diuinitas nusquam loco circumscripta uel tenetur, sed ubique adest, operatur, & uiuificat uita spirituali, & suo modo, hoc est perenniter & solide & iuxta intellectuam animam substantiali, quando

do in ea uiuimus, mouemur, & sumus. Cui soli intime proprieq; conuenit im-
 mensitas: & iuxta substantiã ubiq; esse nulli potest competere creaturæ. Cum
 itaq; tam anima Christi q̄ corpus creaturæ sint, & partes substantiæ humanæ
 uerbo unitæ, ubiq; esse non possunt, ut est ipsa diuinitas, quæ licet sibi humani
 ratem istam assumpserit, humanæ tamen naturæ proprietates non abstulit, sed
 similes nostris esse uoluit absq; peccato. Sic est ergo suo in loco Christus, in dex-
 tera dei sedens, cum patre regnans gloriosus & omnipotens pariter & omnia
 sciens, ut iuxta corpus & animã electis sit omnibus beatitudinis speculum, co-
 ram apparent & existens in cœlestibus, ut tamen iuxta deitatẽ humanitati uni-
 tam personaliter, omnia cum patre et spiritu sancto impleat, operetur, & regat.
 Ut sicut in diebus carnis suæ degebat in terris ut homo, omnia tamẽ regebat ut
 deus, & adimplebat omnia; sic nũc secundũ hominẽ cœlos inhabitat, secundum
 diuinitatis suæ potentiam omnibus dominatur, rex & seruator omnium in se
 credentium, iudex etiã rebellium, accepta huiusmodi potestate à patre in cœ-
 lo & in terra. Quæ nos simpliciter credentes secundum scripturam, non uale-
 mus intelligere, nec ex scripturis canonicis ecclesijs probare nec docere, illud
 Christi domini corpus eandem animam cum uitalibus membris suis, sine quibus
 non subsistit, nõ aliter ascendisse cœlos q̄ ut factum inuisibile impleat non
 minus omnia q̄ sacrosancta diuinitas, cui est personaliter unita, ut ubicunq; sit
 deus, ibi & Christi corpus; multo minus hac ratione intra uel cum pane, & qui-
 buslibet panis ipsius particulis infinitis in locis esse, sic corporaliter Christi cor-
 pus, ut est in cœlestibus, uel ut fuit cum discipulis ascensurus in cœlum, præter
 solam inuisibilitatem eius & apparentiam. Tradit quidem uera fides uerbũ car-
 nem factum, Christum quoq; unam personã esse uerũ deum & uerũ hominem,
 perq; communicationẽ idiomatũ quod dicitur de uno etiã dici de alio, sed non
 propterea eundem essendi modũ conuenire utrisq;, quãdo quod creaturæ pro-
 priũ est, diuinitati conuenire nõ potest, nec econtra quod diuinitati proprium
 est, & ueluti loquũtur, modus intrinsecus ut est immẽsitas, & implere per essen-
 tiam præsentiam & potentiam, nulli potest creaturæ competere, sed tantũ diuina-
 titati, quæ distinguitur ab humanitate Christi sicut creator à creatura, quamli-
 bet sibi per gratiã unionis unitæ personaliter. Legatur Augustini breuis liber
 ad Felicianum, qui summatim hanc rem demonstrat, quã sparsim in omnibus
 suis libris constanter semper docuit, et à quo etiã Sententiarũ magister cum sua
 schola non dissentit. Sed iam dudũ piguit in re tam certa & scripturis probabi-
 li, affectuũ pertinaciã digladiari, de qua re alibi, & alij multa & solida, nos hæc
 simplicissime & absq; uerborũ obscuritate docemus. Nec intelligere ualentes,
 nec docere audentes, re ipsa Christum illic esse iuxta humanitatẽ ubi est iuxta
 diuinitatem, quod illi absq; scripturarũ authoritate contra orthodoxorum om-
 nium sententiam nobis credendũ obtrudere uolunt, quasi id probari scripturis
 possit, uel ulla ratione consequi. Implet diuinitate sua Christus omnia, sicut &
 gratia meritis & salute, non autem præsentia corporali, ne non sit corporeus,
 uel uerbum caro factum, neq; multiplicentur miracula, & ea quidem assidua
 & præter necessitatem, contra totius canonicæ scripturæ morem & experien-
 tiam & dogmata sanctorum omnium.

Cumq; intuerentur in cœlum euntem illum: ecce duo uiri astiterunt
 iuxta illos in uestibus albis, qui & dixerunt:

Quĩ dominus Iesus tectus ferretur in sublimẽ, persistebãt discipuli defixis
 in cœlum oculis. Vsq; adeo non poterant auelli ab eo quẽ unice diligebãt, licet

adhuc imbecilles. Expectabant autē quid nouæ rei ostenderetur ē sublimi. Ad sunt igitur repente duo cœlestis aulæ nunciij specie humana, quālibet pro usu scripturæ uiri dicantur, hoc est uirorū angelicę species & figuræ, reuera autem angeli. Ne quis sic scripturę cortici inhære pergat, ut cōtendere se debere putet, ueros & corporeos fuisse uiros qui apparuerant: sicut contendūt panē esse Christi corpus & uinum sanguinē, quod nos negare nec uolumus nec possumus, additionem autē præter scripturā tentatam non agnoscimus, ut dicamus, uel dicenti credamus, panē esse supernaturaliter uel naturaliter Christi substantiale corpus, quālibet non quantitatiue & localiter, quod omni rationi & experientię certissimæ contradicit. Dicimus autē simpliciter panem esse corpus Christi, quomodo is panis cœlestis & corpus Christi pro nobis crucifixū & fractum cibus esse potest animæ, & hoc uinum animæ refrigerium desolatæ, lætificans conscientiam. Quod quomodo fiat nemo ignorat, tantū si contentionis libido ablegetur, & scripturæ sacre usitatissimus tropus attendatur, quo angeli isti duo uiri uere dicuntur, quanquā reuera non fuerint nisi forma, representatio ne, & usu diuinitus ordinato. Erant duo cœlestes nunciij, specie humana, uel candida apparentes. Speciei maiestas iucunda excludebat horrore. Candor uel congruebat nuncio eius qui properabat ad gloriam.

Viri Galilei, quid statis aspicientes in cœlū: Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlū, sic ueniet quemadmodū uidistis eū euntē in cœlū. Cur hic statis defixis in cœlum oculis? Hic Iesus sublatus à uobis, rediit in cœlum iuxta unitā uerbo dei humanā naturā, in qua tantopere mortalis & uisibilis mundo apparuit, & in terris cum hominibus conuersatus est secundum prophetarum oracula. Rediit, inquam, unde uenerat iuxta naturā diuinā, & uisibilem naturam huiusmodi humanā uientē & assumentem. Quemadmodū frequenter ab illo audistis, quod profectus esset à patre, et quod uobis in mundo relicto rediturus esset ad patrē iuxta assumptā naturā quam in cœlū euexit ad solium regni cœlestis & terreni. Quālibet pollicerē & reuera præstet, ut sit cum suis fidelibus præsens futurus semper usquē ad consummationē sæculi: quod iuxta diuinitatem, gratiā, uirtutem, & influxum, assistentiā & gubernationem intelligi debere nemo est qui ambigat, idē modo non usquē ad ineffabili, sed conformi eo quo nunquā defuit patribus etiā in solitudine, ubi conuequebatur eos petra, petra autem erat Christus nondū incarnatus, nec iuxta corporalem presentiam, sed iuxta diuinā, quam multipliciter portentis ac signis, benedictis & uindictis adesse comperiebant certissime, & futurus aliquādo in benedicta humanitate promittebatur patribus & prophetis. Quid hoc catholico dogmate simplicius, clarius, certius? Dum contra quę opponuntur sic inuoluta incerta & incredibilia sint, ut ne ab ipsis quidē sui doctoribus intelligi possint, multo minus persuaderi scripturis, rationibus, uel exemplis, nō solum externis à nostra religione, sed fidelibus, & in canonicis scripturis exercitatis. Non est autē hic Christus dominus raptus in aëra, quemadmodū Helias, sed receptus est in regiam patris, illi confessurus ad dexteram. Conspexistis, inquiunt, illum uisibili quidem & iam immortalī corpore proficiscentē in cœlum: sic olim rediturus est, ut iudicis speciem agnoscant, qui hic seruatoris speciem agnoscere noluerunt. Non redibit humilis, sed ē sublimi multa cum gloria sese ostendet oculis omnium. Pauci uidistis euntē, redeuntē uidebunt uniuersi. Quando & apparebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & uidebunt filium hominis uenientē in nubibus cum uirtute & gloria multa, quando & angelos suos

filios mittet cum tubæ uoce magna, & congregabit electos eius. Quò tunc fugi-
ent contemptores dei & iudiciorum eius: Quin & nisi tales resipuerint, ueniet il-
lis dies domini, sicut fur in nocte, dum non sperant, & hora qua nesciunt, disse-
cabitque eos, & ponet partem illorum cum perfidis. Post Christum autem in cœ-
lum ascendent fideles & electi, per fidem in spe non pudefaciente; et cū Christo
regnant hic quidē in spiritu, tūc uero participes effecti gloriæ suę in cœlestibus
æternaliter exultabūt cohæredes Christi dñi & regni ipsius, ut eadē cum ipso
bona possideant, cuius sunt unius corporis membra, à quo uitā participāt gra-
tiæ & gloriæ. Quanquam autem solus Christus, qui descendit e cœlo ascensu-
tus dicatur & in cœlum, quandoquidem præter Christum nemo propria uir-
tute, iustitia & meritis cœlum assequitur uel ascendit, interim tamē in Christo
ascendunt, Christi que uirtute & iustitia omnes quotquot in ipsum credunt. Om-
nis enim qui credit in eum, non peribit, sed habebit uitam æternam.

Tunc reuersi sunt Hierosolymam à monte qui uocatur Oliueti, qui
est iuxta Ierusalem, sabbati habens iter.

Didicerant reditum sui domini non expectandū, iussi fuerāt prædicare E-
uangelium per uniuersum orbē terrarum, non quidem statim ab ista die, sed ut con-
sisterent antea aliquandiu & sederent Hierosolymis, ut illic accepto cœlesti spi-
ritu, feliciter auspiciarentur cœleste negotium. Paruerūt igitur discipuli, ac relicto
Oliuarum monte, cuius hospitio dominus ante mortem fuerat delectatus, reuersi
sunt Hierosolymā. Abest autē locus montis illius unde Christus ascenderat ab
Hierosolymis itinere sabbati, hoc est ferè passus bis mille. Ab hoc monte itū est
ad crucis ignominiam, ab eodē itum est ad gloriam. Ex hoc in prospectu est Hiero-
solyma, & in hoc sedens defleuerat excidium urbis. In hac interfectrice propheta-
rum dominus primo uoluit exoriri lucē Euangelicā, uel quia sic prædictū erat
à prophetis, uel ut eriperetur illis omnis pretextus excusationis, alioqui ob suā
incredulitatē funditus perituris. Amabilius erat apostolis suspicere in cœlum,
quo præcesserat dñs, uerū ob utilitatē proximi sepe descendendū est ad necessa-
ria magis quā iucunda nobis. Profecto eo rerum statu qui tūc inter Iudæos erat,
& eo animo quo discipuli tunc affecti fuerant, urbē repetere Hierosolymam
propemodū nihil aliud esse uidebatur quā sese præsentaneæ morti obijcere.
Obsequuntur tamen Christi præcepto, & redeunt, quamuis magno periculo,
sub ipsius tamen Christi tutela, ad cuius uocationem transibant, tuto illic sunt
conuersati. Sic quęcumque deus ad pericula uocat, huic pollicei ac præstat auxi-
lium & salutem. Exemplum sunt Moses, Samuel, Dauid, Helias, & alij.

Et cum introissent, in coenaculum ascenderūt ubi manebat Petrus
& Ioānes, & Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus C
& Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.

Non iterum otiose nobis commendantur apostolorum nomina. Sunt enim
duodecim apostoli hi, qui ab ipsomet Christo in hoc uocati sunt & ordinati, ut
doctrinam ueræ pietatis & dei germanum cultū, primum quidem in Iudæam,
deinde in totum terrarum orbē spargerent, clauisque regni cœlorum omnibus defer-
rent gentibus, ecclesias doctrina fundarent, et terminos regni Christi proferrēt
ad angulos mundi. Vnde & ipsos Christus uocat lucem mundi & sal terrę, con-
testando auditoribus, ut qui eos audirent Christū audirent, qui spernerēt ipsos
se spernerent. Quibus & clauium potestatē dedit remittendi peccata in terris,
unde & in cœlis remissa certissime crederentur, quod Euangelij Christi prædi-

catione & doctrina exercetur, quæ tantopere confirmata est spiritu Christi, & miraculorum signis, ut si angelus de cælo aliud Euangelium prædicet, si clauas alias ingerat aperiendi cælum uel claudendi, anathema habeatur. Cum igitur apostolica doctrina tantæ sit authoritatis in ecclesia domini, ut sola firmiter credenda sit, & ad salutem consequendam in Christo sufficiens & necessaria, dignum est, ut & apostolorum nomina non spernantur, non ut eosdem ceu deos tutelares superstitiose colamus aut inuocemus, cum deus solus adorandus sit, qui & solus est omnium sufficientia, & spes & salus, cuius ad nos amor paternus omnino est inestimabilis, & nulla proportione respondens charitati sanctorum omnium, sed ut doctrinæ illorum credamus, & eorum sic sequamur uestigia, ut ipsi Christum sequuti sunt. Summa uero prædicationis ipsorum breuior assignari non potest, quam quod tradiderunt solum Iesum Christum peccata nostra expiassel, & nos per fidem in Christo uiuam remissionem consequi peccatorum, & uitam æternam. Quæ uiuens fides absque dignis uere bonorum operum fructibus inesse non potest. Qui uero Iacobum Alpheï alium faciunt quæ episcopum Hierosolymorum, & epistolæ authorem canonicæ, cui primas dederint Petrus & alij in concilio, quasi de apostolorum hoc cœtu non fuerit, nescio quid sequantur uel uiuocatum, et aliàs Iustum cognominatum. Quomodo enim primatum apostolicum detulissent in concilio apostolico, ei qui apostolus non fuisset? Simo uero Zelotes is est, qui Hebraice dictus est Cananæus, quia ortus de uico Cana, in quo Christus aquam in uinum conuerterat. Et Iudas Iacobi minoris dicitur etiã alijs cognominibus Thaddæus & Lebbaeus, quo facilius sacrorum Lector Bibliorum credas priorum nominum uniuocationem & pluralitatē, quæ multos tam studiosos quam curiosos Lectores inuoluit & impedit.

Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus & Maria matre Iesu, & fratribus eius.

Mansitabant in eodem cœnaculo mulieres aliquot, quæ pio studio sequute dominum proficiscentem Hierosolymam, de suis facultatibus ministrabant. Inter has erat et Maria mater Iesu cum aliquot non paucis illius cognatis, qui fratres dicuntur domini more Hebraico. Hic mihi paulisper contemplator ecclesiæ nascentis primordia. Placet ciuitas Ierusalem, quæ Hebraeis sonat uisionem pacis. Non habitant Ierusalē, quibus hic mundus est patria, nec aspirant ad tranquillitatem uitæ cœlestis. Non habitant Ierusalē, qui mentem habent mundanis cupiditatibus turbulentam. In talia pectora non sese recipit spiritus sanctus. Placuit & cœnaculum, quæ pars est superior ædiū: nam inferiora domus uel tabernæ uel officinæ solent occupare. Procul autem à sordidis curis oportet abesse, qui se parat habitaculum diuino spiritui. Hæc est illa sancta congregatio, quæ ex omnibus delegerat dominus Iesus, hoc erat cœnaculum, primum Euangelicæ ecclesiæ domicilium. Nunc uide quid hic agatur. Non rixis aut fabulis otiosis teritur tempus, sed erant omnes unanimiter perseverantes in sacris preceationibus. Non est ecclesia Christi, ubi non est charitas et unitas. Non sunt deo gratæ preces, ubi non est firma concordia. Nec meretur audiri nisi qui perseveranter orauerit. Idem orat Euangelica congregatio. Vbi alius orat opes, alius optat mortem inimici, alius longauitatem, alius regnum, alius aliud, ibi non est ecclesiastica deprecatio. Ad apostolicum autem cœnaculum confluebant & reliqui discipuli. Quisquis autem uult haberi discipulus Iesu, ad ecclesiæ consortium aggregetur oportet. Iam autem memorabile exemplum hinc capimus quo monemur, ut in afflictionibus oremus dominum, & in

& in oratione perseveremus, etiamsi non mox uotis nostris pro nostra libidine satisfiat. Non ueniebat spiritus sanctus primo die, sed nec septimo, perseverant tamen, & promissioni Christi de spiritu factæ fortiter orando confidunt.

In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autē turba hominum simul ferē centum uiginti)

Iam conuenerat hominū fideliū & Christo crucifixo credentiū intra ipsam Hierosolymā multitudo plus minus centū uiginti. Tā exiguus erat numerus qui Christum toto pectore diligebant. Hic Petrum ut fidū pastorem, qui uehementer cupiebat gregem Euangelicū accrescere, cœpit sollicitudo quædam de immutato numero apostolorū, quos dominus Iesus duodecim elegerat: Iudas em̄ Iscariotes extinctus ē duodecim fecerat undecim. Hic quoq; considera consultationis ecclesiasticæ formā. Quum numerus discipulorū adesset frequentissimus, Petrus episcopi personā agens assurgit in medio confessu discipulorū, ut ex concordī consensu statueretur quod ad instaurandā integritatem ordinis apostolici uidebatur pertinere. Iam em̄ eatenus fide fuerant confirmati, dū precibus operiuntur spiritū, ut non aliter agere delibarent q̄ si nec Iudæi Christum persequerentur, nec aliquid ipsi periculorū expectēt. Tantā fidei certitudinem efficit oratio. Exorditur autē à scriptura diuina. Nimirū hinc oportet proficisci contionē ecclesiasticā, & quicquid in apostolico cœtu uel cōcilio definiendum creditur uel statuitur. Sed neq; quicquam decernitur, nisi præmissa concordī deprecatione: loquutus est autem in hunc modum,

Viri fratres, oportet impleri scripturam quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum, q̄ cōnumeratus erat in nobis, & sortitus est sortē ministerij huius. Psal. 40. 6
Ioan. 18. 6

Viros nominat pro reuerentiā et cōstantiā in omni bono, maxime in professione fidei de Christo in magnis periculis: nihil honestius de illis dicere potuisset q̄ appellare uiros, nimirū fortes animososq; in uera pietate defendenda contra totū mundū. Addit Fratres, pro charitate & modestiā, non se præferēdo, sed amorē et fidelitatē contestando: quid em̄ iucundius q̄ fratris appellatione in ueritate haberi & dici? Tales decet esse Christi discipulos uiros & fratres. Fidem quoq; in primis suadet fortissimā ac certissimā in sacrā scripturā, ut neutiq; de ea fidelis debeat uel possit ambigere, unde dicit, Oportet omnino impleri prophetarum scripturas Mosis & aliorum omniū, quin & Dauidis typum per omnia præformari, & exhiberi in Christo, quod Dauid in spiritu implendū didicit olim in Christo & eius mēbris omnibus fidelibus. Vnde uero autoritatē asseruit quia sit sacra scriptura, quæ per antonomastiā scriptura dicitur, statim ostēdit, dicens: Spiritus sanctus author est totius scripturæ canonicæ, & non spiritus quicumq; humanus, qui uanus est & mendax, sed sanctus spiritus, quo inspirati dei homines & prophetae futura credenda, sperāda, faciēda docuerunt: nec fallere quoquo modo potest, nec prorsus falli. Dauid itaq; quālibet peccator & rex, tamen organum fuit diuini spiritus, & os dei, ad omnem fidelium posteritatem, cui de Christo reuelauit secreta implenda, qualia in typo gerebantur per ipsum. Non igitur tam Dauid audiendus est & propheta q̄ spiritus sanctus deus, per illorum ora loquens & scribēs, ut nemo diffidat de impletione omnium quæ prædicta sunt in sacris scripturis. Quanquam autem Psalmus iste sexagesimus nonus iuxta Hebræos generalis prædictio sit de Iudæis illis Christi crucifixoribus & persequutoribus, deq; reliquis Christi membrorum hostibus, Pe-

trus tamen aptissime hoc generale dictum accommodat ad Iudam, quem tamen pro insigni modestia quam ex proprio suo lapsu didicerat, non appellat furem, proditorem, latronem, parricidam, quod iuste potuisset & uere; non enim propriam exciderat mentem quoad uixit, se quoque perfidum & abnegatorem magistri sui extitisse, sed simpliciter nominat ducem eorum qui comprehenderunt Iesum, grandi quidem flagitio, sed non per ipsum exaggerando. Ingratitudinis tamen uitium dissimulare non debuit, quia ex tam multis fidelibus Christi discipulis connumeratus fuerat cum apostolis, & æqualem cum alijs potestatem euangelizandi, miracula operandi, baptizandi, & peccata remittendi, suo modo acceperat, ausus tamē fuisset prodere talem tantumque magistrum, orbis Messiam sanctissimū, & certissimum dei filium, summumque omnium prophetarū atque sanctissimorum hominum. Viri ergo fratres, inquit, non oportet uos humanis consilijs quicquam tentare noui, sed quod olim spiritus sanctus per os David prædixit de subrogando quopiam in locum Iudæ necesse est ut impleatur. Nam & hoc prædictum erat in Psalmis futurum, ut ille perfidus desciscens à domino & magistro suo, locum uacuum faceret successori. Dominus enim Iesus ex omnibus duodecim peculiariter selegerat apostolos, quos omnium quæ gerebat ac docebat uoluit esse testes. Hos omnes uidetis adesse excepto Iuda Iscariote. Nam & illum dominus Iesus cooptauerat in numero duodecim, atque apostolici muneris consortem esse uoluit. Verum is deserto consortio præceptoris ac nostro maluit esse dux sceleratorum militum, qui comprehenderunt Iesum, quam Iesum ducem sequi, & sortem tenere fidelis ministri, aut apostolorum esse socius.

Matth. 27. 4

Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia uiscera eius.

Impij consilij fuit infelix exitus non aliter quam Achitophelis proditoris David perfidissimi. Siquidem excæcatus avaritia, triginta argenteis uendit & prodidit innocentissimum dominum & magistrum suum. Deinde ductus facti pœnitentia, retulit impiam mercedem, & abiecit ad pedes sacerdotum, a quibus fuerat ductus. Ipse magis memor sceleris sui quam Iesu clementiæ, sibi carnifex fuit: nam laqueo guttur præligauit, ac suspensus crepuit medius, & effusa sunt omnia uiscera eius. Quid uero hoc mortis genere horribilius? Nunquid non uerè hoc est, deum effundere iram suam super proditorem, ut Psalmus is loquitur, & furorem iræ dei comprehendere peccatorem, efficereque ut habitatio impij deserta fiat, ut non sit qui inhabitet, hoc est neminem ex liberis uel amicis habeat successorem? Nō simpliciter infelicissimus Iudas, diuino iudicio suspensus pendet ex trunco, sed & crepat medius, & effunduntur uiscera omnia. O abominabile spectaculum, ô horrendum dei iustumque iudicium, nobis exhibitum in exemplum, si agnitam ueritatem dei pro avaritia pecuniæ uel gloriæ propriæ quispiam prodere non uereatur, si nō statim quis à peccato resipiat, si in Christi misericordiam minus quam necesse est speretur, si tot præiæ admonitiones & dehortationes à malo instituto contemnantur, & ex certa malitia peccetur, non ex fragilitate uel ignorantia, si post tantā acceptam gratiam, & functionem in contemptu perseueretur & odio, impudentia est & avaritia, quæ multos ad laqueum parat. Vide ergo Iudam, & time: aspice Petrum, & habe fiduciam. Ille contemnebat admonitiones, & resipiscentiæ tot oportunitates & causas: cum igitur postea ad resipiscentiam aspiraret, non potuit, sed perijt.

rijs. Hic uero in tempore admonitionem excepit, & oportunitatem resipiscen-
tia non neglexit: cum igitur salute indigeret, salutem est consequutus.

Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appel-
laretur ager ille, lingua eorum, Acheldema, hoc est ager sanguinis.

Infelix illa pecunia, quam abiecerat ad pedes sacerdotum, eorundem consi-
lio collocata est emendo agro, in quo sepeliretur peregrini, propterea quod ne-
fas esse ducerent, pretium innoxij sanguinis proditi inferre sanctificatis mune-
ribus in gazophylatium. Hæc sacerdotum ac pharisæorum impia religio fecit,
ut & Iudæ facinus & ipsorū impietas innotesceret magis, & omnibus qui tūc
agebant Hierosolymis, adeo ut ager ille uulgata, hoc est Syriaca, lingua, quæ
tunc Iudæorū erat & Hierosolymitana, diceretur חַלְדֵּמָה Hacheldemah, hoc
est ager sanguinis. Si igitur dominus deus tam horrendo publicoq; supplicio
Iudam iudicauit, qui discipulus erat & electus, unus ex duodecim, & signo-
rum patror, peccatum suum agnoscens, impietatem suam confitens, triginta
reddens argenteos, pretiū appetiati, quanta grauitate puniet ab infantia cri-
minosos, peccata non agnoscens, sed defendētes & iactantes, Christum sub-
inde in suis membris persequētes, & imposturis perpetuis studentes?

Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorū de- Psal. 68. c
serta, & non sit qui inhabitet in ea. Et episcopatum eius accipiat alter. Psal. 108. b

Psalmo, ut dictum est 69. spiritus sanctus prædixerat de Iudæis, qui perti-
nacibus odijs Christum persequuti sunt, nec uoluerunt resipiscere tot prouoca-
ti beneficijs. Iam in Iuda uidemus impletum, suo tempore complendum & in
ceteris. Sic enim habet prophetia, ut ibi legitur, cuius explicationem quoq; ui-
deas suo loco. Amisit enim infelix Iudas locū apostolici muneris: itidem & tol-
letur olim templum, sacerdotiumq; scribarum & pharisæorum autoritas unā
cum ipsa Hierosolyma. Expellentur impij Iudæi, & succedent in illoꝝ locum
ueri Israelitæ, qui mente circumcisi non carne, Messiam agnoscant quæ illi cru-
cifixerunt. Prædictum est & hoc multis prophetarum uaticinijs, & ipsi audiui-
mus dominum Iesum hæc cum lachrymis uaticinātem de ciuitate Hierosoly-
morum. Restat interim, ut & in Iudæ locū aliquis subrogetur. Prædicat & hoc
Psalmus 108. Et episcopatū eius accipiat alter. Nostra enim functio nihil aliud
est quā ut dominici gregis curam gerentes, non uerbo tantum & iactatione
officij ad gloriam & quæstum, sed de doctrinæ Euangelicæ pabulo illi prospici-
atur. Deseruit ille locum suum, nec tamen ob id fraudandus est grex suis pa-
storibus, nec minuendus est numerus, quem dominus omnium primum insti-
tuit, addito cognomine peculiari ut apostoli uocarentur. Hos enim perpetuos
dictorum ac factorum suorum testes esse uoluit, quos ob id assiduos & dome-
sticos etiam habuit conuictores; id uero est quod sequitur in oratione Petri.

Oportet ergo ex his uiris, qui nobiscū sunt congregati in omni tem-
pore, quo intrauit & exiuit inter nos dominus Iesus, incipiens à baptis-
mate Ioannis usq; in diem qua assumptus est à nobis, testē resurrectio-
nis eius nobiscum fieri unum ex istis.

Oportet aliquem in Iudæ locum subrogari ex multis illis, qui perpetuo no-
biscum uersati sunt toto hoc tempore quo dominus Iesus peragens negotium
salutis humanæ, docendo & miracula faciendo, nos duodecim electos ex mul-
tis familiares esse uoluit, & affectatores perpetuos, quocunq; sese conferret, ui-
delicet à baptismo Ioannis, cui mox successit, usq; ad eum diem quo sese recepit

in coelum, quo nobiscū possit esse insignior, & cum autoritate certa testis idoneus, oculatus non tantum auritus omnium quæ docuit & gessit dominus, sed præcipue resurrectionis tanquæ reliqua omnia Christi mysteria cōprobantis. Nec enim omnibus apparuit semper discipulis post resurrectionē, sed iam istis, nūc illis, & his dumtaxat ut plurimū, quos peculiariter ad apostolatū selegerat, ut essent publici & quasi iurati testes perfectio numero, qui pro negotij tantū mūdo persuadēdi magnitudine plures esse debebant quæ tantum septem uel duo, quibus Euangelij ueritas & resurrectionis certitudo in toto orbe crederetur, & omnibus fidelibus commendaretur. Sub resurrectionis autē nomine totū Euangelij negotium comprehenditur: ut quæ Iesus Christus dei filius author uitæ & mortis uenerit in mundū, ut obedientia passione & morte sua expiaret mundi peccata pretioso suo sanguine fuso & asperso sanctificandis, nec id solū, sed ut ex mortuis triumphans ascenderet in coelum, & spiritum sanctum mitteret, ingressus in gloriam patris, & accepta potestate omni in coelo & in terra, ut omnes qui credunt in ipsum iustificet & saluet, & ad uitam sempiternā ac beatam perducatur, qua præcessit ipse, primitiæ resurgentium ex mortuis, quū fuerit pro peccatis mortuus, resurrexeritque, ut in patris maiestate regnet semp, & pro nobis interpellat unicus & summus sacerdos. Ad talium ergo testiū testimonia id unum necessario sequi debet, ut firmam nos adhibentes fidem Euangelio per hos prædicato omnem nostram fiduciam in Iesum Christum colloquamus, quod à peccatis & morte liberati salutem consequamur. Nec fuit inanis hæc contio Petri, magno studio excepta est ab ecclesia, in qua habitabant unius uoluntatis & moris sancti apostoli sine inuidia & ambitione, attentis ad gloriam dei amplificandam & ad Euangelium prædicandum, quod à Christo iussi fuerant.

Et statuerunt duos, Ioseph qui uocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Mathiam.

E numero septuaginta discipulorum duos selectos & dignos statuerunt, Ioseph idem est & Barsabas, cui ob insignem morum integritatem cognomen est additū Iustus, ac Mathiam, ut ex his duobus quos æquabat religio, uter magis placuisset cœtui, is susciperet apostoli munus. Cognouerunt exemplis æqualibus pares esse, quo cæteris præferendos esse non dubitauerunt: alterum uero præferre alteri non hominū erat, sed dei. Immoratur autē Lucas in laude Barsabæ, quia pro laude Mathias habet quod sorte eligitur. Ideo Iosephi Iusti laus cum mulatur, ne uelut indignus repelli uideretur. Volunt quidam hunc Barsabam in posterioribus Barnabā appellari, unde & cum Paulo postea ad apostolatū assumptus est cap. 13. uerū ut dubiū est, sic quoque uidetur incertius. Interim tamen discimus admiranda dei iudicia, ut is qui tanta pietate coram hominibus splendet, ut & hinc Iusti cognomen sortitus sit, eum tamen negligi, Mathiamque præferri, sorte à domino moderanda. Qui ut honestus quidem fuerit, nō tamen tanta specie honestatis coram hominibus præditus fuit quanta Ioseph. Itaque Mathias qui hominum fama Iosepho postponitur, iudicio tamen dei præponitur, ut timorē inde dei discamus, & non ex hominū tantum fama pendeamus, nec polleat nimis autoritas delata ab hominibus: & ne huiusmodi cristas tollat, & fiducia suæ famæ alios fastidiant, sed magis ex hoc metuunt, quia gratuita dei munera hæc sunt, gratisque collata ad incertum plerumque finem.

Et orantes, dixerunt: Tu domine, qui corda nosti omnium, ostende quæ elegeris ex his duobus unū, accipere locum ministerij huius & apostolatus,

stolatus, de quo præuaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum.

Apostoli sancti suo diffidentes iudicio, cõmuni precatione dominũ rogauerunt omnium moderatorem, & præcipue sortium, quæ à sanctis pio studio absq; superstitione & curiositate fiunt, sed ex necessitate & fide in dei uniuersalẽ pro uidentiam, præmissa quoq; humili prece, & feruẽti zelo gloriæ dei, dicẽtes: Homines qui iudicant ex his quæ cernunt & audiunt, falli possunt iudicio, sed tu domine, qui solus inspector es cordiũ, ex quibus homines uere boni sunt aut mali, ne graueris aliquo signo declarare tuis famulis, utrũ ex his duobus elegeris, ut impleat numerũ duodecim apostolorũ, ac succedat in functionẽ tanti munus unde Iudas excidit, abiturus in locũ suũ, in quem tu non ignorabas illum abiturum, cuius oculos nihil fugit. Nec enim ille tua culpa defecit à tuo consortio, qui nihil non fecisti quo resipisceret, neq; tu falsus iudicio asciueras defecturum, sed ita nobis expedire uiderat tua diuina sapientia, ut illo proditore filius tuus pro nobis immolaretur, & proditor nobis esset exemplo, ne munus nobis traditũ & cõmissum oscitantes & securi teneremus. Paucis quidẽ uerbis orando utuntur, & audiuntur: ut exemplo huiusmodi discamus orare in creandis plebunq; magistratibus, in deligendis ecclesię ministris, in matrimonio contrahendo, quæ singularia quædã dona sunt dei, non nisi fide & oratione impetranda.

Et dederunt sortes eis, & cecidit fors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim apostolis.

Post hanc à talibus precationẽ itum est ad sortes iuxta Hebreorum morem. Sic enim et à Gentilibus Ionas sorte præcipitatus est in mare, sic Ionathas deprehensus est gustasse mel. Nondũ uenerat spiritus sanctus, & adhuc aliquas Iudasim reliquias habebant apostoli, quibus tamẽ religiose utebantur. Tamen si sortes periculosa non sunt, quæ utricunq; fauerint, probum et idoneum designant. Nec totum negotium creditum est sortibus: suffragiis sunt electi duo probatissimi, inter hos ambiguitatem electionis fors finijt, quæ nec ipsa temeritatẽ habere potuit, cuius euentum moderatur precatio. Sors igitur hæc, quæ nihil fuit aliud q̃ declaratio uoluntatis diuinæ, designauit Mathiam, quanq; Ioseph præter cognominis cõmendationẽ etiã Iesu propinquitate per matrẽ cõmedabatur, & tamen huic prælatus est Mathias, quo nos docemur in eligendis episcopis, quibus credenda sit Euangelicæ doctrinæ dispensatio, ad eò nihil esse tribuendum humanis affectibus & carnis nobilitati uel profapia, ut inter pares potius illi fauendũ sit, quẽ nihil humanæ rei cõmendat, ne quod per occasionẽ est factum, trahatur in perniciosum exemplum. Subest & in nominibus nonnihil reconditoris doctrinæ. Mathias donationẽ domini significãs, Iusto præfertur, quod nominis pharisæi ex operibus sibi uindicabãt. At nulli minus idonei sunt ad dispensationẽ Euangelicam quã pharisæi. Qui gratum dei donum per fidem agnoscit Euangelicam ac prædicat, is demum dignus qui succedat in uicem apostolorum. Nec indignatus est Iustus sibi præferri parem, nec sibi placuit Mathias additus undecim apostolis, ut sacrum illum numerum absolueret, & uir optimus in pessimi locum succederet.

CAPVT II.

T cum complerentur dies pentecostes, erant omnes pariter in A eodem loco.

Transactis à domini resurrectione iam diebus quadragintanouẽ, aderat expectatus ille dies quinquagesimus, qui Iudæis quoq; iuxta legẽ latus

ac uenerabilis erat ac celebris, quo lex domini in monte Sinai prodita fuit multis prodigijs et uisionibus, quinquagesimo die ab egressu filiorum Israel de Aegypto ab occiso agno paschali, cuius cruore incolumes euaserāt & diuites. Eo enim quinquagesimo die prodita fuit lex uetus, inscripta lapideis tabulis: nūc uero in monte Sion in cœnaculo prodita est lex noua Christi & fidei, per spiritum sanctum inscripta cordibus credentiū. Vtrobique loci sublimitas, utrobique ignis, sed nihil illuc aliud quàm horrida solitudo est & desertū, mons fumans & ardens & terrenus, quem populus etiam attingere prohibetur, nimis crassus ac terrenus, timore & terrore regendus, quando res spiritualium nondum erat capax: hic in uisione pacis intra Hierosolymā in monte Sion, intra domū cordiæ, orationis, & fidei, lex Euangelica, amoris, fidei, & remissionis, lex Christi dari debebat in pectora apostolica per spiritum sanctum, donum linguarum, fortitudinis, constantiæ, & uirtutis, contra omnes aduersitates ueritatis & uirtutis, quo dono confirmati magnifice multa fiducia prædicarent Christi euangelium, & dilatarent proferrentque regnū Christi & charitatis in orbē uniuersum. Alibi populus discors obmurmurat, hic in eodem conclauī quieti unanimesque deprecantur expectantes cœleste donum, promissum spiritum sanctum iuxta uarias donationes ipsius. Erat is dies pentecostes, delectus huic cœlesti negotio, quemadmodū & locus montis Sion, in quē nouem iam diebus ab ascensione domini frequenter soliti fuerant orationis causa uentitare. Cæterum ubi iam adesset præfinita à deo dies quinquagesima, simul omnes magno consensu animorum & orationis conuenerant in idem cœnaculū, accepturi spiritum cœlestem. Vbi animus est humilibus ac sordidis curis occupatus, ibi non habet locū diuinus & sanctus spiritus. Vbi pectus est dissidijs, odijs, ac rixis tumultuosum, ibi non est locus spiritui sancto.

Et factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus uehementis, & repleuit totam domum ubi erant sedentes.

Dum omnes simul collecti in unum locum discipuli eumque sublimē in monte Sion, concorditer credunt, orant, ac expectant, ecce subito uenit ē sublimi donum dei. Repente siquidē ē cœlo uenit sonitus, quasi uenti magno impetu seferentis, ac impleuit totum cœnaculum, ubi sedebant placidi ac quieti. Nō erat ille Boreas ē nubibus frigus aspirans, neque erat Notus ē palustribus locis teporem pestiferū adferens corporibus. Flatus erat cœlestis, inde ueniens quō profectus fuerat Christus, uitam æternam inspirans animis, robur & alacritatē adadens animis infirmis ac pusillis. Hic sonitus fideles non teruit, sed omnium animos expergescit ad expectationē promissi spiritus. Datum est hoc signū auribus, datum est & mox alterum oculis. Sunt enim hi duo sensus in homine præcipui. Erat hic sonitus nuncijs & præco aduentatis spiritus, missi à deo patre prius incognitis linguis, collaturus tantā animi in prædicando Euangelio Christi celsitudinē, ut piscatores potētissimos quosque mūdi monarchas, & ipsum quoque satanam mūdo imperantē, minime formidarēt aggredi uincere & opprimere.

Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum.

Apparuerunt linguæ ueluti ignea specie, sese in singulos discipulos dispartientes: atque ut intelligamus donum hoc fore perpetuū, uniuscuiusque capiti aliā quandiu insidebant. Huiusmodi linguarum donum simplicis & limpidi elementi forma

forma significatū, promiserat apostolis dominus apud Marcū quod nunc præstat, ut hac forma linguarū intelligamus uirtuosissimā actionē diuini spiritus, et apostolicæ doctrinæ puritatem simplicem & constantem. Dissectæ quoq; erant ad significandum donorū uarietate, quibus imbuebatur singuli discipuli iuxta fidei gradum & dei liberalitatē, fortassis non eadem mensura & agēdi ardore. In igne autem apparuit super singulos spiritus, sed per seipsum loquebatur interius. Et neq; ignis deus, neq; sonus fuit, sed per hoc quod exterius exhibuit quod interius gerebatur expressit. Ignis em̄ ut urit, purgat, calefacit, & illuminat: sic spiritus exurit peccata, purgat pectora, torporē excutit, ignorantias illustrat. Omnes enim quos replet spiritus, ardere & loqui facit, ardentēs ex se, loquentes de se, unde & ostensum est ubiq; dilatandā ecclesiam, & uarijs linguis Euangelium prædicandū. Quamobrem & nō modica spes est fidelium, hoc quoq; tempore datum desuper linguarū donum, et earundē disseminādi in totum orbem oportunitatē & facilitatem impressuræ arte, quæ & ipsa inter præcipua spiritus diuini dona non immerito computatur. Spem dat disseminandi legitimi Euangelij cognitionem in omnes gentes: longeq; ad felicis pacē omnium populorū promouendā, & charitatem cum uera fide, quā armis bellicis & quibuscunq; exercituū impedimētis. Quid em̄ facilius q̄ hoc medio persuaderi terrarum orbi ueritatē & dei gratiam per Christū, quod spiritu sancto inflati egisse nouimus paucos Christi discipulos in non multis temporibus, sed igne charitatis imbutos & fidei: Quibus ubi caruerimus, nō proficiemus. Vita & fide nostra minime reformata, quid in alijs tentaremus? &c.

Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui uarijs linguis prout spiritus sanctus dabat eloqui illis.

Matth. 3. c

Marci 1. b

Luce 3. c

Ioan. 1. d

Supra 1. a

Infra 11. b. 19. d

Idem spiritus dei afflauit omnium animos, idem ignis accendit omnium pectus & linguam: nec mora, uisibile signum, uis doni cœlestis est consequuta. Omnes quotquot aderant, ueluti subito transmutati in cœlestes homines, ac repleti spiritu sancto cœperunt loqui diuersis linguis, non quas didicerant ex hominum colloquio, sed quas cœlitus illis indiderat spiritus. Nullum hominis membrum pestilentius mala lingua, nullum salubrius bona. Ceteræ ad cœlestē doctrinam, per omnium linguarū gentes disseminandā, opus erat linguis cœlesti doctrina imbutis, tum Euangelicæ charitatis igni flammantibus. Erat igitur hoc præcipuum signū Euangelicæ fidei, quod dominus illis promiserat, Linguis, inquiēs, loquentur nouis. Qui calumniātur, qui obtrectāt, qui conuiciantur proximo, qui peierant, qui loquuntur obscœna, linguam habent nō igne cœlesti, sed gehennæ inflamatā. Qui disputant de rebus mundanis, nondū acceperunt linguam cœlestem, nondū idonei sunt ad prædicandū Euangelium. Sine lingua sine spiritu uox nō profertur. Spiritus autē cœlestis uocem ædit cœlestem. Lingua imbuta fide & charitatis igne rapit & inflamat auditorum animos: friget lingua pharisæorum, & tantum sæculariter eloquentium, neminē afficit quantum uis erudita philosophorum & rethorum lingua. Donum hoc inflammandi ad pietatem corda è cœlis proficiscitur. Discipuli aliud nō sunt quàm organa, per quæ uocem ædit spiritus sanctus. Hoc donū nec homo dare potest homini, nec sibi quisquā partitur, sed deus impartit unicuiq; sicut ipsi uisum fuerit. Cui copiosius impartierit, is non habet cur alterum despiciat, sed habet cur alacrius conetur prodesse multis. Res est uehemens spiritus, res est uiuida & irrequieta ignis. Non dormitant amplius apostoli, quemadmodum dormitabāt ante mor-

tem domini: non latitant amplius, quemadmodum latitabant post resurrectionem. Profiliunt in publicum, passim ac palam prædicant omnibus gratuitam salutem per fiduciam in Iesum Christum, paulò ante crucifixum. Totum inuadunt orbem terrarum ad ipsum Christo subiugandum iuxta prædictiones prophetarum, illumque diuisum in tot nationes, linguas, religiones, philosophias, mores, imperia, principatus, nulla autem alia freti & instructi armatura quam spiritus sancti, quo sunt impleti, hoc est admirandis donis & uirtutibus instructi, & operationibus sanctis. Loquutos autem fuisse uarijs linguis aliud non est quàm Hebraeis Hebraice, Parthis Parthice, Asiaticis Asiaticè loquutos fuisse, Græcis Græce, & omnino omnium nationum linguas nouisse, & dixisse, ad quas spiritus diuini instinctu mittebantur manifesto miraculo & non negando. Non fatetur deus miracula nisi manifesta, & multis cognita, ut multis profit. Contra naturam uel naturæ cursum deus non agit nisi ad miraculū, quo uti uelit ad suam agnoscendam potentiam & bonitatem: quale fuit miraculum, diuersis loqui linguis eos qui nunquam didicissent, non ut unum corpus naturale uel glorificatum sit in multis locis nullo sciente uel sentiēte, aut proficiente in fide uel moribus, sine omni necessitate uel usu. Aliud quoque miraculum erat, loqui magnalia dei publice, palam, multa libertate, nullo timore in urbe Hierosolyma in uitis principibus scribis & pharisæis, nempe Euangeliū Christi ab illis crucifixi, & quod resurrexerit à mortuis, & iustificatio sit omnium credētium in ipsum, Eadēque replicant & inculcant homines nup̄ tam formidolosi, ut ne mutire quidem ausi fuerint ante paucos dies, idēque agunt eo tempore quo maxima Iudæorum multitudo iuxta legem conuenerat.

Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, uiri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.

Erat ea ciuitas eo tempore theatrum idoneum huic auspicandæ doctrinæ, siquidem ob urbis celebritatem, & ob studiorum sacrorum frequentiam, ob festorum religionem, & ipsum festum pentecostes plurimi tum agebant Hierosolymis, non solum ex omnibus Syriæ & Palestinæ partibus, uerumetiam ex omnibus regionibus quocumque illos uel bellorum tempestas dispulerat, uel casus aliquis diduxerat. Inter quos erant plurimi, quibus cordi erat pietas, & religionis sacræ zelus, ut eodē quoque tempore Saulus erat atque Gamaliel similesque. Huiusmodi multi aderant legis zelatores et studiosi suo tempore ad Euangelij propagationem electi à domino, & assumendi de proximo. Hæc autem audientes ac uidentes, partim obstupescunt, ignorantes quid factum sit opus, partim aduersantur pro rei nouitate, & uident pauperum uirorum audaciam, quos & ebrietatis accusant. Ex omni natione adfuisse compertum est, nempe Iudæos & proseglytos, quando uarijs dispersionibus perpessis iam dudum, Nabuchodonosor quoque, & Syriæ reges Antiochos, tandem & Romanos: de quibus eleganter Vadianus noster Sangallensis Consul in sacra geographia sua: quin & ante ultimam captiuitatem, statim ut Romani Antiochi temporibus & postea, Iudæam populi Romani prouintiam fecerunt, & domesticarum dissentionum, factionum, & tumultuum nullus esset finis, cæteras quoque prouintias ditiorum Romanæ subiectas immigrare cœperant. Qui tamen ad hunc modum sparsim cum essent, uitæ sedis & religionis memores singulis annis Hierosolymam sacrorum matrem uel dona mittere, uel ad festos dies aduolare, uel studiorum sa-

rorum gratia inhabitare consueuerunt ad tempus, quemadmodum & Saulus Tharsensis illic consistendo profecit.

Facta autem hac uoce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.

Huius rei nouitas ubi per omnes esset uulgata, conuenit promiscua multitudo populi, perplexis animis quærens quid hoc esset nouæ rei, quod quum ex tam diuersæ linguæ regionibus essent collecti, tamē tum unusquisque sic intellexisset illos loquentes, quasi non una quapiam omnibus, sed singulo cuique suæ uernacula fuissent loquuti. Habet quidē Hebræorum lingua iuxta regionum diuisionem sua discrimina, maxime uero Syriaca, qua tum utebantur Iudæi, uel ex confinio diuersarum gentium, uel alio quopiam casu. Nam & Iesum Samaritana mulier Iudæum agnouit ex proprietate & dialectis linguæ, sicut & ostiaria Petrum, quemadmodum & Græcorum lingua in quinque species est ducta. Nec minor differentia est in Germanica et cæteris gentium linguis. Porro hic de Iudæis loqui uidetur, quorum plerique non aliam tenebant linguam quam eius gentis apud quam et nati erant. Hinc non raro Iudæi in Græcia nati Græci dicuntur, & Romæ habitantes Romani. Sed de opinione plurium circa hanc quæstionem, qua lingua fuerint loquuti apostoli, & qualiter intellecti à Iudæis omnium nationum, nos communioem sequimur, aliam non continententes.

Stupebant autem omnes, & mirabantur, adinuicem dicentes: Nón bene ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt: & quomodo nos audiuius unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus: Parthi, & Medii, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Capadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Aegyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Profelyti, Cretes, & Arabes, audiuius eos loquentes nostris linguis magnalia dei.

Omnes uehemens quædam habebat admiratio, atque inter sese disputabant, quis fieret quod nec auditum unquam fuerat, neque in historia lectum, dicentes: Ecce rem nouam. Nónne isti omnes qui loquuntur, patria Galilæi sunt, simplices, indocti, & omnium Iudæorum contemptores: Qui fit igitur, ut tam multi diuersæ linguæ homines, quoties audimus unum aliquem loquentem, nihilo secius intelligamus quam si suam quisque linguam in qua natus est audiret: quum ex tam diuersis regionibus multitudo conflata sit, quorum aliqui sint ex Parthia, quæ sita est inter Carmanos, Hircanos, Arios & Medos. Quidam erant Medii, quorum caput Ecbatana, fortissimæ gentes, in quam prouintiã post captam Samariam translati sunt Israelitæ dudum. Elamitas uerissimilius est Persas dici, sicut & in Genesi, imperio noti sicut & Medii & Parthi. Mesopotamia proprie dicitur Interamnia, conclusa Tigri & Eufrate, cum sua Chaldæa, gentium imperatrice. Iudæam in multas diuisas partes inhabitabant Iudæi, non soli tamen, sed Gentibus Græcis & Syris permixti. Et ad hæc Capadociam, quæ habet uicem nam sibi minorem Armeniam Galatiam & Paphlagoniam: antea generatim quoque dicta Syria & Leucosyria, in qua Iudæorum quæ plurimi habitabant, admodum pacifica natione. Ponticæ gentes in totum uocatae sunt iuxta tractum Eux-

xini maris, regnum quondam Mitridatis regis maximi. Asiam intelligit proprie dictam intra minorem Asiam ad Occasum proximam mari, complectentem in mediterraneis Aeoliam & Lydiam, supra Ephesum et Smyrnam, quam & Hieronymus specialiter Asiae nomine uocari tradit, inclusam scilicet Bithynia Pamphilia & Lytia, Galatia & Aegeo mari: ne quis uel maiorem Asiam terrarum orbis partem uel generaliter minorem arbitretur hic allegata. Phrygiam faciunt maiorem & minorem. Maiorem inter Galatiam & Lydiam longo fluxu incedentem, donec ad Pamphiliis Lytios & Cares pertingatur. Minorem Troaedi superiectam, & ad Galatas usque ingredientem, finitimam Mysiam et Bithyniam, Pamphiliam olim Mopsopiam dictam, quoniam Mopsi uetus regnum fuisse, ambiendo passim contingit Lytia & Phrygia, Cilicia & Pamphilia. Aegypti regnum nemo ignorat, cui proxime iuncta est Cyrenaica Pentapolis, Iudaeis magno numero habitata antiquitus. Non desunt quoque Iudaei, qui Romae sedem habent, partim genere Iudaei, partim profelyti, hoc est ad Iudaicam religionem conuersi. Praeterea Cretenses & Arabes Iudaeos habuerunt colonos. Ex quibus tot nationibus, ex tam diuersis conflati linguis, inquit, Audimus & intelligimus illos loquentes, non res usitatas aut humanas, sed sublimia, sed magnifica, sed deo digna, sed sacratissima.

Stupebant autem omnes, et mirabantur, adinuicem dicentes: Quidnam uult hoc esse? Alij autem irridentes, dicebant: Musto pleni sunt isti.

Ad hunc modum quotquot erant religionis amantes, rei nouitate percussif differabant, dicentes: Quid sibi uult prodigium hoc? Non reprehendunt quod assequi non possunt, quemadmodum solent pharisaei, sed inquirunt ac discere cupiunt quod ignorant. Ex diuerso qui iudicij erant iniquioris ac praecipitis, irridentes, dicebant: Musto expleti sunt. Dicas hos esse discipulos pharisaeorum, qui dicebant de Iesu, Daemonium habet. Et est omnino ebrietas uehementis furori persimilis. Fit autem forsitan, ut per furorem aliquis diuersis loquatur linguis, quas nunquam didicit, sed nullus furor hoc praestaret, ut omnes quod loquaris intelligant. Haec illi quidem ludibrii causa dicebant: ceterum nihil uetat nonnunquam & iocando uera dicere. Prorsus expleti erant nouo uino, quod dominus noluit committi uetustis utribus. Vetus enim Mosaicae legis uinum defecerat in nuptijs ecclesiae, ac frigidus & insipidus legis sensus per Christum uersus est in uinum nouum, intelligentibus totius legis & prophetarum summam & scopum esse fidem in Christum, & charitatem in proximum. Insipidum et dilutum est, quicquid carnale est: uiuidum efficax ac lapidum est, quicquid est spirituale. Bibebant autem affatim de calice caelesti, de quo dicit Psalmographus: Calix meus inebrians quam preclarus est. Etsi licet res toto genere dissimillimas inter se conferre: uulgaris ista temulentia quatuor res praecipue gignit in hominibus, profert in apertum quae latebant in corde, inducit obliuionem praeteritorum malorum ac spe laetorum exhilarat animum, addit robur usque ad uitae contemptum, postremo ex infacundis facit disertos. Iam mihi uide, an non simile quiddam nouum illud spiritus diuini mustum genuerit in apostolis, quod metu caelauerant, quod in occulto didicerant, nunc profertur in uulgus, ac iuxta domini uaticinium praedicant in tectis. Obluiscuntur ueteris Iudaismi, ac uelut iam nati non meminerunt uitae superioris, nec recordantur afflictionum, quibus territi dominum deseruerant. Nullis praesidijs humanis instructi nec praesides timent, nec reges, nec concilia, nec carceres,

ceres, nec tormenta, nec mortes, semper alacres ac læti promissis Euāgelicis. Deniq; qui prius erant piscatores & idiotæ, mox eloquentia cœlesti coarguūt supercilium pharisæorum, conuincunt enthymemata philosophorum, opprimunt uim rhetorum. Nihil autem difficilius quàm uerba facere apud multitudinem, quæ quum semper est belua multorum capitum, tum uero præcipue, quoties ex uarijs linguis ac nationibus collecta est.

Stans autē Petrus cum undecim leuauit uocē suā, et loquutus est eis:

Hic mihi consydera Simonem Petrū subito ex piscatore factum oratorem. Tumultuabatur multitudo, quod tum factum est, id semper est futurū usq; ad finem mundi. Ibi demū boni pastoris officiū est, forti animo prodire in mediū, non ut uiolentiā cōprimat obmurmurantes, nec ut conuitia regerat, sed ut constanti magis quàm feroci animo, per sacra scripturæ testimonia depellat calumniam, et Christi gloriam asserat. Petrus itaq; qui prius in cœnaculo surrexerat, expleturus numerū apostolorū, nunc rursus assurgit apud confusam hominum multitudinē, docturus eos qui dixerant, Quid sibi uult hoc? et os oppleturus his qui dixerant, Musto pleni sunt. Non est autem necesse, ut episcopus semper erecto corpore loquatur ad populū, quando Christus ipse sedens docuit populū. Cæterum animo stet oportet, quisquis aggreditur munus apostolicū. Atq; hic interim cognosce Petri sollicitudinē, & fidelissimā curam pascendi oues iuxta præceptum ultimū sibi datum à domino. Primus est ad predicandū, ubi res Euāgelicum oratorem postulat, nihil cunctatur, nihil negligit, audet per spiritum, & sese opponit pro honore domini sui, pro salute commissæ gregis. Recon- diderat iam antea gladium, qui Christo nō placuit; nunc gladiū exerit spiritus, quem recens acceperat, qui otiosum non permisit. Sic oportet esse episcopū, talis cōditio primatis, si quis eundē teneat in populo siue clero. Assurgit Petrus, sed non solus, uerum astantibus undecim apostolis, ne sibi tyrannidem usurpare uideret, quæ in ecclesia Christi locum nō habet. Unus fecit uerba, sed unus omnium sententiā & uoce loquutus est, quemadmodū & ante unus omnium nomine professus est Iesum Christū filiū dei uiuentis. Vnde tanta fiducia piscatori, idiotæ, & humili, ut tantam multitudinē auderet uel obtueri: Sepe magnis oratoribus, qui multis uigilijs elucubratam ac meditatam orationē adferunt, dicturis apud frequentem populū aut principes fugit color, uox faucibus hæret, obstupescit mens. Nimirū hæc erat illa cœlestis ebrietas, hæc erat illa sobria temulentia spiritus. Assitit coram tanta multitudinē, adiunxit undecim discipulos, non ad præsidium, sed ad consortium, intendit oculos in populū, ignotus ad ignotum, extulit uocem, & nihil præmeditatus loquutus est illis, iam hoc præstans quod docuerat dominus. Nec pro se loquitur, sed pastor gregi patrocina- tur: nec agit humanis argutijs, sed diuinæ scripturæ præsidijs, & ratione sensu communi approbata. Iam expectat attenda multitudo contionem. Attēdamus & nos, quandoquidem hæc omnibus dicta sunt.

Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem uniuersi, hoc uobis notum sit, C & auribus percipite uerba mea. Non enim, sicut uos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia.

Primū ubi mota manu turba murmur cōpescuisset, exorsus est tali proce- mio quod illos nulla assentatione rhetorica redderet attētos. Viri, inquit Iudæi- cæ gentis, quos non oportet ignorare legem ac prophetas, uosq; præcipue, qui degitis in hac urbe Hierosolymorum, ubi caput est religionis ac scientiæ legis.

Est fortassis quod admiremini, nō est quod calumnietur aliquis. Proinde quotquot adestis, præbete mihi aures paulisper attētas, & rem ut habet cognoscite: id enim uestra omniū refert. Non em̄ hi Galilæi quos mihi uidetis assistere, multo sunt ebrii, quemadmodū quidam existimant, quū sit hora diei tertia: nullus autem diluculo solet esse ebrius. Quod autē in me & in comitibus meis contigit, non ebrietate uini, sed plenitudine spiritus: non humana comessatione, sed diuino miraculo contigit. Nondū tertia hora præterijt ab exortu solis: sic enim supputant Iudæi diei horas ac noctis, ut patet ex Euangelio.

Ioel 2.5

Sed hoc est quod dictum est per prophetam Ioel: Et erit in nouissimis diebus, dicit dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri & filia uestra, & iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia somniant.

Videte in his impletū quod olim deus promisit futurum per Ioelē prophetam. Audite prophetiā, et agnoscite promissi fidem. Nolite calumniari, qui rem insolitam uidetis, sed amplectimini potius gratiā diuinitus uobis oblatam. Ioel enim afflatus diuino spiritu, uidēs futurū ut deus qui diuersis temporibus Moysi & prophetis aliquot impartierat spiritū suū ad uestrā salutem, tandem misso filio suo unico uerbo incarnato, & apparente in humana natura, spiritum eundem copiosissime effunderet, nō in unum atq; alterū, quemadmodū uidetis tot sæculis paucos extitisse prophetas, sed in omnes totius orbis nationes, quæcūq; sincera fide reciperent hunc lætum nunciū, quem ipsius iussu uobis omnibus adferimus, sic prodidit cœlestē uaticiniū: Erit in nouissimis diebus, dicit dominus, effundam largiter de spiritu meo super omnem carnē, & subito prophetabunt filij uestri & filia uestra. Pauci hactenus uisionibus futura uiderūt, pauciores per somnia dominū audierūt loquentem, paucæ mulieres, pauci pueri diuinis reuelationibus illustrati sunt. Nunc autē diebus nouissimis quibus manifestabitur Euangeliū Iesu Christi, & totus mundus ad unius dei uerā cognitionem & cultum uocabitur ac perueniet iuxta prædictionem prophetiā, & gentium expectationem promissam dudum patribus, effundam dona spiritus mei, & cognitionē mysteriorū legis meæ, nō super unū aut alterū, sed super omnem carnem, super omnes homines, cuiuscūq; status conditionis aut sexus fuerint. Nam & filij & filia uestra, hoc est pueri adhuc & penē infantes prophetabunt, & nomen domini inuocabunt, Dauidis filium Messiam uenisse confitebuntur, clamantes, Osianna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini, & cætera multa, ut manifeste comprobē me nec ætatem puerilē nec sexū muliebrem contemptui habere. Deinde iuuenes uestri uisiones uidebunt, seniores somnia somniant: ut plane nullam ætatē præteream, sed nec abijciam seruos & ancillas, qui alioqui inter homines sordidæ conditionis & fortis contēptæ habentur: nam & illis impartiar dona spiritus mei, ut prophetēt, ut toti orbi declarem me non esse personarū respectorem. Idē futurū est nō solum de apostolis semel in pētecostes die, sed de om̄ibus quotquot Christo sunt credituri, qui hic quoq; omnis caro dicunt, sicut & Ieremias dicit: Post dies illos, dicit dñs, dabo legem meā in uisceribus eorū, & in corde scribā eam &c. & non docebit ultra uir proximum suū, & uir fratrem suū, dicens, Cognosce dominū. Omnes em̄ cognoscēt me à minimo eorum usque ad maximum &c. Quod igitur in die pentecostes paucis discipulis claro miraculo contigit & inceptum est, hoc deinde perficiatur, sed absq; manifestis miraculis in omnibus Christo credentibus. Quomodo autem uisiones uideantur à fidelibus, et somnia somnientur, ex prophetarū uerbis

bis discitur & intelligitur, qui uerbis legis & suorum temporum describunt res Euangelicas. Sicut enim gentes in Christum credere, est & dicitur apud illos omnes gentes affluere ad montem Sion, & Christi regnum extendendum in totum orbem, est apud eosdem sacrificari in omni loco, & offerri oblationem mundam nomini dei: sic hic apud Iosalem in Christum credentes, & ab ipso saluandos, est eos habere prophetias uisiones & explicationes diuine uoluntatis certissimas, quod ipse dicit, spiritum effundendum esse super omnem carnem sine delectu ætatis uel sexus. Ad hæc seruos ac ancillas fore participes huius spiritus, aliud non est quam omnes cuiuscumque conditionis homines per fidem in Christum Iesum deum cognituros, quod sit peccatorum remissor, quod pater sit cœlestis, & collaturus credentibus hereditatem bonorum cœlestium, qui sit solus colendus & adorandus. Hæc qui de deo cognoscit, uere institutus est, & hac cognitione habet uitam æternam, dicente scriptura: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

Et quidem super seruos meos, & ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt, & dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & ignem & uaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam ueniat dies domini magnus & manifestus.

Nullus est maior dies domini, nec illustrior nec clarior quam dies Christi domini crucifixi & resurgentis, & mundo per Euangelium innotescens. Deuictum est eo die peccatum, recuperata est iustitia, pietas, & uera religio, eo die succubuit mors, uita superauit, ianua paradisi cœlestis aperta est, inferni portæ clausæ, eo die deuicta sunt omnia mundi mala, & omnium bonorum hereditas parta est Christo credentibus. Ut autem illustris ac felix est iste dies fidelibus, sic incredulis & impijs terribilior nullus esse potest. Hæc enim Euangelij prædicatione & Christi mysterijs confunduntur Iudæi, impij, & increduli omnes pudescunt & excæcantur, ne uideant ueritatem salutiferam, sed illis sol mundi Christus in tenebras uertitur, in cuius signum obscuratus est sol in morte Christi, sicut & uelum templi ruptum est, terra commota est, petra scissæ, monumenta aperta: quæ alijs uerbis exprimuntur hic prophetico more à Ioel propheta, dum narrat & prædicat prodigia sursum & deorsum, ignem & sanguinem, fumum & uaporem, deliquia solis & lunæ. Huiusmodi prodigia præcesserunt, & comitata sunt diem domini magnum, illustrissimum atque terribilissimum, quæ dies domini per Christum effecta gratissima fuit electis, quando per Christum effectum est, ut spiritu sancto donati libere nomen domini inuocare cœperint et ausi fuerint, & illud inuocando saluari.

Et erit: omnis quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit. D

Non omnis qui inuocat nomen domini saluatur, sed qui in ueritate & ex fide inuocat, in spiritu & ueritate, quando per spiritum sanctum creditur quod deus sit misericors clemens auxiliator in afflictionibus & saluator. Ex qua fide si quis nomen domini inuocauerit, saluus erit, qua fide etiam renascitur in Christo, & fit filius dei per adoptionem accepto spiritu, per quem clamat Abba pater. Non est ergo gratior deo cultus quam inuocatio sincera ex fide, qua inuocans protestatur credere se deum esse summe bonum, clementem, liberalem, omnipotentem, & saluatorem & redemptorem, breuiter, omnium bonorum auctorem. Hæc deo tribuere, talia de deo credere, est nomen domini inuocare, deo

credere, & credendo domino iustificari, quod est & salutem cōsequitur: qui enim sic credit, ei parata est salus.

Viri Israelitæ, audite uerba hæc: Iesum Nazarenum, uirum approbatū à deo in uobis uirtutibus & prodigijs & signis quæ fecit deus per illum in medio uestri, sicut uos scitis, hunc definito consilio & præscientia dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemistis: quem deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat tene-ri illum ab eo.

Quemadmodum sit nomen domini inuocandum nunc audite uiri Israelitæ, & quod reliquum est huius orationis diligenter auscultate. Plerique nouistis Iesum Nazarenum, quem uirum deus olim omnium prophetarum oraculis promissum exhibuit uobis, eumque uobis commendauit multis ac magnis miraculis ac prodigijs, quæ per illum gessit in conspectu uestro: siquidem diuinitas eius per uagata est non solum per uniuersam Iudæam, uerumetiam ad nationes & ciuitates finitimas. Quoniam autem ipse peragrauit totam hanc regionem, ubique uerbo sanans ægros, restituens debiles, illuminans cæcos, mundans lepro- sos, eiciens dæmones, suscitans mortuos, plerique uidistis quæ narro, nihil horum gestum absque diuino consilio. Sic uisum est deo seruare mundum, mundum talem quum accepissetis, non casu aut fortuito, sed ex certo dei consilio & præscientia traditum in salutem Israeliticæ gentis, per manus impiorum militum suffixistis in crucem & occidistis. Siquidem milites nihil aliud erant quam ministri facinoris: cæterum occidit quisquis ad mortem adigit. Res apertior est quam ut negari possit. Hunc à uobis interfectum, ita uolente deo qui æterno suo consilio tradiderat occidendum, idem iuxta prophetarum oracula tertio die eundem reuocauit ad uitam, ut quod in hoc factum esset uirtute diuina, idem sperarent futurum omnes qui crediderint Euangelio. Siquidem ille uoluntati patris obtemperans patienter & sponte tulit ignominiam crucis, tota fiducia salutis collocata non in humanis quibuscumque præsijs, sed in dei misericordia, & ideo per illum liberatus à doloribus mortis & inferorum, quos ut homo quidem gustare potuit, cæterum ut immunis ab omni peccato teneri uinciri que ab illis nullo modo potuit: mors enim ac tartarus non habent perpetuum ius, nisi in eos qui peccato sunt obnoxij. Proinde ut deglutire potuit illum mors, ita deuoratus reuouit Ionam. Deus igitur ideo uoluit innoxium hæc omnia pati, ut per illum nos omnes & à peccatis & à iure mortis redimeret, si modo totam fiduciam nostram ad exemplum Iesu Nazareni in deo collocemus. Quod autem in Christo capite gestum est, hoc idem subinde in membris quoque eius impletur. Nihil enim aduersi accidit pijs citra bonam domini dei nostri uoluntatem. Et aduersarij nec potentia nec sapientia sua quicquam mali inferre possunt, nisi definito dei consilio, quorum omnes numerati sunt pili: in circuitu enim timen- tium se deus angelos mittit, ut ipsos defendant: & ut alius Psalmus habet: Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis.

Psal. 116. e

Dauid enim dicit in eum: Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear: propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: in super & caro mea requiescet

scet in spe: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Notas mihi fecisti uias uitae, replebis me iocunditate cum facie tua.

Hæc uerba è Psalmo Dauidis iuxta rationem Hebræorum 16. sumpta sunt, ubi Dauid in sua persona omniumq; iustorum, maxime uero in persona Christi, qui caput est iustorum omnium, sic uaticinatur, & dicit, ipsum secundum hominem sic loquentem inducens, Prouidebam dominum coram me semper, Sentio quidem grauissimos mortis dolores, destitutus diuinitatis inhabitantis præsidio ad horam passionis & mortis: sentio, inquam, mortis crudelem tyrannidem in me sequere, & affectare meum interitum, certo tamen confido nunq; futurum, ut mors me captum retineat, ut alios homines, Siquidem semper habeo dominum ob oculos positum, cuius uerbum semper contemplor & cogito, cuius uoluntatem implere desydero: is mihi semper à dextris est, me sua semper defendit uirtute, cuius ego quoq; à dextris sum, ut impleat mihi quod est pollicitus, dum dixit, Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatē tuam, & possessionem tuam terminos terræ: et iterum, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, Donec &c. Promisit enim deus pater Iesu Christo filio suo, omnium gentium dominium, & uictoriam de omnibus aduersarijs suis, gloriam patri æqualem. A dextris itaq; dominus est, dum in afflictionibus succurrit, secundum illud, Cum ipso sum in tribulatione, dominus mihi adiutor, auxiliator, protector, petra, robur, saluator, scutū, cornu salutis, eleuator, et refugium: qui fieret ergo, ut commouerer, & in morte perirem? Ideoq; caro mea requiescet in spe. Etiam si corpus meum morti succumbat, non tamen peribit in morte, sed bona in spe requiescet. Quandoquidem & animam meā nō derelinques in inferno. Descendam quidem moriens ad inferna, ut plane perisse uidear. Sepulturæ quidem tradar, ut pro aliorum hominum conditione cōmuni esca ueribus futurus puter, sed nō putrescam, nunquam em̄ committes, ut sanctus tuus, ut filius tuus quem sanctificasti, qui te glorificauit obediētia crucis, qui sanctificatio creditibus constitutus est, iustitia & redemptio, ut corruptioni fiat obnoxius & putrefactioni. Quin potius, Notas mihi facies uias uitæ. Reduces de morte ad uitam, efficies ut tertia die resurgam ex mortuis. Nam apud te thesaurus lætitiæ est, in tua sita est potestate æterna felicitas & perfecta beatitudo. Quia igitur talia mihi beneficia es collaturus, ineffabili cor meum afficitur gaudio erga tuam liberalitatem, non possum nō esse gratissimus. Enarrabo lingua mea bonitatem tuam, nomen tuum & gloriam omnibus prædicabo, in medio ecclesie laudabo te. Vide si placet suo loco. Nos quoq; fideles & grati, si in Christum crediderimus, obsequiumq; ei dignum præstiterimus, cum ipso quoq; uere dicemus, Prouidebam dominum coram me semper, cum sequētib; dictis.

Viri fratres, liceat audenter dicere ad uos de patriarcha Dauid, quoniam niam & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos, usq; in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret quia iure iurando iurasset illi deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens loquutus est de resurrectione Christi, quia neq; derelictus est in inferno, neq; caro eius uidit corruptionem.

Fortassis erunt qui hanc prophetiam proprie ad ipsum Dauid pertinere suspicentur, non ad Iesum. Scio, inquam, quā magnifice sentiatis de patriarcha

Dauid, nec immerito ita sentitis. Fuit enim et ille sanctus, ac deo charus, & Christi domini typus in multis ualde, non autem in omnibus. Ut autem libere quod uerum est loquar apud uos uiri fratres, non tantum est tribuendum patriarchæ Dauid, ut illi quod est Messiaë ascribatur. Res enim ipsa loquitur, hoc uaticinium nec in Dauid nec in quenquam alium patriarcham aut propheta tam proprie posse competere. Siquidem id quod nemini uestrum ignotum est, Dauid defunctus ac sepultus est, nec unquam reuixit, quãdo sepulchrum eius est apud nos in hodiernum usq; diem, nihil aliud habes quã ossa defuncti exanima siccaq;. Proinde uaticinium hoc nõ de seipso prodidit Dauid, qui sciebat sese more cæterorum sepeliendum & corrumpendum in sepulchro iuxta corpus. Cæterum quã esset afflatus prophetico spiritu, neq; nesciret futurũ quod deus ipsi iureiurando confirmasset, uidelicet ut Christus tribui Iuda promissus dudum iuxta carnem ex ipsius Dauidis lumbis existeret nasciturus iuxta matris ministerium, ac iuxta spiritualem & mysticum secretumq; dei sensum sederet super thronum eius, regnaturus super totum Israel in æternum, præscia uaticinatus est de his, quæ nunc uidetis in Iesu Nazareno peracta, qui sine controuersia iuxta carnem genus duxit à stirpe familiaq; Dauid. Porro quum constet Iesum in hac uita nihil affectasse regni mundani, nec unquam sedisse in solio Dauid, sed extrema fuisse affectum ignominia, liquet aliud quoddam regnum fuisse promissum, cuius nullum esse finem pronunciant oracula prophetarum, nempe diuinum, spirituale, immortale, uniuersale, & cœleste. Non potuit ergo sedere in solio Dauid, si semel occisus nunquã reuixisset. Resurrexit igitur, & nunc sedet in solio Dauid, hoc est in maiestate potestatis perfectæ super omnes fideles Israelitas, maxime iuxta fidem & spiritum. Quod regnum accepit à patre sibi promissum ante sæcula, qui dominus est omnium quæ in cœlis sunt & quæ in terris. Hoc nimirum erat quod Dauid afflatus sancto spiritu prædixit, & quod prædixit hoc factũ est longe gloriosius quã sensus carnalis possit uel astimare uel concupiscere. Olim autem & propediem uidebitur, & nunc eiusdem regni & regis gloria innotescere incipit misso spiritus sancti admirabili dono, quod sentitis, magis autem credendo clariuscq; cognoscetis, & totus id quoq; mundus fatebitur.

Hunc Iesum resuscitauit deus, cuius nos omnes testes sumus. Dextera igitur dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc donum quod uos uidetis & auditis. Non enim Dauid ascendit in cœlum, dicit autem ipse: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Psal. 109. 4

Quanquam anima Iesu descendit ad inferos, nõ tamen illic detenta est, sed detentas potius liberauit: ita corpus illius tamen sepulchro conditum est exanimam ab inferis reuocatam restituit in corpus. Huius rei nos omnes quos hic uidetis adstantes, testes sumus, qui familiariter cum eo uiximus, qui frequenter ab illo audiuius, quod et crucifigendus esset iuxta prophetas, & tertio die resurrecturus. Mortis & spectatores & auditores nos fuimus, resurrectionis testes nos sumus, quibus frequenter apparuit, non solum uisus & auditus, uerum etiam manibus contrectatus: agnouimus uocem, agnouimus faciem, uidiuus & contrectauimus uestigia uulnerum, deniq; cibum unã nobiscum cepit, ut uerum et idem corpus esse sciremus, quod conditum erat in sepulchro. Itaq; qui

qui per homines deiectus erat usque ad extremam ignominiam, hunc deus extulit in fastigium cœlestis & æternæ gloriæ, quam olim patefaciet uniuersis hominibus in fine mundi, nunc interim uirtutem diuinam apud uos exerens, occulta uirtus spiritus sancti, quam à patre nobis promiserat quum adhuc ageret in terris. Hunc reuersus in cœlum, illinc nobis largiter effudit iuxta prophetiam Ioselis, & hinc est illud miraculum uobis insolitum, quod uidetis & auditis nos loquentes linguis, quas uos ex diuersis linguis conflati pariter intelligitis. Porro quemadmodum prophetia resurrectionis non potest accipi de Dauid sicuti docuimus: ita quod de ascensu in cœlum, deque confessu ad dexteram dei patris, deque regno perenni prædictum est, non potest ad Dauid pertinere, quemadmodum ipsi pharisæi confessi sunt cum domino disputantes. Neque enim Dauid unquam ascendit in cœlum rediuiuus, & tamen ille spiritu prophetico afflatus sic loquitur in Psalmo mystico: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, &c. Itaque palam est in hac prophetia, sermonem esse dei patris, qui Iesum filium Dauid iuxta carnem, dominum iuxta spiritum & diuinitatem euexerit in cœlum, & ut regni consortem sibi assidere iusserit. Quid est enim Sedere à dextris dei aliud quam in cœlos ascendere, cœlos penetrare, super omnes cœlos euadere, omnia implere omnipotentia sua, adeoque æqualem deo patri honorē gloriā & maiestatem possidere: quæ de Dauide uerificari non possunt, sed de domino Dauidis filio Messia promisso, saluatore electorū omnium. Manifeste ergo Petrus ex hoc Psalmo docet Christi regnum, non terrenum sed cœleste, Vtranque naturam eius euidenter astruit, humanam quæ de Dauid, diuinam secundum quam est ad dextram patris, in una Dauid filius, in altera eiusdem est dominus: unde & subiungit.

Certissime ergo sciat omnis domus Israel, quia & dominum eum & Christum fecit deus, hunc Iesum quem uos crucifixistis.

Pro comperto itaque habeat uniuersa gens Israelitica, quæ patriarcharū promissiones & prophetarum prædictiones ignorare non debet, & Messiam tantum iam tempore expectat, & hoc tempore credit uenturum iuxta Danielis calculum à Gabriele dictatum, quod deus hunc Iesum Nazarenum filium Dauid, quem uos sustulistis in crucem, euexerit ad regnum cœleste, quodque illum exhibuerit et dominum uniuersorum, & Messiam, hoc est unctum illum regem fidelium, & totius domus Israeliticæ, omnium colentium unum deum, uerum deum Abraham, Isaac, & Iacob: quem uos Dauidis filium nomine Messie tot sæculis promissum à prophetis, hætenus & in hoc tēpus expectatis quidem, sed quum tot portentis & saluberrimis miraculis & sanctissima doctrina uobis innotuisset, odire cœpistis, & ex odio innocentem crucifixistis, Cuius in uos innocētis sanguinis reatum & uindictam sponte suscepistis, & in posteros uestros coram iudice iudicante illum innocentem & dimittendum. In ipso impleta sunt, & clare uidebitur illuxisse uobis quicquid unquam maioribus de uenturo Messia promissum legistis in lege & prophetis, quem nos prædicando testamur resurrexisse à mortuis, ascendisse in cœlum, ostendisse maiestatem mittendo spiritum sanctum, cuius in nobis dona insolita perpendere potestis, uidentes & audientes quæ loquimur. Hæc prima est Petri publica contio, in qua breui quodam compendio nobis ob oculos ponit articulos fidei Christianæ de domino nostro Iesu Christo, quem dicit à deo in hunc mundum missum, passum à Iudæis, mortuum & sepultum, ad inferos descendisse, & rediuiuum resurrexisse ex mortuis, ascendisse in cœlum, sedisse ad dexteram dei patris omnipotentis, & donum spiritus

sancti inter homines effudisse, quo per fidem assequimur peccatorum remissionem & salutem aeternam.

His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos apostolos: Quid faciemus uiri fratres?

Hæc insignis memoranda & fideliter expendenda fidelibus Petri oratio, terrorem iniecit animis auditorum, suavit & persuasit ex artificio non oratorio, sed diuini spiritus instructa, qui ubi uult spirat, & corda mouet electorum. Erant certe sibi conscij quod apud Pilatum improbe clamassent, Crucifige, crucifige eum, Tolle, tolle, dimitte nobis latronem Barrabam, Christum occide: & iam agnoscunt ex prophetia datum illi regni consortium ad dexteram patris, cuius nunc experiuntur uirtutem & potentiam, donec omnes inimici eius subijcerentur scabbello pedum eius. Ultorem ergo metuunt iam regnantem, quem ex odio occiderant beneficientem. Est autem hoc initium salutis, agnoscere culpam, & formidare commertam poenam. Itaque corde compuncti, dicunt Petro ac reliquis apostolis: Quid faciemus uiri fratres? Bene res habet, quum animus sibi male conscius non desperat, sed querit remedium. Dominus uero non absque causa sceleratissimos peccatores ad primam Petri contionem conuertit ad poenitentiam, ut nos quoque peccatores spem habeamus remissionis, & resipiscentiæ exemplum ex fide primo Petrus comonefacit admissi tanti criminis in Iesum: deinde explicat quis sit Iesus, Messias scilicet, et omnium creaturarum dominus & rex, ad dexteram dei residens. Audientes igitur homicidæ crimen & agnoscentes, compunguntur corde, terrore maximo afficiuntur. Id quod quisque secum coniectare potest, qui magni criminis sibi conscius est, & immensos conscientie terrores ferre cogitur. Cain fratricidam perpetuus terror insequutus est. Parricidas furor & amentia sæpe exagitat. Iudam proditio coegit ad laqueum. Dauidem qualia tormenta in conscientia diuexarint perpetuo, abunde testantur Psalmi. Quantos uero horrores putemus fuisse in illorum cordibus, qui se agnoscebant iam reos homicidij Messiae et filij dei? Atqui terrores huiusmodi communes sunt pijs et impijs, in medendis autem conscientie terroribus maxime distinguuntur. Impij enim desperant, dei bonitatem non credentes, Christi merita ignorantes: pijs conuertuntur per fidem ad dominum, a quo querunt suorum terrorum remedium, unde & hic Petri auditores querunt: Quid faciemus fratres? Non quidem omnes quoque donum per ministerium uerbi acceperant, qui ad uitam præordinati erant. Non pontifices & pharisæi, qui inde peiores abibant.

Petrus uero ad illos: Poenitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum uestrorum: & accipietis donum spiritus sancti. Vobis enim est repromissio, & filijs uestris, & omnibus qui longe sunt, quoscunque aduocauerit dominus deus noster.

Hic Petrus mansueti pastoris imaginem exhibens, quid facit? Non fauit conuictijs, non exaggerat admissum, non repellit ac differt, non prescribit uictimas & holocausta, sed compunctis paratum ostendit remedium, nihil distinguens inter eos qui Iesum crucifixerant, & inter eos qui non consenserat impio facinorari: nullus enim eorum erat a peccato immunis. Ait itaque: Poeniteat uos uitæ prioris, & tingatur unusquisque uestrum aqua in nomine Iesu Christi, & huius gratia

tuito beneficio dabitur uobis remissio omnium peccatorum uestrorum. Deinde puris ac purgatis dabitur donum spiritus sancti, quod uidetis effusum in uos. Ne quis expendat sua merita, gratuitum est totum quod datur, tantum adsit fiducia simplex & sincera. Ad uos posterosque uestros peculiariter pertinet prophetia Iosephus, quos filios & filias, quos seruos et ancillas appellat. Credite promissori deo, & accipite gratis quod promissum est. Nec ad uos tantum, qui estis gentis Israeliticae, pertinet promissio prophetiae, uerum etiam ad omnes gentes, quae procul ad sunt, simul & a cognatione generis Israelitici, & a cognitione dei, quoscumque dominus deus noster ex sua bonitate dignabitur aduocare ad huius doni confortium. Indicauit & hoc prophetia subiiciens, Et omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Nec inuocat autem quisquis dicit, Domine domine, sed qui in huius misericordia spem omnem salutis collocat. Praedictum est idem ab alijs prophetis, fore ut Euangelicus sermo penetraret usque ad terminos orbis terrae. Mandauit & nobis dominus Iesus, ut uobis primum annunciareremus hanc gratiam, deinde gentes ad eandem uocaremus. Siquidem haec uocatio non est ex meritis hominum, sed ex gratuita benignitate dei.

Alijs etiam uerbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos, dicens: Saluamini a generatione ista praua.

His alijsque plurimis uerbis Petrus testificatus est illis de Christo, proferens testimonia prophetarum, & cum his conferens ea quae iam euenerant. Doctrinae addit exhortationem, quo magis extimulareret haesitantes, Agite fratres, inquit, amplectamini tam insignem tam obuiam dei erga uos benignitatem. Nostis querelas omnium prophetarum de peruersitate & duritia gentis Iudaicae, qua semper se praebuit rebellem domino deo suo, atque huius ministris ad salutem ipsorum missis. Quoties restitit Mosi: quot prophetas occidit: quoties suis sceleribus prouocauit iram dei: Unde iure domus exasperatrix appellatur, ac uitis conuersa in amaritudinem, quae pro dulcibus uuis dedit cultori suo labruscas. Questus est idem Ioannes, appellans illam progeniem uiperarum. Neque raro idem questus est dominus Iesus, offensus inuincibili peruersitate multorum, qui uidentes non uidebant, audientes non audiebant, intelligentes non intelligebant. Salutaris doctrinam aspernabantur, beneficia miraculorum tribuebant spiritui Beelzebub. Proinde nationem peruersam appellauit & incredulam, cui filius exitium denunciauit, quae caederet, occideret, lapidaret, crucifigeret omnes a deo missos: maxime uero ex eis pharisaeos, pontifices, sacrificulos, sacerdotes, qui longe aliam iustificationis & remissionis peccatorum uiam populo inculcabant, quam Petrus modo a spiritu sancto edoctus & nup Christus edocuerat. Traditiones humanas tantum crepabant, lotiones, sacrificia, oblationes, prolixas orationes, ieiunia, tanquam opera satisfactoria pro peccatis, interim de fide Abraham, de fiducia & poenitentia Dauidis, de promissione benedicti seminis, in quo deus omnibus gentibus benedictionem promiserat, nihil dicebant, sed oblatam abiecerunt. Docuit Petrus aliam iustificationis rationem, Christum agnoscere, peccata odire, dei gratiam implorare, in Christum credere, signaculum filiorum dei & remissionis peccatorum, & mortificationis baptismum suscipere in nomine Christi, ut sic fide in Christum iustificati & purgati accipiant & ipsi donum spiritus sancti. Tales nostros quoque pharisaeos & sacerdotes docemur agnoscere & fugere, qui per manuum opera remissionem peccatorum docent, auriculari confessione, missarum celebratione, prolixis orationibus, ieiunijs, & peregrinationibus ad sanctorum limina &c. Contra quos hodie quoque Petrus loquitur, ut dicat: Subducite uos

fratres ab imminente uindicta dei, exiite huiusmodi peruersitatē pharisaicam; quæ dum suam tuetur iustitiam, impie rebellat iustitiæ dei. Per fidem ac simplicem obedientiam parata uobis est omnibus salus æterna. Tum demum eritis ueri Israelitæ, tum eritis ueri filij Abrahamæ, tum eritis fideles Iudæi, si Messiam et regem uestrum in cœlestibus regnantem, & pro peccatis mundi intercedentem agnoueritis. Eximite uos à generatione ista carnali & praua, quæ per suam incredulitatem perire matuit quàm seruari. Vos renascamini in nationem spirituales ac cœlestes, quæ seruantur per fiduciam erga Iesum.

Qui ergo receperunt sermonē eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria milia.

Hæc nimirum erat eloquentia piscatoris, non ex præceptis rhetorum comparata, sed cœlitus infusa, & ideo potēs & efficax. Hic erat ille gladius, qui pertingit usq; ad dissectionem animæ & spiritus, cuius acie compuncta sunt corda fidelium Iudæorum. Hic est primus iactus retis, quo piscator hominum traxit copiosam multitudinem. Hoc erat semen ubiq; spargendum Euangelici sermonis, quod iuxta doctrinam Iesu nō descendit in animos omnium, & tamen hic protinus reperit terram bonam, quæ fructum ædidit millenum, & tamen hic nimirum sunt Euangelici prouentus felices primitiæ. Res noui testamenti hic quoq; congruit cum figura ueteris. Moses quinquagesimo à paschate die iussit celebrari primitias, hic quinquagesimo die non spicarum sed animarū primitiæ domino cōsecrantur. Iam aqua per doctrinam ac fidem purgat ab omnibus peccatis, iam haustus erat cœlestis ille spiritus. Nūc consydera quid agat in illis spiritus diuinus: nec enim est otiosus quum sit igneus. Data est gratis innocentia, gratis data est spiritus sancti gratia. Superest, ut curemus ne quod gratuito largitus est deus sua bonitate, nos nostra incogitātia perdamus. Hæc rudimenta sunt Euangelicæ pietatis, hæc est uelut infantia primæ regenerationis in Christum. Quod hactenus traditum est, doctrinæ lac est, proficiendum est ad solidum cibum. Vtrunq; cibum debent habere paratum Euangelici pastores: sic enim mandauerat illis dominus: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, & philosophiæ rudimenta, quibus nisi quis crediderit, frustra tingitur aqua. Docete baptizatos, ut iuxta doctrinam meam uiuentes semper ad perfectiora fidei acceptum, cui adiectum est baptismi signaculum. Nunc uideamus quos fructus noua illa fides Euangelio habita, & donum spiritus sancti per fidem acceptum proferat uel protulerit in renatis.

Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum, & communitate, fractione panis, & orationibus. Fiebat autē omni animæ timor:

Qui se iunxerant numero discipulorum, perseverabant in doctrina apostolorum. Nam hinc profectus est uberrimus, atq; in sumendo symbolo fœderis nunquam rumpendi, quod illi communionē uocabant, id à domino traditum erat huiusmodi. Frangebatur panis, & ex eo cuiq; dabatur particula, atq; hoc agentes in memoriam dominicæ passionis agebant gratias diuinæ benignitatis, qui per unici filij sanguinem ipsos expiasset à peccatis, qui per eiusdem indubitam mortem ipsos cooptasset in hæreditatem uitæ æternæ. Addebant puras preces, quibus rogabant, ut regnum domini Iesu indies latius propagaretur, ut illius

ut illius gloria per uniuersum mundum inclaresceret, ut illius uoluntati ubiq; obtemperaretur, ut qui fidem Euangelicam semel essent professi, sacra doctrina cœlestiq; gratia quotidie proficerent ad meliora, atq; ita concorditer inter ipsos uiuerent, pacem habentes cum fratribus, ignoscentes iniuriam, si quid esset per humanam fragilitatem admissum, pacem habentes cum deo, qui se misericordem præbet ijs qui se misericordes exhibent proximo, ut quotidiano numerinis auxilio confirmati subsisterent aduersus omnes satanæ incursus, donec post longa certamina daretur æternum præmium. Hæ tum erant uictimæ & sacrificia Christianorum. Miraculum autem linguarum, Petriq; tam uuida exhoratio, tot hominum subitanea mutatio, tanta uitæ nouitas, efficiebāt, ut iam timor quidam corripere animos omnium sibi male conscios. Perspiciebant enim rem non esse conspirationis humanæ, sed uirtutis cœlestis. Siquidem apostoli non solum loquebantur omnium linguis, uerumetiam multa prodigiōsa miracula patrabant, unde & dicitur.

Multa quoq; prodigia & signa per apostolos fiebant in Ierusalem, & metus erat magnus in uniuersis.

Inuocato per apostolos nomine domini Iesu multa fiebant miracula Hierosolymis, sanatis morbis, profligatis dæmonijs, & mortuis excitatis. Hic metus ingens magis etiam occupauit animos omnium. Erat hoc aliquod initium resipiscentis populi, sed ante omnia spiritus ille cœlestis mutuam beneuolentiam & concordiam gignebat in omnibus quos afflauerat. Nimirum hoc peculiari signo Iesus iusserat agnosci suos discipulos, si mutua charitate conglutinentur. Talibus notis tunc manifestabantur Christiani, renati recens ex Euangelica apostolicaq; doctrina. Hodie non alia re pleriq; probare solent fidem suam, quam fingentes tamen non habent, quàm esu carniū sextis ferijs, neglectu precum, contemptu ieiunij, & totius propemodū religionis fastidio: cum germani fructus sint, mortificationes omnium sensuum, odium concupiscentiæ, auaritiæ, iræ, indignationis, maledicentiæ, turpiloquentiæ, mendaciij, inuidiæ, ut induamus uiscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, & super omnia charitatem, his rebus testanda fides est Euangelica, & profitenda, ut faciant credentes certam uocationem suam, ut morum sanctitate nomen domini & Euangelica doctrina glorificetur. Caterum cum tantæ rei & doctrinæ nouitas omnes homines in Ierusalem attonitos redderet, magna formidine comprehendebantur, ne quicquam aduersus Euangelio credentes auderent, aut malij quippiam inferrent, Domino sic operante, ut omnes tam uulgus quàm magistratus reuerentia & maiestate illius populi, qui ex Euangelio renascebantur, à uiolenta persequutione ab initio deterrerentur. Fecit hoc dominus, ad significandum omnes eos mundo formidabiles futuros, qui uocationem diuinam fideliter sectarentur. Ad id accedebant prodigia multa & signa, quæ per apostolos ædebantur, donec Euangelij maiestas uenerabilis & probata redderetur pro omnibus sæculis futuris. Quo nunc comprobato & confirmato Euangelio nemo miracula requirat. Si quis uero miraculorum cupidus est & exactor, producimus ei miracula ab apostolis gesta, quibus credimus, quandoquidem qui talibus non credit, nec nostris miraculis fuerat unquam crediturus. Sequitur:

Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias uendebant, & diuidebant illa omnia.

nibus, prout cuiq; opus erat.

Quotquot crediderant Euangelio, frequenter aggregabant sese in unum locum, non ut in una domo habitarent tria milia Christianorum, qui iam crediderant, sed conueniebant plerumq; mutuis colloquijs sese consolantes & exhortantes. Multi iam erant, & quotidie augebantur, citraq; delectum personarum admittebantur omnes, qui credebant ex animo Christo, iuuenes, senes, foeminae, uiri, serui, liberi, pauperes, diuites, sine cuiuscunq; iniuria uel damno. Tanta uero concordia tam dispares copulabat Christi charitas insita cordibus eorum, ut quod inter germanos quoq; rarum est, omnia haberent inter ipsos communia. Quoq; paratior erat uel esset inter omnes communicatio, quibus erant praedia alienae possessiones, eas, ut absq; aliorum grauamine concordarent, diuidebant, atq; ex pretio collecto impartiebant omnibus, prout cuiq; opus erat, ita ut nec egerent qui nihil possidebant, nec abundarent qui multa possederant. Sic autem largiebantur non quasi de suo, sed quasi de comuni. Nam uera charitas nescit rerum proprietatem: nec inter illos uidetur suae quisq; rei dominus, inter quos idem est animus. Vix autem illic incidere potest egestas, ubi quisq; paulo contentus est, ubi nemo otiosus est & prodigus, & ex communi singulis distribuitur, non pro libidine, sed pro necessitate. Nihil horum praescribent apostoli, sed ultrò praestabat charitas plus quam ulla lex Moysi ausa est exigere. Euangelica ergo paupertas non est, obmissis omnibus rebus proprijs & laboribus mendicare otiosum aliena, sed non esse auarum, non confidere opibus, non difficilem esse ad impartendum, diuitem esse in bonis operibus, recondere sibi fundamentum bonum in posterum, ut Paulus docet. Sic pauper erat Abraham Iob & Dauid, ac similes. Non est ergo necessarium, ut facultates uenditas in commune conferamus, sed ut auaritia & imposturas fugiamus, liberaliter pro uiribus pauperes adiuuemus, sicq; nostra omnia cum proximis communia habeamus.

Quotidie quoq; perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.

In templo quoq; dicato orationis loco quotidie magno animorum consensu perseuerabant, deprecantes orantesq; ut dominus & fidem & charitatem in ipsis aufereret, ut ecclesiam suam recens conditam conseruaret, & quod coeperat adhuc in paucis, in pluribus compleret, errantes in uiam reduceret, caecos corde lumine si dei donaret. Gratias quoq; agebant deo, ac mutua confabulatione semet exhortantes, aliosq; quoscunq; possent ad Euangelicum foedus allicientes. Deinde toto die talibus studijs peracto, per singulas domos frangebant panem, atq; inuicem capiebant cibum incredibili gaudio, ac syncerissima simplicitate cordis, collaudantes deum, cuius beneficio tantam fuerant gratiam consequuti. Hanc panis fractionem quidam putant fuisse dominicam coenam, quae quia tunc non in templo fieri potuerit, singulae domus singulae ecclesiae efficiebantur. Fieri certe id potuit, sed rationabilius est non alibi qm in uniuersali & comuni coetu mensam dominicam discipulos celebrasse. Id uero & in templo non minus fieri potuit qm epulae sacrae de pacificis sacrificijs, quae fiebant in loco sacro, maxime quod & infra 5. cap. fideles dicuntur unanimiter fuisse omnes in porticu Salomonis, quo in loco pro epulis sacris Sacramenta corporis & sanguinis celebrare, & coenam dominicam peragere potuerunt sine impedimento pro tempore, quando et ibidem additur, Caterorum autem nemo audebat coniungere se illis, sed magnificabat

gnificabat eos populus. Hæc ergo panis fractio uel in porticu Salomonis facta intelligi potest ut sacra fuerit, uel in priuatis domibus domesticatim, si quotidiana erat & eleemosynarū largitio, uel quotidiani uictus distributio, ne quis egeret uel mendicare cogeretur fidelium. Id & ueteribus non satis certum est habitum, qui interlineari glossa addiderunt ad panem explicandi gratia sanctū uel corporalem. Declinare tamen eo uidentur, ut templum fuerit locus sanctus orationi, & priuatę domus cōmunes fuerint uictui. Cum exultatione cibū sumebant, dominū hymnis & gratulationibus collaudantes, & in honorem ac memoriam magistri sic uiuidā ut & fructuosa fuerit ueluti Christo in ipsis uiuente & per gratiæ influxum manente in eis ad omnimodā sanctimoniam. Et simpliciter sine superstitioso delectu pharisaicoꝝ scrupulo in cordis unanimi charitate concordēs, gratias agentes deo, cuius beneficijs spiritualibus & corporalibus fruebantur. Apud uniuersam uero plebem erant fauorabiles & gratiosi. Quis enim non amaret homines innoxios, omnibus benefacere paratos, in quibus uidebant tantam dei uirtutem cum tanta modestia tantaq̃ lenitate coniunctam? Huiusmodi erat exordium ecclesię, & felicia auspicia gaudiorum spiritualium & concordię Christianę. Non potest non esse gaudium ubi est spiritus ille pacificator omnium. Non potest non esse gaudium ubi pura est conscientia, & certa de promissis Euangelij fiducia. Notanter autē addit Ad omnem plebem, quanq̃ & hoc quoq̃ figurate dicitur, omnes pro pluribus. Quādoquidem & pontifices magistratusq̃ cum pharisæis & scribis, sicut in perdendo lesu nusquam non adsunt, ita hic in felicibus auspicijs nascentis ecclesię nulla horum fit mentio. Quorum pars maxima in sua inuidia tabescebat, coacti uidere quod commode uitare uel impedire non poterant.

Dominus autem augebat qui salui fierent quotidie in idipsum.

Hoc est dominus apponebat eos, id est adaugebat quotidie in ecclesia numerum eorum qui salui fierent. Nullus quidem ad hoc contubernium coactus uenit, nulla uis continebat eos in fœdere Christiano. Sponte perseuerabāt, qui accesserāt, & dominus indies alios atq̃ alios suo trahebat spiritu, & uerbo prædicationis apostolicę, exemplisq̃ innocentissimę uitę, quos destinauerat ad salutem. Paulatim emergente grano sinapis, late suos ramos sparsuro per orbem uniuersum. Huius uero sententię ultimam dictionem Græci referunt ad sequens capitulum, quod & glossator ordinarius non obmisit, dicens: Ecce altera narratio sic incipit, In idipsum autē Petrus & Ioannes &c. ad hunc sensum, Quū dominus quotidie prædicantibus apostolis ecclesię fideles auget, ascende-
debant in templum &c.

CAPVT III.

Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum, ad horā orationis nonam.

Simul, ait, cum alijs Petrus & Ioannes duo proceres apostolici ordinis modo spiritu sancto donati & per fidem in Christum peccatorū remissionem consequuti, inq̃ Christo iustificationem suam possidētes certissime, ascendebant nullis equis aut mulis, nullo satellitio regio, multo minus papistico, in templum, dum alij ad publica conuiuia, ad spectacula publicorū ludorū ascendunt ad horam orationis nonam, cum alij ludere soleant ebrij uel dormire. Ad orationem ascendunt, primum, ut domino obedirent iubēti semper orandum; deinde, ut fides orationibus tanquam fomentis accenderetur: postremo, ut in

templum ubi erat magnus hominum conuentus ascendentes, occasionem caperent iterum prædicandi de Iesu Christo, gloriamque nominis eius illustrandi. Primus enim iactus Euangelicæ retis feliciter ceciderat, Omnem ergo lapidem mouet, omnem captat occasionem, ut denuo uerriculo prædicationis conclusos fideles effectos per dei gratiam ad nomen Christi pertrahat. Et ecce oportuna se ad id conficiendum offert occasio.

Et quidam uir qui erat claudus ex utero matris suæ, baiulabatur: quæ ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.

Sedebat pro templi foribus quidam populo notissimus mendicus, qui fuerat claudus ab utero matris. Tantum autem erat corporis uitium, ut à baiulis gestaretur. Huius calamitas, ut fit, multos alebat. Nam eum ad quæstum exponebant quotidie ad portam templi, quam uulgus Speciosam uocat, ut ab ingredientibus (nam hæc erat frequentissima) peteret eleemosynam. Hic autem pharisæorum & sacerdotum simul & magistratus negligentia monstratur. Cum enim lege dei præcipiatur, Omnino indigens & mendicus non erit inter uos: & ut lex ista obseruari possit, ordinauerat dominus de decimis pauperum, tertio anno in usum aduenarum pupillorum & uiduarum. Id uero nihil curabat, hoc solum agebat, ut mentha & cyminum, hoc est omnia tam magna quam minima recte decimarentur. Quæ uero ad usum pauperum ordinata erant, ea pro sua libidine ad ornatum templi, ad urbes muniendas, & ad ciuiles usus transferebant. Vnde impleta est mendicis ipsorum regio, argumentum & signum propinquitatis diuini secundum legem. Sed & nostræ regiones impletæ mendicis, ostendunt propinquum dei iudicium imminere nobis ingratis & immorigeris, pauperumque oppressoribus. Quia autem communi Christiani orbis & magistratus consensu ciuilis contractus factus est de decimis, nulli priuata temeritate licet conuellere huiusmodi ordinationem, dum tamē interim pauperibus secundum legem digne prospiciatur, ne uel numerus augeatur otiosorum, uel pauperes & infirmi sua necessitate priuentur. Vbi sunt mendicantes argumentum est nullam dignam haberi curam egenorum. Vnde & dominus maledixit huiusmodi regionibus & populis multipliciter.

Is cum uidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet.

Habet suum ingenium mendicitas, nouit eos qui templum ingrediuntur, aut sic esse affectos, ut libenter dent eleemosynam, iam proposito pietatis & deo gratificandi affecti, dum sciunt dominum non exaudire misericorditer orantes, nisi & ipsi proximos indigentes exaudire clementer uelint, idque non ignorari ab omnibus: aut sic affectos uideri uelle, uel erubescere, si non benefaciant indigentibus dum possunt. Sic enim persuasum habent mendici, non esse locum & tempus oportunitus homines ad eleemosynam compellendi quæ dum ingrediuntur sacra ad dominum inuocandam. Is ergo mendicus & claudus ubi uidisset Petrum ac Ioannem ingressuros templum, comitatus autem indicabat illos esse alicuius pretij, & uultus ipse benignitatem præ se ferebat, petebat ab eis eleemosynam.

Intuens autem eum Petrus cum Ioanne, dixit: *Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.*

Hic spiritus sanctus submonebat apostolos adesse tempus ad eundem miraculum. Itaque Petrus unam cum Ioanne defixis in claudum oculis, id quod subindicat affectum

affectum pium & serium Petri erga pauperes. Docetq; hic spiritus quid deceat contionatorem & ministrū uerbi dei. Hæc enim propria duo sunt officia apostoli seu episcopi, pure docere uerbum dei, & gerere curam pauperum, nō contemptim transire, sed attente respicere & perquirere indigentes, ad Galatas 2. Tantum ut pauperum memores essemus. Aspice, inquit, Petrus in nos, uolens nimirum hac iussione attentum reddere mendicum, ut probe aduertat unde, quomodo, & quo nomine ei contingat sanitas, ut postea sciat cui gloriam dare & beneficium acceptum ferre debeat. Ad hunc ergo apostoli intuitum, & ad hanc uocem factus alacrior mendicus, intendebat oculos in illos, sperans futurum, ut aliquid ab illis acciperet. Stipem flagitarat, stipem expectabat, integritatem membrorum non ausus est emendicare, quia non sperabat illos posse dare, & tamen animus illi nescio quid bonæ rei præfagebat, sic illum domino excitante, qui ad sui nominis gloriam hunc illo tempore hoc loco non per ipsum dominum in humanis agentem, sed per apostolos in Christi nomine sanandum decreuerat præuidentia sua, qua cuncta subordinat hominum facta ac uerba, instituta & euentus.

Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.

Tum Petrus magnificam illam & uere summo Christi uicario dignam uocem ædixit, dicens: Argentum & aurum quod tu expectas non est apud me, quod autem non ex meo, sed cœlesti benignitate ad manum est, quoq; tu magis egēs, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula. Hic omnium maxime obseruanda potentia nominis Christi, hoc est uirtus potentia & maiestas Christi, ad cuius inuocationem continuo fit quod promittitur ingens miraculum. Nihil enim aliud Petrus intendit suis uerbis quam ut dicat, Ipse Iesus Christus uel diuina ipsius potentia efficiat ut surgas & ambules. Christus enim solus, ut in terra habuit potestatem remittendi peccata, sic eadem hic inuocata à Petro claudum sanat. Non quod hæc corporea uox humana & creatura tantum egerit, & robur administrarit, sed dei omnipotentia qua omnia geruntur tam naturalia quam miraculosa. Quod autem dicit, Quod habeo, non sine magna humilitate dixit, sciens sibi in hoc minime gloriantum, quasi nō à Christo acceperit, & ad eiusdem nutum uoluntatem & gloriam dispensandum ad salutem credentium, Christum proprie nominat Nazarenum, quod nomē iam glorificatum erat à cruce, & odibile impijs pharisæis, cuius uim & potentiam nunc sentire uel inuiti debebant, quo desinerent tam gloriosum persequi, uel eius uirtutem suo extremo malo experiri. Surge dicit & ambula, plenam salutem ostendens in his duobus; ambulatio enim sanitatis probatio erat.

Et apprehensa manu eius dextra, alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ. Et exiliens, stetit, & ambulabat: et intrauit cum illis in templum ambulans & exiliens, & laudans deum.

Sine mora protinus consolidatæ sunt plantæ eius ac tali, sic ut non ægre assurgeret ad porrectam manum apostoli, sed exiliens confisteret pedibus suis, & ambularet quocumq; uellet. At ille lætus tam insperato beneficio, unā cum apostolis ingressus est septa templi quod uulgus ingredi consueuerat, ambulans alacriter, ac præ gaudio saliens ac gestiens, deumq; laudans unde nouerat hoc beneficium esse profectum. Dei enim beneficia cælare, ingratitude est: homini uel cuiuscumq; creaturæ ascribere uel elementis, impietatis est. Consilio autem

dei factum est, ut per istud miraculum, non homines apostoli, minime uero Petrus, qui Christum iuramento & execratione negauerat præ reliquis apostolis, sed nomen Iesu Christi Nazareni & eius doctrina Euangeliumque glorificaret, & illustraretur, diuinaque Christi potentia, cuius uirtute miraculum istud factum erat, non merito uel iustitia Petri. Sic enim eligit dominus imbecillia in mundo ad sua gloriosa facta, ut non gloriatur coram illo ulla caro. Itaque quo quisque abiectior est apud magnos & contemptior, hoc magis confidat quod deo curæ sit pauperum ac humilium patrono, per quæ gratia dei illustretur. Quin & claudus iste quadragenarius, deo & hominibus inutilis uidebatur, necesse habens à baiulis tantopere baiulari, ob paupertatem mendicare, nullo diuino ministerio aptus, sed proximis molestus, sit tamē tam inutilis homo tandem Christianæ ecclesiæ tam commodus & utilis, ut per ipsum nomen Christi quo sanitati restituitur gloriosissimum fiat, ut multi hoc moti miraculo fidem Christianam amplectantur. Proinde ex hoc mendico discamus, neminem quantum uis abiectum contemnere, neminem fastidire: etsi enim quispiam nobis uideatur inutilis, deus tamen nouit quid per eum suo tempore boni promouere destinauerit. Discamus denique de deo bene confidere in prolixis nostris calamitatibus. Nemo enim qui in deum credit, & bonitati eius per Christum fidit, pude fieri poterit.

Et uidit omnis populus eum ambulans, & laudans deum. Cognoscebant autem illum quoniam ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad speciosam portam templi, & impleti sunt stupore & extasi in eo quod contigerat illi.

Totus populus qui frequens aderat in templo, multo tempore conspicatus est hominem à baiulis gestari solitum, nunc ambulans alacriter suis pedibus ac laudans deum. Agnoscebant autem illum omnes esse eundem hominem, qui quotidie solitus esset sedere ad portam speciosam mendicandi gratia. Vident subito mutatum, audiunt agentem deo gratias. Quibus ex rebus uehementis quædam admiratio stuporque corripuit animos omnium. Ambulabat frequenter, ut & agnosceretur, & pro tanto miraculo deus glorificaretur, & Petri prædicatio celebrior & admirabilior haberetur: ad hoc enim seruiunt uera miracula, ut uerbum domini & prædicatio Euangelij certius credatur, & à pluribus commendetur. Gratiarum actio necessaria est pro acceptis cœlitus omnibus beneficijs. Nō poterat ignotus haberi, qui ab utero matris claudus agebat quadagesimum annū. Non mirum si admiratae sunt turbæ tantū miraculū, quod clarius erat quam ut ab aliquo posset inficiari. Fide potius quam extasi & stupore impleri debebant: audientes in Christi solius nomine, quem crucifixerant, tanta sanitatis gratia hunc affectum manifestissime. Patet hic ingenij humani stupor, inscitia, & uecordia, quibus à satana dementatur. Quoties antea uiderant Iudæi Christum multo maiora miracula operantem, nunc à natiuitate cæcum illuminantem, paraliticos subito sanantem, leprosos curantem, mortuos suscitantem: horum omnium nūc ex stupore oblitū miraculum hoc in extasim capiunt, & stupore maximo & cum admiratione obstupescunt. Petrum & Iohannem stupidi aspiciunt, contemplantur, & admirantur, hoc quicquid erat miraculi illorum potestati aut uirtuti uel iustitiæ imputantes. Atque ita palam significant se nihil aliud sapere quam quod sensibus percipiunt, iudiciaque ipsorum eò tantum inclinare, quò præsens rerum euentus inclinatur. Unde cum Christi

stus exerceret miracula, admirabantur ut diuinū hominem, à pharisæis autem captum, & quasi potentia & uiribus destitutum, ut abiectissimum latronem ad crucis supplicium postulauerunt. Denique præsens miraculum quod coram cernebant, non Christo sed apostolis tribuebant. Sic Christiani quoque sanctorum uera nonnunquam miracula non ad diuini nominis gloriam amplectebantur, sed in admirationem sancti assurgentes, sanctum inuocant & adorant. Sicut solis lunæque beneficium non optimo maximo Gentes tribuebant acceptum, sed creaturis illis, sic satana illudente mundo.

Cum teneret autem Petrum & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellabatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populum:

Quum uiderent Petrum & Ioannem, qui tum ut apostolorum primores plerisque innotuerant; nam his adhærebat qui fuerat claudus, & per hos sibi contigisse prædicabat sanitatem, factus est totius populi concursus ad illos. Erant autem in porticu quæ dicitur Salomonis, in qua solitus est uersari Iesus, uerus ille Salomon, in qua nonnunquam disputarat cum pharisæis. Rei nouitas omnium animos perculerat. Petrus igitur animaduertens Iudaici uulgi stuporem in concionem prodit, oratione sua uecordiam illorum correcturus, exhortatur quoque, ut resipiscerent, & causam tanti portenti non ignorantes, in nomen Christi domini credant, ut per ipsum salutem consequantur.

Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra uirtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?

Cur, inquit, uiri Israelitæ, super hac re tantopere uos habet admiratio, quasi uobis sit infrequens ac rarum uidere miracula, aut quasi non maiora uideritis superioribus temporibus? Nos uero cur intuemini, quasi nostra uel uirtute uel pietate sit effectum, ut hic claudus uobis omnibus notus nunc ambulet? Non est humanum negotium quod geritur, neque nouum est quod uidetis, sed olim per prophetas uestros à deo promissum. Nos homines sumus, non ualentes ad staturam nostram uel unum addere cubitum, non possumus efficere, ut ipsi simus ab ægritudine tuti, quomodo ergo possemus nostris uiribus tot annis claudum sanum reddere? multo minus nostra iustitia aut meritis effecimus, ut nuper claudus nunc ambulet. Nolite ergo stupidi Iudæi nostræ uirtuti acceptum ferre hoc tantum miraculum, qui ingenue fatemur, nihil prorsus in hoc opere nostræ industriae dandum aut adscribendum iustitiæ. Deus est qui propter Christum suum per nos sua organa hæc sua non nostra uirtute peregit. Ei soli debetur laus & gratiarum actio.

Deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob, deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum quem uos quidem tradidistis & negastis ante faciem Pilati, iudicante illum dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis uirum homicidam donari uobis: autorem uero uitæ interfecistis, quem deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nominis eius hunc quæ uos uidistis & nostis, confirmauit nomen eius, et fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium uestrum.

Vos religiose colitis deum Abraham, deum Isaac, et deum Iacob, quos gloriamini uos habere patriarchas ac generis authores, sed huius dei à patriarchis

culti filium ad uos uestræ salutis causa missum, humili specie, quo magis eum amplecteremini, similem uobis factum affecistis extrema contumelia. Caterum ille filium suum humana malitia deiectum sua uirtute glorificauit, ut multis alijs modis ita hoc quoque factum per illum sub oculis uestris ædedit innumera miracula, docuit cœlestem doctrinam. His tantis beneficijs uos nihil commoti, post multas contumelias tandem tradidistis illum in manus impiorum, ut occideretur. Quumque Pilatus homo Ethnicus & à cognitione legis & cognitione patriarcharum alienus, pronunciaffet illum absoluendum ut regem uestrum, ut uirum sanctum & iustum, uos qui ex prophetis debebatis illum agnoscere, palam & constanter abnegastis eum apud prætorium præsidis, dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem. Tantoque odio seruisistis in illum, ut malueritis ad uestram postulationem uitam donari Barrabam latronem & seditiosum, qui uitam alijs abstulerat, quam Iesum, qui uitam omnibus adferabat. Homicida impetrastis uitam, authorem ac principem uitæ immortalis ad mortem adegistis. Sed hunc à uobis interfectum deus author omnis uitæ reuocatum à mortuis donauit immortalitate. Cuius rei nos testes sumus, quibus sese rediuuium exhibuit conspiciendum, audiendum, & contrectandum, quem & in cœlum uidimus ascendentem. Præcessit humilitas, quam uestra omnium causa assumpserat: nunc subiectus in gloriam à patre, uirtutem suam exerit per nos, qui nihil aliud sumus quam testes eorum quæ uidimus & audiimus. Ac per fiduciam quam habemus in nomine eius, hunc quem uidetis ambulans ac nouistis fuisse claudum natum, deus restituit integris pedibus. Nihil hic nobis laudis debetur, neque nostris meritis tribuendum est, nec huius qui restitutus est, sed, ut dixi, deus nomen filij sui uoluit esse gloriosum apud omnes, in quo uult omnes suam ponere fiduciam & spem uniuersæ salutis. Hæc fiducia restituit huic ex natiuitate debili membris integritatem in conspectu omnium uestrum. Hæc non solum arguunt illum esse uiuum, quem putatis mortuum, uerum etiam declarant omnem salutis spem in illo collocandam.

Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes uestri. Deus autem qui prænuiciauit per os omnium prophetarum suorum pati Christum suum, impleuit sic.

Non est quod desperetis fratres, permissu consilioque diuino sic factum est. Peccatum uestrum aliqua ex parte excusat ignorantia humana: corporis enim imbecillitas obstabat quo minus agnosceretis illius diuinam potentiam, quam ne principes quidem uestri perfecte nouerant. Quam si prænouissent, nunquam induxissent in animum, omnis gloriæ principem in crucem suffigere. Sic expe diebat humani generis saluti, sic deus ab æterno definierat, sic per os prophetarum omnium prædixerat futurum, ut Messias quem redimendis uobis postremo missurus esset, extrema pateretur. Non est mendax deus, quem promiserat se missurum misit, quem uoluit occidi, sic ut uoluit occisus est. Hanc uictimam uoluit immolari pro peccatis omnium expiandis. Per uos immolata est, non sine culpa uestra, sed quæ sit remittenda, si modo poeniteat erroris, ita fiet, ut quod omnium bono peccastis uobis quoque cedat in bonum. Atrocissimum quidem peccatum est quod designatum est in Christum, non tamen ad mortem est, pro quo autore apostolo Ioanne non sit orandum, nec est in spiritum sanctum, ut sit irremissibile, siquidem commissum est in hominem, & per ignorantiam, quæ non quidem minuit magnitudinem criminis, sed argumento est esse remissibile, non

le, nō si rapte natura, sed per Iesum Christum, per fidem in ipsum. Vnde & pro aduersarijs illis Christus orauit in cruce pendens, dicendo: Pater, remitte illis, nesciunt enim quid faciunt. Et Paulus: Eram, inquit, blasphemus, persecutor & uiolentus, sed misericordiam adeptus sum quod ignorans fecerim per incredulitatem. Et de principibus ait: Si cognouissent, haudquaquam dominū gloriæ crucifixissent. Vt autem maior spes ueniæ aperiatur, addit Petrus, Deum tam bonum artificem ut pessimo ex hominum malo sciat perficere bonum optimum. Etenim per omnes prophetas retro sæculis prænunciatum est, Messiam Dauidi promissum, non regio fastu & præclara huius mundi pompa, sed humilitate, mansuetudine, contemptu, afflictionibus, contumelijs, conuictijs, flagellis, cruce & morte afficiendum.

Pœnitementi igitur & conuertimini, ut deleantur uestra peccata, ut cum uenerint tempora refrigerij à conspectu domini, & miserit eū qui prædicatus est uobis Iesum Christum, quem oportet quidem cœlum suscipere usq; in tempora restitutionis omnium quæ loquutus est dominus per os sanctorum suorum à sæculo prophetarum.

Facilis uobis est & parata ueniā, tantum pœniteat uos malefactorum, non huius tantum, sed omnium, & ad uitæ nouitatem conuertamini. Iesum quem prius negastis profiteamini regem ac principem uniuersorum, quem ut nocentem damnastis agnoscite omnis innocentiae fontem & largitorem, quē ad mortem adegistis credite immortalitatis authorem. Nunc ueniæ tempus est, prope rate interim ad pœnitentiam, & inuenietis misericordiam, ut quum denuo uenerit iudicaturus uiuos & mortuos, & pater quem semel misit humilem uestra causa, denuo miserit sublimem in nubibus, bona fiducia sustineatis faciē illius, quæ terribilis & intolerabilis erit his qui non egerint pœnitentiā. Ceterum qui interim credentes in nomen Iesu, quem & prophetae uobis ante multos annos prædicarunt, & nos iuxta prophetarum uaticinia de illo testificamur, pœnitentia deletis peccatis per fidem illi sese subiecerint, illic refocillationem inueniēt à iusto iudice, qui per pœnitentiā ac fidem in ipsum promisit salutem omnibus. Hactenus peracta sunt quæcunq; peragenda prophetae prædixerant. Nec dubitandum est, quin simili fide deus præstiturus sit & reliqua omnia quæ pollicitus est. Rediturus est Iesus Christus, at nō est statim rediturus. Oportet enim prius per uniuersum mundum prædicari dei Euangelium, interea ille gloriosus uiuit, sedetq; ac regnat in cœlis usq; ad tempus illud de quo prædixit Ioel & Malachias, quo restituentur & consummabuntur omnia perfectis cunctis quæ deus loquutus est per os sanctorum prophetarum suorum omnium, quotquot fuerunt à sæculo. Omnes enim de hoc uno uaticinati sunt futuro, per quem cœlestes & æternas sint consequuturi benedictiones omnes qui in Christum credant. Huiusmodi Euangelica prædicatione & peccatorum remissionis promissione Petrus ianuam regni cœlorum aperuit, clauē siquidem Euangelij. Etenim ianuam huiusmodi aperire, est peccatorum remissionem prædicare per Christum Iesum donandam credentibus. Estq; Christus ipse ostium ac ianuā regni cœlorum. Quam nos ianuam ingrediēmur, si primum turpitudinē peccati nostri agnoscentes pœniteamus, & in Christum dominum saluatorē nostrum plena fiducia credamus, tanquam in eum qui solus tollat peccata mundi. Subsequentur ilico digni quoq; pœnitentiæ fructus, opera uere bona. Extremi autem iudicij tempus, de quo hic loquitur Petrus, tempus uere dicitur refrigeri-

tionis, comparatione huius uitæ, quæ est ipsissima lachrymarum uallis, & calami tatum omnium sentina, et puteus infelicissimus. Quandoquidem nihil est in rebus humanis firmum stabile uel beatum, quando propter peccatum primi hominis maledicta est terra, & cum laboribus cibus comeditur, spinas et tribulos terra germinat. Tunc uero implebitur uere illud Esaiæ: Obluioni tradentur priora angustiarum, creabuntur cœli noui & terra noua, & Ierusalem cœlestis illa & solium gloriæ Christi dei & hominis ponetur gaudium & exultatio, in qua non audietur uox fletus uel clamoris, mors ibi ultra non erit, omnis lachryma abstergetur ab oculis sanctorum, ut non immerito tempus illud dicatur hic tempus refrigerationis & restitutionis omnium, siquidem tunc Christus perfecte omnia sic ordinabit, ut pii benedictionibus perfruantur, impij maledictionibus æternis subijciantur.

Deut. 18. 6

Moses quidem dixit: Quoniam prophetam suscitabit uobis dominus deus uester de fratribus uestris tanquam me, ipsum audietis iuxta omnia quaecumque loquutus fuerit uobis. Erit autem: omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe.

Mosis grauissima est apud uos autoritas, siquidem hoc duce reliquistis Aegyptum, peragrauistis desertum, accepistis legem. Atqui is uobis hunc Iesum Nazarenum quem occidistis promissit, ita loquens in Deuteronomio 18. cap. Prophetam excitabit &c. uide huius prophetiæ sensum suo loco. Agnoscite Mosis uaticinium, agnoscite uerum Mosen, agnoscite, inquit, Iesum Christum natum ex stirpe Dauid, ex tribu Iuda, in ciuitate Bethleem iuxta prophetarum oracula. Hoc duce deus uocat uos in libertatem æternam, per hunc desertum nouam legem spiritualem & Euangelicam, per hunc offert remissionem omnium peccatorum, ac salutem æternam. Hunc ab omnibus uult audiri: audit autem quisquis credit. Quicumque crediderit, saluus erit: quicumque recusat credere, eiectus est conditio nomineque Israelitarum, peribit irrecuperabiliter. Extra Iesum enim nulla est salutis spes. Si creditis Mose, amplectamini Iesum, quem ille uobis commendauit suo uaticinio. In Christum ergo credere, non est à Mose deficere, sed Mose si obsequium præstare, supplicium exterminiumque animæ effugere, ac ueram salutem consequi.

Et omnes prophetae à Samuele, & deinceps qui loquuti sunt, etiam annunciauerunt dies istos.

Nec Moses tantum de Iesu Nazareno Messia uaticinatus est, uerum & omnes prophetae, à temporibus Samuelis usque ad Ioannem Baptistam uaticinia prodigunt, describentes illius natiuitatem, doctrinam, miracula, afflictiones, ignominias, crucem, sepulturam, resurrectionem, ascensum in cœlum, emissionem spiritus sancti in uniuersos credentes, quorum nihil non uidetur esse factum, propagationem Euangelij per uniuersum orbem terrarum, dominique reditum gloriosum ad consummationem mundi. Sub Samuele primum cœperunt prophetarum scholæ, ante quem si quidam prophetae erant, nondum erant publice celebres, nec ordo prophetarum antea institutus, nondum erant discipuli prophetarum. Omnes ergo à Samuele propheta usque ad nostra tempora quoties prædixerunt benedictionem dandam per semen Abraham & Dauidis, toties ea significauerunt quæ his nostris temporibus impleta sunt in Christo. Adhuc quoties prophetae regnum & sacerdotium Messiae celebrarunt, & laudibus exornarunt, in hæc certe tempora respexisse conuincuntur, quibus uerus ille Messias Iesus

Iesus Nazarenus regnum suū est auspicatus, qui & perpetuo est regnaturus. Itaq; si prophetarū uaticinijs fidem adhibetis, credite etiam in Iesum Christum; de illo enim propheta uaticinati sunt, illius regnū æternū, uniuersale, beatum, spirituale, cœleste, & diuinū descriperūt, priusq; homo natus esset in mundū.

Vos estis filij prophetarū & testamenti, quod disposuit deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiae terræ.

Gene. 22. c

Si igitur uos estis filij prophetarū, de quo non iniuria gloriāmini, ne diffidite promissis illorum; si filij patriarcharum, intelligite ad uos pertinere pactū quod deus pepigit cum Abraham, dicens: Et per semen tuum benedictionem consequentur omnes familiae terræ. Hęc benedictionē non prestitit in Isaac, qui mortuus est, nec reuixit, sed in Iesu Nazareno, cuius typum gessit Isaac, sponte se met offerens ad immolationem, quemadmodum Christus obediens patri martatus est in cruce. Hoc est semen Abraham per quod non tantum omnes Israelitæ uerum etiam omnes totius orbis nationes, si crediderint Euangelio, liberantur à maledictione peccati, & hanc benedictionem consequentur, ut accēpto cœlesti spiritu uocentur filij dei uiuentis. Et non minus gratum deferent deo uero & unico cultum quàm prophetae & patriarcha ipsi, qui sperauerunt & crediderunt in promissum semen Abraham, ex qua fide iustificati sunt, & felicitatem sunt perpetuā consequuti: ita et uos, si in Christum credideritis, ueram salutem iustitiam & sanctificationem consequemini, qua fide fructū testamentorum percipietis æternum.

Vobis primum deus suscitans filium suum, misit eum benedicentem uobis, ut conuertat se unusquisq; à nequitia sua.

Huiusmodi autem dei promissio pertinet quidem ad omnes mundi nationes, sed tamen hoc honoris uobis haberi uoluit, ut uobis primis omnium offerretur, ac iuxta Mosis prophetiam de gente uestra suscitaret ac mitteret uobis, non quemlibet prophetam, sed unicum filium suū Iesum, qui deferret benedictionem Abraham promissam à deo. Hęc est autē benedictio, ut unusquisq; credens & parens Euangelico sermone, conuertat se à malitia sua, ac Iesum salutis profiteatur authorem. Nec interim uobis timendum erit, ne Messias ille Iesus uos non agnoscat, propterea quod abnegaueritis eum coram Pilato, & reieceritis. Venit enim Christus Iesus ideo in hunc mundū, ut peccatores saluos faciat: quorum cum uos in eum primi fueritis, in primis ad uos pertinet Christus, maxime quod filij estis patriarcharum & prophetarū, ad quod pro uobis facta sunt huiusmodi promissiones, de benedictionibus Iesu Christi, propter quod uoluit quoq; ut uobis primū resurrectio & regnum Christi auspiciū annuntiaretur, ut credentes in illū promissas benedictiones, iustitiā, sanctificationem, redemptionem perfectam & salutem perpetuam consequamini. Quancūq; igitur abnegatione uestra Christum reieceritis, tamen fœderis diuini ueritas cum patribus iniri firma semper durabit uobiscū, adhuc obuijs uos uulnibus Christus suscipiet, minime excludendos, si peccatum agnoscētes uestrum in ipsum mundi saluatorem Christum dominū uere credideritis. Hactenus Petri oratio.

CAPVT IIII.

Quentibus autem illis ad populum superuerunt sacerdotes & magistratus templi & Sadducæi dolentes quod docerēt populum, & annuntiarent in Iesu resurrectionem ex mortuis, &

iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam usque in crastinum: erat autem iam uespera.

Dum Petrus coelestis orator, & Ioannes illius collega his atque huiusmodi sermonibus exhortarentur populū ad amplectendū Euangelium, nemini palpan-tes, suadētes testimonio prophetarū, terrentes formidine futuri iudicij, rursus lenientes ac pelliciētes facilitate paratæ ueniæ, ac certitudine promissæ salutis, colloquium salutiferū interrumpūt superuenientes sacerdotes ac magistratus templi, cumque his Sadducæi, quales omnium impatientius audire consueverunt uerbi dei ueritatem. Sacerdotes ac magistratus hoc habebat male, quod homines idiotæ in templo regnarent ac docerent populū, in quo non oportebat loqui nisi rabinos pharisæos ac scribas, quodque tam magnifice prædicarent de Iesu, quem ipsi ueluti nocentem ad mortem adegerant, cuius nomen abolitum esse cupiebant. Sadducæos autē illud peculiariter urebat quod prædicarent Iesum à morte reuixisse, quodque per hunc omnibus polliceretur resurrectionē. Nam Sadducæi nec angelos credunt, nec animas superstitēs corpori resuscitando reuiniendas, proinde mentionē resurrectionis non ferunt. Hic rursus oritur magna pontificum impiorū aduersus Euangelium, quod Iesus suis discipulis prædixerat fore. Sed quemadmodum malitia quo magis obluata est hoc magis illustrauit gloriā Iesu: ita quo magis rebellant aduersus Euangelij præcones, hoc uehementius erumpit uis Euangelici sermonis. Non hic disputatur, sed iniiciuntur manus in apostolos, pertrahuntur in carcerē, producendi in diem crastinum: tunc enim appetebat uespera. Non deerat impia uoluntas sacerdotibus, inibi statim occidēdi Iesu discipulos, sed obstabat rursus metus populi, & queritur prætextus nephario sceleris, ut quod facerent iure facere uiderentur. Sed quemadmodum in Christum nihil ualuit illorū malitia, nisi posteaque ipse morti uoluit: ita et in Christi discipulos nihil potuit illorū conspiratio, prius quam ueniret illa dies, quem cuique præscripserat coelestis pater. Christus enim exeruit potentiam & gratiam suā in discipulis, huius diuino spiritu freti libere publice magistratum accusare audēt in ea ipsa urbe, quod iniuste damnauerint Christū dominum. Missi quippe erāt ad prædicandū Euangelium, id uero non poterāt synceriter adnunciare, nisi etiam ostenderent eum iniuste damnatum.

Multi autem eorum qui audierant uerbum, crediderunt: & factus est numerus uirorum quinque milia.

Non fuit infrugifera contio duorum apostolorum, licet interrupta per sacerdotes. Multi siquidem ex his qui sermonem apostolicū audierant persuasi crediderunt. Crescit sagena, dilatatur granum sinapis, spargit se uis Euangelici sermonis. Iam numerus credentium accreuerat usque ad quinque uirorum milia. Agnosce popularem rem esse Euangelium, qua cum raro conuenit huius mundi magnatibus. Agnosce successum Euangelicū, primores ducuntur in carcerem, nec obluantur ipsi, nec tumultuatur populus, nihil aliud doctus quam obedire & fidere Christo. Quo magis apostoli uinculis constringuntur, eo liberius Euangelium redditur. Pharaonis tyrannide Israeliticus populus augebatur in immensum. Pharisæi Christum adegerunt in crucem, à qua Christus regnum exquisitior crudelitas illecebra magis fuit Christianismi quam extirpatio. Christianorum constat sanguinem semen esse Euangelici fructus. Et nostra ætate quo magis ueritatis Euangelicæ prædicatio impeditur minis principum, & philosopharum

phistarum malitiosa uasritie, eo magis promouet, & in diuersas orbis partes dif-
seminatur et spargitur. Discant ergo principes, durum esse aduersus stimulum
calcitrare.

Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum
& seniores & scribæ in Ierusalem, & Annas princeps sacerdotum & Cai-
phas & Ioannes & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdo-
tali. Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua uirtute aut in quo **B**
nomine fecistis hoc uos?

Postridie coit sceleratum concilium, nusquam concors, nisi ad perdendum Iesum,
& ad opprimendam ueritatem. Conueniunt sacerdotes cum templi magistratibus,
& simulque populi seniores cum scribis Hierosolymitanis. Ad hæc Annas summus
pontifex, & Caiphas ob affinitatem huic adherens, præterea Ioannes & Alexan-
der tum inter sacerdotes præcipui, denique quotquot erant ex genere sacerdo-
tali. Atque hæc ipsa primorum tam anxia diligentia satis arguit rem non esse uulga-
rem, in qua coercenda tam sunt solliciti. Quid enim est quod sibi metuunt à paucis
obscuris & indoctis hominis damnati & crucifixi discipulis? Producuntur e car-
cere Petrus & Ioannes, statuuntur in medio tanquam rei. Quis idiota non obstupe-
sceret conspecto concilio tam frequenti tamque magnifico? Magno fastu conside-
bant pontifices et sacerdotes religionis proceres, tum magistratus, deinde se-
niores populi, nihil aberat auctoritatis. Inclementiam uero & iniquitatem iudicio-
rum iam uiderant in præceptore suo Iesu, et tamen adsunt serenis & intrepidis
uultibus. Nimirum dominus Iesus illis hæc omnia prædixerat euentura, et animos
illorum aduersus huiusmodi casus armauerat. Hic mihi rursus agnosce exemplum
eius iudicij quo damnatus est Iesus. Interrogatione captus est. Percontatur igitur
& hi de claudo restituto: Qua uirtute aut quo nomine facitis istud? Poterant
hoc in templo sciscitari priusquam eos ducerent in carcerem, poterant cum ipso po-
pulo didicisse, quandoquidem Petrus huius facti dilucide reddidit rationem. Sed ma-
luerunt auspicari à contumelia. Nec post queritur ueritas, sed lædendi captatur
occasio. Erat hoc argumentum mox desituri sacerdotum, quum pleni uitij nihil ha-
berent quo tuerentur auctoritatem suam, nisi coniurata concilia, carceres & mortes.

Tum repletus spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi &
seniores audite, si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi,
in quo iste saluus factus est, notum sit omnibus uobis & omni plebi Isra-
el, quia in nomine domini nostri Iesu Christi Nazareni quem uos crucifixi-
stis, quem deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram uobis sanus.

Petrus apostolus qui ad minas mulierculæ ancillæ ter abiurauerat dominum,
non iam expauescit, nec obortis tenebris obstupescit, non uox faucibus hæret,
nimirum alius iam factus. Tunc enim Petrus humano spiritu ductus polliceba-
tur ingentia, ac mox oblitus temere promissorum fugit & peierauit; hic autem
plenus spiritu sancto, fortiter atque ex tempore causam perorauit, admirabili
prudencia temperans orationem, ut nec libertas exiret in conuictum, nec leni-
tas saperet adulationem aut metum, sed huc tenderet totius dictionis appa-
tus, ut per Iesum salus contingeret omnibus. Non uenerat in apostolos spiritus
sanctus uacuus, sed innumeras secum aduexit dotes, notitiam linguarum, uirtutem
operandi miracula, intelligentiam eorum que à Christo dicta fuerat, constantiam fidei,
fiduciam & libertatem loquendi, sapientiam aduersarijs resistendi, gaudium in
aduersis, mansuetudinem in calumnijs, benignitatem ad hostes, Petrus itaque hæc

in modum loquutus est: Principes populi & seniores audite. Equidem demirabar quam ob rem essemus iussi duci in carcerem, quum nobis nullius essemus facinoris conscij, quandoquidē principes nō nisi ob malefacta solent homines in carcerem ducere. Nunc si, ut uideo, nullum crimen intenditur, neq; maleficiū obijcitur, de beneficio collato in hunc hominem antea debilem & contractum, nunc sanum & integrum examinamur, non grauior uobis reddere rationem. Est enim hoc nostri muneris, omnibus placide reddere rationē de fide Euangelica, si quis cupiat discere. Proinde notū sit omnibus uobis qui primores estis, nec uobis tantum, sed & uniuerso populo Israelitico. Quod em docemus ad omnium salutem pertinet, siue principū siue plebeiorū: quod hic quem uidetis ad stare nobiscum membris integris & sanis, quum omnibus notum sit, antehac à baiulis gestari solitum, beneficium hoc nec arte magica, nec humana uirtute, nec nostris meritis fuerit consequutus, sed per inuocationem domini nostri Iesu Christi Nazareni, quē uos ante dies paucos per Pontium Pilatum adegistis in crucem. Verum hunc deus suscitauit à mortuis, & immortalitate donatum praefecit uniuersis. Itaq; nunc nominis illius uis idem agit in sanandis & seruandis hominibus, quod ipse praefens agere consueuit in terris. Nimirum hoc est quod praedixit Psalmi prophetia de lapide ab hominibus reijciendo, sed à deo subuehendo.

Hic est lapis qui reprobatus est à uobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus. Nec enim nomen aliud est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

Vos ipsi qui aedificandi synagogam officium tenetis, uos illum ceu reprobum lapidem eiecistis, sed à deo factus est caput anguli, suo robore totum aedificium ecclesiae ex utroq; populo Gentium & Israelitarum aedificandae complexurus. Per hunc pater caelestis offert salutem omnibus, nec est cuiq; ulla salutis spes nisi per Iesum. Scio apud uos graue ac sacrosanctam esse auctoritatē Moysis patriarchae & prophetarum, sed ita uisum est patri, ut per solum filiū suum omnibus sit parata salus, unde & Iesum appellari uoluit. Nec enim datū est aliud nomen sub caelo, nec dabitur aliud per quod oporteat saluos fieri. Non est igitur quod miremini tantum in hoc claudio ualuisse nominis huius inuocationem, quum huius uirtute sit parata salus aeterna omnibus ipsum inuocantibus. Is dominus Iesus Christus lapis erat, ad aedificium ecclesiae & spiritalis templi longe accommodatissimus, siquidem angularis & fundamentalis, de quo Esa. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, lapidem probatum, pretiosum, in fundamento fundatum, hunc lapidem improbi aedificatores, pontifices, pharisaei, scribae, & Sadducei cum arripuissent ut aedificio templi aptarent, uisus est illis omnino incommodus, deformaturusq; totum aedificiū, quin & destructurus. Ipsi enim aedificabant suum templum doctrina operum, meritis humanae iustitiae, circumcissione, sabbatis, lotionibus, sacrificijs, decimationibus, longis precationibus, hypocriticis ieiunijs, & alijs id genus operibus. Dicebant hisce operibus expiari peccata, iram dei mitigari, gratiam dei conferri, perpetua felicitate donari. Iesus Christus longe diuersa docebat, peccata expiari fide in se, oblatione sui sanguinis in cruce effundendi, ut quicumq; in ipsum crederet, remissionem assequeretur peccatorum et uitā aeternam: qui uero non crederet, iam condemnatus esset. Verum longe alia sunt iudicia dei quam hominum. Lapis iste quem illi reprobauerunt, factus est in caput anguli. A domino factum est istud &c. Clamauerunt aedificatores pontifices: Reus est mortis, deus

Psal. 117. d

Matth. 21. d

Marc. 12. d

Luce 20. c

Isa. 28. d

1. Pet. 2. d

Rom. 9. g

deus ipsum constituit auctorem uitæ. Clamauerunt sacerdotes, Tolle, crucifige: deus dixit per prophetam de domino Christo, Sede à dextris meis, donec ponam &c. Clamauerunt scribæ, Nolumus hunc regnare super nos; clamat dominus, Intende prospere procede & regna. Clamauerunt pharisei, Non habemus regem nisi Cæsarem; clamat Petrus, Non est in alio quopiã salus, nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo &c. Qua una Petri uoce omnia omnium religionum ædificia euertuntur, et solum illud statuitur quod fundamentum Iesum Christum ponit. Delentur omnia nomina ad salutem consequendam excogitata, ut unum celebretur nomen domini Iesu Christi. Iudæus nomen celebrat sacrificiorum, circumcisionis, & baptismatum; phariseus prolixas preces, phylacteria lata, lotiones, et ieiunia electiua; philosophus uirtutes suas politicas; alij Missas pro peccatis, peregrinationes, indulgentias, preculas, confessiones, ieiunia, festa, sanctorum inuocationes, & id generis innumera cum uocis strictissimis, cum solus Iesus Christus nomen illud sit quod deus hominibus dedit, ut in eo saluentur. Eum lapidem tam pretiosum æstimauit dominus, ut angularem ipsum lapidem fecerit, qui in primis totum templum, ut solidum fundamentum sustineat, deinde duos parietes templi Iudæos & Gentes connectat eatenus, ut ex utrisq; unum constituat. Discimus ex hoc Petri sermone, miracula non ordinanda nisi in gloriam & maiestatem nominis Christi. Nec esse infestiores uel perniciosiores persecutores Christi et sui Euangelij quam eos qui se ecclesie ædificatores et primores iactitant, sed & nullo opere, merito, iustitia, uirtute, pietate consequendam salutem, sed solum per nomen Iesu Christi, per solam ipsius passionem, sanguinem, mortem, resurrectionem, fidemq; in Christum, qui à patre constitutus est propitiatio pro peccatis omnium sæculorum, uitamq; salutis unice positam in fide Iesu Christi.

Videntes autem Petri constantiam & Ioannis, comperto quod homines essent sine literis & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos quoniam cum Iesu fuerant, hominem quoq; uidentes stantem cum eis qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

Hæc ubi diuino spiritu imbutus loquutus est Petrus, ut electissimum organum ueritatis et Euangelij, quotquot erant in eo concilio perspecta libertate constantiaq; Petri & Ioannis, quæ sese etiam ipso uultu proferebat, iamq; compertissent quod homines essent illiterati ac plebei, admirabantur unde tantum fiducia, unde tantum eloquentiæ, unde prophetarum cognitio, deniq; cœperunt eos agnoscere quod fuissent affectatores Iesu, quem per inuidiam occisum fuisset ipsi sibi erant conscij. Magnū scrupum iniiciebat animis illorū tam imperterrita plebeiorum & illiteratorum hominū libertas, quos nec domini supplicium nec tam celebris concilij splendor & authoritas uel tantillum commoueret. Conspiciebāt hominem ipsum ad stare totū populo notum, qui natus insigniter claudus iam alacriter ambularet. Res erat pacta subito, nec in occulto, sed pro templi foribus, non magicis artibus, sed inuocatione nominis Iesu, quem illi iam putabant extinctum. Factū erat euidentius q̄ ut negari posset, nec erat calumniandi occasio. Quid enim fauorabilius quam misero gratis dare sanitatem?

Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere, & conferebant adinuicem, dicentes: Quid faciemus hominibus istis: quoniam quidem notum signū factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem: manifestū est, & non possumus negare. Sed ne amplius diuulgetur in po D

pulum, cōminemur eis, ne ultra loquātur in nomine hoc ulli hominū.

Nihil nunc respondent apostolis: nec enim erat quod responderent, quandoquidem quod factum erat, nec refellere poterant, nec probare uolebant. Pro inde iussis apostolis unā cum sanato ē concilio secedere, consultant inter sese, conferuntq; consilia, dicentes: Quid faciemus hominibus istis quamlibet literarum rudibus ac plebeijs? quandoquidem hoc insigne miraculum per illos aditum esse notius est omnibus habitantibus Ierusalem quā ut inficiari possimus. Si negemus factum, nihil aliud lucrifaciemus quā impudentiā: si damnemus ac puniamus, uidebimur inclementes & iniqui, ac magis etiam populū in nos irritabimus. Nihil superest, nisi ut mitiore consilio utentes curemus ne malum hoc utcunq; natum latius serpat, ac diuulgetur in populum. Solent enim huiusmodi pestes semel natae si exagites inualecere, latiusq; grassari quā si negligantur. Consultum itaq; uidetur, ut abstineamus a supplicio, sed atrocibus minis terremus eos, ne posthac cuiq; hominum neq; Iudaeo neq; alterius nationis uerba faciant de nomine Iesu. Hæc sententia qua nulla dici potuit stultior, placuit toti concilio, & in hanc itum est pedibus magno consensu. Iam conspexerant constantiam & fortitudinē apostolorū, uidebāt rem esse notam toti populo, intelligunt nomen illud Iesu tam efficax tamq; salutiferum esse, quam igitur fronte iubent ac sperant posse supprimi, præsertim quum ipsis per idem nomen liceat assequi salutem æternam: Nimirum talia sunt consilia pontificū, sacerdotum, principū, ac primorū, quoties humano spiritu cogitur consilium. Sunt & illic nonnunq; qui quid rectum sit perspiciant, uerū id si sequantur, uident paratā iacturā suę glorię, dispēditū rei, aut aliud huius generis incōmodū.

Et uocantes eos, denunciauerunt ne omnino loquerentur nec docerent in nomine Iesu.

Comprobata suffragijs omnīū hac sententia, reuocantur apostoli, denūciatur illis totius concilij nomine, ne cui mortaliū uel clam, uel palam, uel publice, uel priuatim, uel domi, uel foris docerent Iesu doctrinā, aut omnino mentionē eius nominis facerent. O stultam mundi sapientiā, extinctum in sepulchro reuocare non potuerunt, & nomen quod semper a morte solet inclarescere, conantur sepelire. Sed semper eorū qui uocanti deo obsequuntur aduersarij, omnibus suis armis priuantur. Saul uane nuncios misit ad Ramatha, ut Dauidē ad necē comprehenderent, quin tandem ipse quoq; Saul ad prophetas illos perueniens mutata mente coactus est prophetare. Et Eliās ab acerbissimo hoste Achab non occiditur, sed quæ non uult audire cogitur. Et Elizei persecutores angelo excæcante ab eius nece coercentur. Ducit enim dominus consiliarios tanq; prædam, & iudices stupidos reddit, uincula regum dissoluit, & cingulo ligat lumbos eorum: sic dominus stultos reddit eos, qui diuinæ ordinationi resistūt, & putātes se uerbū dei impedituros uel persecuturos suis armis spoliāt. Confidenter ergo & intrepide diuinæ uocationi seruiendū. Etsi enim aduersarij in nos fremant, insaniant, grauissima quædam minentur, citra tamen domini uoluntatem & patris cœlestis ne pilo quidem laedere poterunt.

Petrus uero & Ioannes respondentes, dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu dei, uos potius audire quā deum, iudicate: nō enim possumus quæ uidimus & audiimus non loqui.

Vbi magna cum autoritate recitatum est concilij decretum, fortiter quidem Petrus & Ioannes sed citra contumeliā responderūt: An iustum sit in conspectu

spectu dei uestris iussis obtemperare potius quàm dei, uos qui legis præcepta tenetis iudicate. Sic deus per ora prophetarum futurum prædixit, sic Christus dei filius nobis præcepit, sic spiritus coelestis, quẽ ille se nobis à patre missurum promiserat, animis nostris dicat ac suggerit, ut ad salutem omnium prædicemus nomen domini Iesu Christi, testificantes quæ uidimus & audiimus. Si quod rectum est iudicaueritis, submittetis & uos ipsos iudicio diuino; sin secus quicquam de nobis statueritis, nos certe non possumus non loqui quod oculis uidimus, quod auribus audiimus, & quod deus omnibus hominibus præferendus uult apud omnes prædicari. Responsio hæc superiori apologiæ ferme liberior. Ut enim ignis tectus magis aestuat, ita spiritus sanctus, cuius potentia pleni erant, ab hominibus oppressus magis uires suas exerit. Antea carceres plus irritarunt apostolos ad confitendum Christum quàm ad negandum. Nunc minæ pontificum & principum ita animos apostolorum accendunt & inflammant, ut palàm & ingenue in ipso senatu recusent, se impijs eorum præceptis aduersus dominum obedituros: tantum abest, ut minis territi uocationem dei & prædicationem Euangelij de Christo Iesu sint abnegaturi. Diserte autem addunt In conspectu dei, siquidem norunt in conspectu hominũ consultius, prudentius, & tutius uideri, multitudinis opinionem sequi, ad mores huius sæculi sese accommodare, magistratus præceptis indiscrete parere, iniustum uero & stultum haberi publicam aliorum religionem damnare, sibi soli pietatem arrogare, sapientum opiniones despiciere, & iussa magistratuũ examinare. Aliud est autem iudicium dei & conspectus, aliud hominum. In conspectu & iudicio dei iustum est, sapientum scita complecti, & iussis magistratum obsequi, si illi ex uerbo domini dogmata sua proferunt, & si non impia, licet nonnunquam iniqua, sed tamen ciuilia præcipiunt. Rursum quoque iniustissimum est, opiniones carnis sapientiæ contra spiritus sancti scita sectari, & impijs mandatis magistratus aduersus præcepta dei obedire. Lex enim iubet, ut soli deo seruiamus. Dominum, inquit, deum tuum timebis, & illi soli seruias. Tantisper igitur hominibus, hoc est principibus & magistratibus seruiendum est, dum in illis deo serui relicet. Cum autem illi mandauerint quod à seruitute & obsequio dei nos abducit, sequendum est, non quod principes, sed quod deus iussit, ut soli deo seruiatur. Non est iurandum quodcumque homini præstitum tanti habendum, ut obliget contra obsequium deo debitum. Quid sunt enim principes nisi ministri dei: qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Iustum est ergo & prorsus necessarium, ut principibus impia mandantibus non obediamus, sed magis deo. Quid autem ad huiusmodi uerba apostolorum principes respondent: ueterem cantilenam repetunt, & prioribus minis alias addunt.

At illi comminantes, dimiserunt eos, non inueniẽtes quomodo punirent eos propter populũ, quia omnes glorificabant deum in eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

Hoc responso tam masculino tamque libero accepto consultores illi nihil aliud quàm minitantur, ac territare conantur. O deploratum consilium, non habent argumenta quibus persuadeant, non habent rationes quibus coarguant, non habent testimonia scripturarũ quibus doceant. Tota authoritas immunis est. O semper timidam impiorum conscientiam. Cupiebãt punire innocentes, ad erat peruersa uoluntas, sed principes metuunt plebeios, magistratus priuatos,

tam multi paucos, armati inermes, docti indoctos, impij pios, fallaces simplices. Non habent apostoli satellitium, non coniuratos dignitatum ordines, sed habent quiddam quod nulla potestas mundi prestare potest, ut dicat: In nomine Iesu surge & ambula. Ad benefaciendum potentes sunt, ad laedendum inermes. Itaque apostoli ex eo concilio tum quidem dimissi sunt minis onusti. Non enim primores deposuerant animi malitiam, sed differebant, occasionem aliam uenaturi. Non enim inueniebant rationem puniendi eos, idque ob populū quem deo contempto metuebant. Omnes enim laudibus uehebant id quod factum erat in claudio sanato. Et hoc quoque factum euidentius erat apud omnes, quod is in quo proditum est hoc miraculi, natu maior erat quadraginta annis. Sic natus erat, & tot annis ostentarat mendicus suū malum, ut nemo calumniari posset uitium fuisse simulatum uel leue. In his uero duobus apostolis libere dimissis, discamus presentaneum esse deum omnibus & auxiliatorē, qui propter diuinam uocationem difficilioribus periculosisque functionibus ecclesiasticis obijciuntur: & quomodo sapientum huius sæculi argutias & stultam sapientiam euertere potest & pudefacere, omnemque principatum erigentem se contra Euangelium infirmare solitus est, & imbecillum reddere, adeoque nihil eis præter uanissimas minas relinquere.

Dimissi autem uenerunt ad suos, & annunciauerunt eis quanta ad eos principes sacerdotum & seniores dixissent. Qui cum audissent, unanimitè leuauerunt uocem ad deum, & dixerunt:

Discessum est à concilio, quasi re bene gesta, & prudētissime composita securi domum abeunt. Quid enim duo indocti piscatores contra tot pontificum & principum minas auderent tentare? Petrus autem & Ioannes dimissi à concilio, redierunt ad suos in cœnaculo congregatos, iam de euentu sollicitos, atque illis exposuerunt rem omnem ordine, quid obiecissent principes, quid ipsi respondissent. Hic uero mutua charitas gaudia cumulauit. Gaudebant discipuli dimissos apostolorum proceres, gaudebant apostoli gaudium hoc discipulis domini benignitate contigisse. Sic deus omnia temperat suis famulis, ut latus miscat, quo possint sustinere, utque uicissim pro latis agant gratias, pro tristibus dominum deprecentur. Cœtus itaque posteaquam audisset narrationem apostolicam, magno consensu sustulit uoces suas ad dominum, cuius beneficio cœpisset succedere res Euangelica. Non territi consulunt apostolis, ut prædicationem nominis Iesu Christi intermittant, & ad piscationis suæ artes redeant, quas sine periculo exercere liceret, quemadmodum delicatiores aliqui Christiani censuissent, scilicet non esse contemnendam tot pontificum & principum autoritatem, quibus etiam ex mandato legis diuinæ obediendum esset, licere in corde fidem in Christum tenere & cōseruare, etiam si ob magistratus uolentiam palam confiteri non liceret, non esse deum tentandum, nec sponte obediendum magistratui quàm si pia, iusta, & æqua præcipiat, quin & iniqua quoque si non impia & contra dei legem. Quemadmodum dominus præcepit, ut non solum corde non fureris, uel occidas, uel adulterium designes, sed etiam in opere nihil perpetres: ita non solum præcepit ut corde credas deum aut fidem tibi fingas, sed ut ore quoque confitearis Christum. Et id uel maxime tum agendum, cum impia magistratum mandata Christum & iustitiam fidei persequuntur. Cæterum à sancta illa apostolorum ecclesia longissime abest omne prudentiæ carnalis

carnalis, timiditatis, temeritatis, & licentiæ studium, qui solum quærunt uocationis diuinæ & quæ deo placent studium, & sese uertunt ad arma spiritalia, ad preces unanimes, dicendo:

Domine, tu es qui fecisti cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, qui spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti:

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Psal. 2.

Apostoli & discipuli in exordio precum suarum omnipotentiam dei commemorant, significantes se à domino postulaturos, quod non nisi omnipotentia eius confici potest. Domine, inquiunt, deus omnipotens, qui uerbo tuo condidisti cœlum, terram, mare, & quicquid in his est, cuius sanctissimæ uoluntati nulla uis hominū potest resistere, cuius æterna decreta nulla potest hominum conspiratio labefactare, quod nūc fieri uidemus, hoc olim spiritus tuus sanctus per os patriarchæ nostri Dauid tui cultoris proloquutus est futurum, dicens: Quare fremuerunt &c. ut habet Psalmus secundus per totum de Christo exponendus, cuius intellectū uide expositum suo loco. Ex quo Psalmo apostoli petitionis suæ narrationem formant, & indicant eam persecutionem quam Psalmus commemorat, iam in Christo esse completam, dicentes:

Conuenerunt enim uere in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.

In hac ciuitate quæ pietatis habet professionē, aduersus omnis pietatis magistrum ac ducem sanctum filium tuum Iesum, quem tu unxisti unctiōe cœlesti, conuenerunt terreni reges, Herodes & Pilatus unā cum impijs gentibus, et filijs Israel, impijs consilijs agitantes, ut ea facerent quæ tu inuincibili uirtute tua & æterno consilio tuo decreueras, ut ad salutem humani generis fierent. Quisquis autem conspirat aduersus filium tuum Iesum abs te missum, is conspirat aduersum te. Et ecce rursus coit concilium frequens primorum aduersus sanctum nomē filij tui Iesu. Quibus ordine per orationem narratis, petitionem suam deinde ex animo & non distracta mente exponunt, dicentes:

Et nunc domine, respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui uerbum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad sanitates & signa & prodigia fieri per nomen sancti filij tui Iesu.

Tu uero, aiunt, quemadmodum Iesum ab illis interfectum excitasti à mortuis, & in cœlos ad regni consortiū subuexisti, irrisis illorum consilijs, ita nunc quoque aspice in minas illorum ne praualeant, sed da seruis tuis robur ac fiduciam, ut summa constantia proloquatur sermonem Euangelicum, qui tuus est non hominum, nimirum nobis abs te per filium tuum delatus in terras: & quemadmodum claudi sanati miraculum plurimos attraxit ad professionem nominis Iesu, coniuratos autem aduersus Iesu gloriam principes terruit, ita & in posterum adsit illis manus tua omnipotens, ut sanandis & alijs ac similibus miraculis & prodigijs ædendis per nomen sanctum filij tui Iesu, clarius ac latius luceat Euangelij tui gloria, frustra frementibus his qui tibi tuoque filio rebelant. Videmus ut non petant apostoli uel ambiant humanas dignitates, nō car

nales potestates aut magistratus, non diuitias postulant, non gloriam popularem, non nominis sui famam, sed tantum fiduciam confitendi & proficiendi in Euangelio Christi, uirtutem ædendi miracula, nō alium in finem quā ut Christi domini nomen & gloria per miracula inclarescat, & oppressis hostibus ueritatis regnum & maiestas Christi promoueat, quod illi pater Psalmi illius oraculo promississe intelligebant: sic & nostris orationibus formulas fingamus ex Psalmis Dauidicis, ad quas spiritus diuini magisterio perquam aptissimi sunt, & in huiusmodi usum conscripti.

Et cum orassent, motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebantur uerbum dei cum fiducia.

Hæc cum unanimiter essent precati, cōmotus est locus in quo erant cōgregati: nam eo signo dominus indicabat preces exauditas, ac uota rata fore. Nihil enim tam efficax quā deprecatio consentientis ecclesiæ. Siquidem magna uis sit oportet, quæ terram immobilem concutiat. Non erat hoc inane signum, ilico renouatus & auctus est in omnibus uigor sancti spiritus, adeo ut nō solum ob miras principum non cælerent Euangelicam doctrinā, uerū etiam liberius ac fortius, ac etiam plures quā ante prædicarent nomen domini Iesu. Hęc est enim natura profectus Euangelici, ut sicut crocū & alia nonnulla per iniuriā felicius proueniunt, ita aduersus opprimentē mundū magis insurgat & eluctetur. Huiusmodi miraculo & similibus cōfirmauit dominus promissiones suas de exauditione precum, & reuelauit sese maiestate sua, in omnibus piorū orationibus præsentissimū esse, & eorū preces clementissima bonitate suscipere. Multę sunt enim promissiones diuinę quæ uelit deus credentiū preces exaudire. Inuocame, ait, in die tribulationis, & eruā te, & honorificabis me: & Isaias: Erit antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam. Et quicquid petieritis patrem in nomine meo &c. Veruntamē tentat nonnunquā dominus orantes dilatione auxiliij, ut fides probetur. Iterum dicuntur repleti spiritu sancto. Quancūq; autem spiritus sanctus perpetuus sit credentiū inhabitator, tamē donata ac uirtutes eius non semper manifeste sentiuntur. Habebant quidē spiritū sanctum apostoli antequā nunc quoq; orarent, sed erant in afflictionibus & timore ob minas & decreta concilij, cogitabant imminentes captiuitates, uincula, torturas, & mortes. Uxorē quoq; & liberos deflebāt, ita ut præter nudas dei promissiones nihil habebant solatiij, ut ferē absens tūc uideretur paracletus & consolator diuinus. Ab oratione autem facta exerit spiritus sanctus uirtutes suas in eis, animat iters; & inflammat, ut omni mœrore abiecto lætitiā noua spiritus perfusi, Euangelium de Iesu Christo liberrima fiducia prout postulauerāt prædicarent, uocationem suam prosequentes fideliter. Sic agendum pijs confitutis in afflictionibus, ut ad diuinas promissiones festinetur, unde fiducia orandi & exauditionis captetur.

Multitudinis autē credentium erat cor unū et anima una, nec quisquē eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

Iam intra paucos dies accreuerat ingens numerus profitentium nomen Iesu. Et ut intelligas hanc conspirationem non esse humanam, inter tam multos nulla erat ambitio, nulla inuidia, nullę rixæ, nulla cōtentio, sed tantus erat consensus, tanta tranquillitas, ut diceres, omnibus esse cor unum & animā unam. Iam enim desierant suo quisquē duci spiritu, qui tam uariis est in hominibus, ut

aggre reperias duos germanos, qui inter sese consentiant: sed uno spiritu Iesu reguntur omnes. Hinc ille tantus consensus tot hominum, alioqui sexu, ætate, fortunis inter sese dissimilium, ut non solum illa essent omnium communia, quæ sine dispendio impartientis comunicari solent, quod genus sunt doctrina, consilium, admonitio, consolatio, exhortatio, uerum etiam facultates, quæ dispendio possessoris comunicantur alijs, & ideo uix inuenias qui sustineant hic esse liberales. Inter hos autem harum quoque rerum tanta erat communio, ut nemo ex his quæ possidebat, uel diceret aliquid esse suum. Proinde qui de suis facultatibus impartiebat, nihil gratiæ reposcebat ab his quibus comunicabat, quod id quod dabat indicaret esse eius cuius erat opus, sicut raptor & iniquus uideretur, si quid apud se detinuisset, quod fratris egestas postulabat. Hanc uero fideliū in Christo summam concordiam ac pacem prædixerat dominus per Isaiam: Ut cum exiturum esset uerbum domini de Ierusalem, conflaturi essent populi gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Nec leuatura sit gens contra gentem gladium: & postea: Egreidente uirga de radice Iesse, habitaturus lupum cum agno, & pardum cum hœdo accubiturum. Qui itaque fidei efficaciam cum spiritu sancto assequuti sunt, ut qui uere renati sunt in Christo, hi liberum ab affectu operum terrestrium animam assequuntur, qui paratus sit eas omnes uel in commune conferre uel diuendere, ut detur egestibus magis, si dominus iusserit, uel patienter dimittere hostibus. Etenim diuitiæ quoque donum dei sunt, easque possidere licet, sed in domino, secundum illud: Diuitiæ si afflurant, nolite cor apponere, sed in eis domino seruiatur qui dedit.

Et uirtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos.

Spiritus sanctus gaudio afficiebat apostolos in afflictionibus, addebatque fiduciam libere prædicandi Euangelium de Iesu Christo, multa quoque alia operabatur: primum quod magna uirtute, hoc est stupendis miraculis & signis ueritatem resurrectionis Christi confirmabant. Hæc enim in primis erat testimonio miraculorum persuadenda. Nam morientem plerique uiderant, sepultum non pauci nouerant. Est autem resurrectio Iesu Christi fidei nostre scopus. Nam si Christus non resurrexisset, inanis & superuacanea esset fides nostra, & adhuc in peccatis essemus. Quemadmodum ergo Christus resurrectionem suam apostolis uarijs reuelationibus comprobauit, ita apostoli quoque post acceptum spiritum sanctum, uarijs eam miraculis confirmare studuerunt, qua confirmata totum Euangelium de peccatorum remissione per Christum, de iustificatione fidei, quæ in Christo est, deque hæreditate cœlestium bonorum confirmatum est. Discimus quoque nullas tam paruas esse opes, quæ non sufficiant multis, si ex fide administrantur. Maior enim pars eorum qui bona sua in commune conferebant, tenues & uix mediocri fortunæ erant, unde & sub his fortissimis ducibus nouus ille populus felicissime degebat, concordia sartiente quod deerat facultatibus.

Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, uendentes afferebant pretia eorum quæ uendebant, & ponebant ante pedes apostolorum: diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.

Patrum loco habebantur apostoli, ideo ad eosdem pretia rerum uenditarum adferebant, & abijciebant ad pedes ipsorum, ut illorum arbitrio res communis distribueretur. Quanta autem erat simplicitas in his qui pretia possessionum suarum ad-

ferabant, tanta erat sinceritas in his qui distribuebant. Rara est inter pecuniarum dispensatores fides. Hic nullo defectu personarum pro cuiusque necessitate distributio peragebatur, non accipiebat quiuis quantum uolebat, sed nec ad aliquem luxum uel iners otium. Vnde discimus iuxta Paulum charitati diligenter studere, et communicationis non obliuisci, diligenter quoque curare, ne quis otio uacet, qui muscarum more nihil boni efficiat, sed aliorum benefacta insiciat, & egere paratus non sit, cum abundare tantum desyderet. Ex a quo enim apostolus didicit abundare & pati penuriam. Prout, inquit, opus erat, non secundum personas & munera, sed secundum indigentiam.

Ioseph autem qui cognominatus est Barnabas ab apostolis (quod est interpretatum, filius consolationis) Leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum, uendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes apostolorum.

Hic Ioseph quoniam magnis dotibus inter ceteros eminebat, ob gaudium quod ex huius accessu contigit multitudini, dictus est ab apostolis Barnabas, et multis exemplo fuit, ut Euangelicam imitareretur liberalitatem. Quum enim haberet fundum in Cypro, uendidit illum, & attulit pretium, ac deposuit ueluti rem uilem coram apostolorum pedibus. Tanta autem erat apostolorum sanctitas, ut hinc sibi nihil decerperent praeter ceteros. Cum igitur liberaliter suas quas habebant paruas opes ex fide communicarent, tantam benedictionem domini consequuti sunt, ut nullus inter eos egens inueniretur. Melius est, inquit Dauid, modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Sunt quoque apud Salomonem qui largiuntur & tamen ditescunt; quin uicissim magnas opes habentes & parci, pauperiores fiunt.

CAPVT V.

Alr autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore sua uendidit agrum, & fraudauit de pretio agri, conscia uxore sua, & asserens partem quandam ad pedes apostolorum posuit.

Quemadmodum Barnabae simplicitas multos commouit ad liberalitatis exortio spiritali quocumque fraudulentiam admisceret. Amat enim spiritus simplicitatem cordis, et odit omnem fucum ac simulationem. Sic inter duodecim apostolos paratum est exemplum Iudae, ne sibi quisque fideret, sed omni sollicitudine perseveraret in officio. Erat autem in hac multitudine uir quidam nomine Ananias, parum respondens suo nomini, propterea quod ipse parum responderet gratiae dei. Huic erat uxor nomine Saphira, marito similis. Ananias igitur quum uideret aliorum simplicem ac spontaneam benignitatem apud omnes laudibus uehi, gloriae studiosior quam pietatis, uendidit agrum suum, ac pretij portionem aliquam detraxit ac seposuit, idque conscia & approbante uxore, ueluti partiens pecuniam, ut altera parte mercaretur laudem et opinionem pietatis, simulque pensum ecclesiae stipis alteram sibi seruaret, si qua necessitas intrinsecus contubernio, sic cogitans apud sese: Si ceteri periclitabuntur fame, mihi certe prospectum est. Haec cogitatio nec erat toto pectore fidentis Christo, qui pollicitus erat, nihil defuturum quarentibus regnum dei, & iustitiam eius: nec erat habentis cor unum & animam cum ceteris, sed sui curam habentes indebitam reponere sibi, non simpliciter nec animo pio ac fideli alijs succurrendi, sed sibi solis.

bi solis ex incredulitate & auaritia, quas sequitur mendacium & impostura, asserentes agrum non pluris uenisse quam pro pecunia presentata.

Dixit autem Petrus ad Ananiam: Anania, cur tentauit satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto, & fraudare de pretio agri: Nonne manens tibi manebat, et uenudatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed deo.

Quum igitur ex pretio diuenditi agri partem aliquam pretij attulisset ad pedes apostolorum, Petrus afflatu spiritus diuini, quo plenus erat, intelligens hominis impiam simulationem, ait: Anania, quum te semel spiritui sancto dedicas, quicquid huius uim tot argumentis perspexeris, cur rursus impleuit animum tuum spiritus satanæ, ut mendacio uelut illudens spiritui sancto, qui falli non potest, furtim detraheres de pretio fundi tui, & istud omnium perniciosissimum exemplum induceres in hanc congregationem? Si nos nolentem impulissemus te ad uendendum agrum tuum, erat fortasse cur simulares, nunc quum ultro feceris quod fecisti, quorsum attinebat benignitatis exemplum fucosimulationis uitare? Nonne prorsus tibi manebat fundus tuus, si uoluisses? Nonne etiam posteaquam uendideras licebat totum pretium seruare tibi: Laudatur eorum simplicitas, qui sponte quod habent proferunt in medium; nemo uero cogitur a nobis id facere, si nolit. Vnde igitur induxisti in animum tuum facere fucum in hoc negotio? Non es mentitus hominibus, sed deo. Quod si deum credis posse falli, impie de illo sentis; sin credis illum nihil latere, aut contemnis illius iustitiam, aut putas fauere fraudulentiam. Discimus non esse Christianos, in quibus non est candor & simplicitas illa cordis. Neque enim fides est sine fructibus. Vides autem hinc tam tum in exordijs ecclesie fuisse, qui Christianum nomen pratexerent, cum nihil minus essent quam Christiani. Geritque hic Ananias typum omnium eorum qui uasre & callide uersantur; ueri enim Christiani prorsus ignorant omnem uasriciem & dolum cordis. Discimus ex his quoque uerbis, impostores et calumniatores mendacis suis peccare non simpliciter aduersus homines, sed potius aduersus deum, & non tam proximos quam seipsos decipere. Qui enim mendacio contra proximum peccat, contra dominum deum suum peccat: hinc David: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Fraudasse de pretio dicit agri. Fraudant nimirum qui opes etiam proprias aut ex auaritia reponunt, aut mendacio his qui e uera inopia mutuum petunt abnegant, aut ludis, scortationibus, ebrietatibus, & alijs id genus sceleribus perdunt, hi, inquam in suis quoque ipsorum opibus sunt fures & sacrilegi. Nonne, ait, prorsus tibi manebat &c. Satis hoc perspicue indicat, Christianos non necesse habere facultates suas in comune conferre, sed posse eas in sua administratione retinere, modo illas retineant sine mendacis & imposturis, & ex fide administrent egentibus iuxta ordinem charitatis & Christianae fraternitatis.

Audiens autem Ananias haec uerba, cecidit & expirauit. Et factus est B timor magnus super omnes qui audierunt. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes sepelierunt.

Sentiens Ananias animi sui fraudulentiam nequaquam fugere apostolos, obiurgatione tam seuera percussus subito concidit & expirauit. Perijt unus, ut multorum saluti consuleretur. Nam huius facti rumor ubi permanauit ad ceteros, omnibus magnum terrorem iniecit, ne quid simile auderent aduersus spiritum sanctum. Iuuenes autem surgentes amouerunt cadauer, & elatum sepe-

lierunt. Non merebatur fortassis sepulturā, sed amouendus erat, ne funestaret puram ac sanctam congregationem. Fortassis succurret hic alicui demirari Petri austeritatem in Ananiam, qui tanta lenitate dudū ad ueniam inuitarit eos, qui crucifixerant Iesum, tribuens ignorantiae quod factum erat, & offerēs poenitentibus salutem aeternam. Hic ob paululum pecuniae detractum à benignitate saeva obiurgatio, nec ulla ueniae spes ostenditur. Nimirum dominus Iesus qui per baptismum uniuersos homines inuitari iusserat ad salutem, cōdonatis peccatis omnibus, paucorū exitio docere uoluit, quanto grauius sit post acceptam Euangelij gratiam ac lucem relabi in peccatum. Non iam per incogitantiam aut insciam, sed per destinatam simulationem. Sciebat autē praecipuam Euangelicae synceritatis pestem ex hypocrisi & avaritia nascituram, & ob id in ipso statim ecclesiae nascentis exordio aditum est exemplum insigne, per quod admonerentur omnes, neminem euitaturum ultionem diuinā, quisquis Ananiam imitaretur, etiamsi hic nō statim nocentē sua poena corripere: non enim hic agebatur de iactura pretij, sed de diffidentia erga deum, de irrisione spiritus sancti. Petrus autē non inflixit poenam, sed obiurgationis infudit acrimoniam ut sanaret. Ille uero nec prorumpens in lachrymas, nec poenitentiae uocem edens, ultione diuina percussus est. Ac mira dei clementia percussus est corpore unus, ut seruarentur in anima multi. Iustitiae exemplum editum est in eum qui perijt, misericordiae donum effusum est in plurimos, qui huius exemplo cauerunt à peccando.

Factum est autem quasi horarum trium spatium, & uxor ipsius nesciens quod factum fuerat, introiuit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, si tanti agrū uendidistis? At illa dixit: Etiam, tanti. Petrus autē ait ad eam: Quid utiq; cōuenit uobis tentare spiritum domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt uirum tuum, ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit. Intrans autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam, & extulerunt & sepelierunt ad uirum suum.

Intercesserat trium ferme horarum interuallum, & ecce coniunx Ananiae nesciens quid accidisset marito, ut homines ferē domestica mala sua resciscunt ultimi, ingressa est, conscia fraudulentiae mariti, falsae laudis portionē sibi quoq; uindictura, cuius impijs cogitationibus respondens Petrus, ait: Dic mihi mulier, num tanti uendidistis agrum, & non pluris quā hoc habet pretium? Illa nimium marito similis impudenter respondit: Etiam, tanti uendidimus. Tum Petrus illi: Quid ita conspiratum est inter te & maritum tuū, ut mendacio tentaretis non nos, sed spiritum domini, quem uidetis operantem in nobis? Quoniam autem tibi libuit esse sociam marito in hac impia simulatione, eris & supplicij consors. Ecce pedes eorum &c. Seuerum sanē exemplū, sed salutiferum, nec sapius quā semel ab apostolis proditum. Quanquam Petrus, quo nihil erat mitius, non hoc inflixit supplicium, sed afflatus spiritu denunciauit. Petrus tum instinctu diuini spiritus sciebat quid esset actum, & quid esset futurū. Deus autem quem nihil fugit, poenam sumpturus est de his qui suco illudunt uiris apostolicis, etiamsi tales sint, ut falli possint. Nec enim hoc donū spiritus, quod tum aderat Petro, perpetuum est omnibus. Multo sceleratiores planē erant Hierosolymis. Ananias autem & Saphira erant de familia domus dei, & in populo dei censebantur, ab his igitur incipit iudicium dei, ut obseruemus quis futurus sit finis aliorum. Si ergo dominus tam crudeli iudicio familiares & domesticos suos

suos afficit, quid fiet extraneis & hostibus suis: Ecce, ait dominus per Ieremiã ad gentes, in ciuitate in qua inuocatum est nomē meum ego incipio affligere, & uos quasi innocentes & immunes eritis? Non eritis immunes. Gladium enim inuoco &c. Deinde leue mendacium, ut uideatur, absq; iuramento designatum tam atroci pœna plectitur, ut discamus quantum pœnarū mereatur periurium, homicidium, latrocinium, & alia id genus horrenda scelera. Etenim hi duo mendaces coniuges repentina morte conciderunt, non ut omnes aut mendaces aut scelerati statim à designato flagitio similiter repentina morte pereant, sed ut terribili hac pœna ad resipiscentiam ceteri inuidentur, aut si non resipuerint, sciãt eo seuerius supplicium ipsis imminere, quo serius uenit, tarditatemq; supplicij grauitate fore compensandam.

Et factus est timor magnus in uniuersa ecclesia, & in omnes qui audierunt.

Nunc uide mala ex re bonum fructum. Ex duorum iusto interitu iuxta corpus (nam de animarum utriusq; salute non est præcipitanda sententia in utraque uis partem, minus uero in illarum æternam damnationem) ingens timor obortus est per uniuersam ecclesiam credentium, quin & alios qui nondum crediderant, huius exempli terror inuaserat. Boni hoc supplicio ad maiorem pietatem inuitabantur; mali autem in suis sceleribus terrebantur, & resipiscentiæ ad monebantur. Vnde paucorum supplicio discamus omnes sapiendi sanctius occasionem.

Per manus autē apostolorū fiebāt signa & prodigia multa in plebe. C

Multa & magna miracula prodebantur per apostolos apud populum, quo perspicuum esset omnibus, rem non esse uirium humanarum, sed uirtutis diuinæ. Per manus, inquit, apostolorum, non per manus omniū tunc credentium adebantur huiusmodi prodigia, adeoq; hos tantum adidisse legimus miracula, qui ministerio prædicationis functi sunt, ut apostoli, Stephanus, Paulus, & alij Euangelium de Iesu Christo prædicantes. Itaq; hac tantum causa prodita sunt miracula, ut nouum ministerium Euangelij confirmaretur. Inuehebant enim apostoli in orbem nouam doctrinam, & publice nunquam auditam, de uirtute fidei, de Christo deo & homine, de legis ceremonialis abrogatione, & de Christo crucifixo colendo. In cuius solius nomine salus inter homines daretur animarum, in quo oporteat nos saluos fieri. Huius ergo nouæ doctrinæ sigillum & confirmatio esse debebant miracula omnipotentia diuinæ, quibus ne angelus quidem de cœlo descendens contradicere posset, uel persuadere de contrario. Non uane autem additur, Prodigia facta in plebe, quasi non sic facta frequenter fuerint in magistratu, & inter pharisæos, pontifices, & scribas, quod horum non fuerit tanta fides Euangelio & apostolis, ut uel desyderarint miracula, uel admirari ea potuerint, salutemq; consequi, præter paucos ex multis comparatione, electos à Christo.

Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.

Quotquot Euangelio adhaerant & prædicationi apostolicæ, uersabantur unanimiter in porticu, quæ dicitur Salomonis. Non em̄ iam latere cupiūt, sed tempus erat, ut candela imposita candelabro luceret omnibus ingredientibus domum. Erat autē porticus Salomonis locus orationis et doctrinæ uulgi, quando in ipsum templum non admittebantur nisi sacerdotes & leuitæ. Si tamen ad illud usq; tempus omnia obseruauerunt legitima primi templi, à cuius sanctitæ

te posterius in nō paucis nec modicis inferius & ignobilius fuisse legitur, quālibet fuerit in multis quoque gloriosius. Circum utrunque autem templum undique porticus erant, & deambulatoria pro plebe: quarum una erat dicta Salomonica, in qua frequenter prædicauerat Christus, in qua nunc quoque discipuli populum alloquuntur. Non à Salomone aedificatam, sed in eiusdem fundamentis ab Herode restauratam, & prisco nomine honoris gratia cognominatā, ut Salomonis porticus dicatur in hoc libro, in qua porticu conueniebant frequenter fideles ad orationem, prædicationem, & mensam dominicam. Quandoque autem & alij in porticibus epulæ quoque solennes & festiue à populo celebrabantur iuxta ritum uetustum & legalem.

Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus.

Cæterorum qui nondum dederāt nomen in baptismo, ut inter Christianos qui tunc discipuli dicebantur, adnumerarentur, nullus audebat se illis iungere. Videbant enim populum deo sacrum esse, & admirabile signis & moribus, ideoque & religione quadam abstinere ab illorum congressu, quemadmodum prophani solent ab his quæ templo dicata sunt temperare. Nec enim oderat eos populus, qui charitate & modestia supereffluebant, sed ob insignem dei uirtutem in illis refulgentem suspiciebat & reuebatur. Quamquam & Ananiæ Saphiræque exemplum multis incusserat terrorem, ne quis sicte semet adiungeret. Non nulli uitabant congressum non alia ratione quam quod phariseorum et pontificum censuras metuebant, qui prohibuerant, ne quis huic se sectæ nouæ addiceret. Omnes tamen glorificabant eos, interim passi humana, cum fortiores sese exhibere debuerint. Nos uero nulla inutilis uerecundia uel metus retardet, quominus fidelium collegio aggregemur, sed eandem doctrinam Euangelicam cum uitaque exemplar perfectissimum credamus & æmulemur.

Magis autem augebatur credentium in domino, multitudo uirorum ac mulierum:

Magis ac magis indies accrescebat multitudo credentium domino, uirorum simul ac mulierum. Cœperat augeri primitiua ecclesia, primum quidem ex Christi LXX. discipulis, qui ad Christum redierant post ascensionis et apparitionis diem, ubi quingentis uisus fuerat, deinde ex aliquot Petri contionibus supra quinq; milia iam erant: haud dubium quin horum exemplo, studio, alloquio, familiaritate, cognatione, & afflatu diuini spiritus indies uehementer adaucti sint numero & merito. Quorum plurimi statim in diuersas mundi regiones referunt ad desiderium audiendi Euangelium ab apostolis, & apostolorum multis discipulis, quorum plurimi sine aliqua mora conati sunt Christi gloriam ebuccinare, & adimpletas dei promissiones in Christo passim dispersis in orbem ludæis melioribus prædicare.

ita ut in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut ueniente Petro saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.

Hanc autem quolibet consciam sententiam non commodius clarius & simplicius intelligemus quam si uersui undecimo continuemus, inter medios tres pericopas, parenthesis loco legentes, ut sit sensus, Multa & magna prodigia fiebant

bant in plebe apostolorum opera, & uirtute diuina per eosdem dispensata, eate nus, ut etiam in plateas eijcerent credentes et pii homines infirmos suos, et pro stituerent in lectulis & grabatis, ut ueniente Petro saltem umbra illius obūbra ret quenquam illorū, & liberarentur omnes à suis morbis. Nimirum his exhibi ta est promissio domini Iesu, qui de discipulis dixerat, Et his maiora faciēt. Con tactu sūbriæ Iesus sanauit quosdam, umbræ contactu sanatum neminem legi mus. Quid uero uanius umbra, & quidem Petri, defectoris nuper & abnegato ris? Sed nihil effecit umbra, sed Christi uirtus, et fidei efficacia merebantur sani tatem, credentibus sermonibus Euangelij per apostolos prædicati, ut huiusmo di signis qualibuscunq; certe magnis & inæstimabilibus Petri prædicatio de Ie su Christo approbaretur. Non minus quàm cum miraculum de ossibus Elisæet mortuum contactu resuscitantibus, non tam prophete sanctimoniã quàm fidei & prædicationis eius certitudinem comprobare debebat ordinatione diuina, quæ hæc operabatur, non quæcunq; uis humana quamlibet sancta. Propria er go miraculorū ratio non est, ut iustitiam ministrorum testetur, sed officium & fi dei ueritatem quam prædicant hi per quos deus miracula operari dignatur, non homines.

Concurrebat autē & multitudo uicinarum ciuitatū Ierusalem, affe rentes ægros & uexatos à spiritibus immundis, qui curabātur omnes.

Indies latius sese spargebat miraculorū fama, quibus deus omnipotens hūc semper Iudaicum populum lactauit, alioqui rebellem atq; incredulum & dure cervicis, adeo ut ex uicinis quoq; ciuitatibus magna uis hominum accurreret Hierosolymā, adducēs secum uarijs morbis obnoxios, & ab impuris spiritibus uexatos, qui sanabantur omnes. In tam admirabili rerū successu conuenit ob seruare inuictam apostolorum modestiam, qui nihil hinc sibi uindicabant glo riæ, sed laudem uniuersam in nomen domini Iesu referebant. Miraculorum au tem tantorum causa post dei gratiam & uirtutem alia non fuit quàm fides ele ctorum, & uocatorum in Christum, quæ desuper larga dei bonitate multis da batur ad gloriam Christi, & ad propagationem Euangelicę ueritatis, qua semel decreuerat mundū implere, & docere gentes uniuersas, idq; initio sumpto iu xta prophetas ex monte Sion & Hierosolyma, inuitis potentibus & sapiētibus huius mundi, adeoq; ipsa Hierosolyma & magistratu eiusdem. Eam ob rem so licitati sunt spiritus hominum ad adducendum ægrotos, qui Christi nomine inuocato sanabantur miraculose à prædicatoribus Euangelij Christi.

Exurgens autem princeps sacerdotum & omnes qui cum illo erāt, D quæ est hæresis Sadducæorum, repleti sunt zelo: & iniecerunt manus in apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.

Quū hunc in modū feliciter inclaresceret nomē Iesu Christi, seseq; quotidie latius diffunderet Euangelicę doctrinæ fragrantia, nō tulit ueræ religionis in crementum falsę religionis uel superstitionis antistes Annas. Huic præter cæte ros potissimum adhærebant qui pertinebant ad sectam Sadducæorum, quod præcipua testificatio apostolorū erat de resurrectione domini nostri Iesu Chri sti, ex qua totum Christi mysterium pendeat, & erat totius operis redemptio nis colophon & consummatio. Quæ res mitiores fecerat phariseos qui resurre ctionem asserunt aduersus Sadducęos. Decretum quidē fuerat, ut res orta dissi mulatione consopiretur. Sed malitia uicit consilium, & furor metum excussit. Nam sacerdotum princeps cōmotus zelo satanæ, unā cum Sadducæis manus

iniecit in apostolos, ac posuerunt illos non iam in privato carcere, uelut examinandos, sed in publico, tanquam manifesto scelere deprehensos. Delectus erat carcer insigniter munitus, ne qua possent elabi, neue per tumultum plebis eripi. Orauerant iam ante sancti & deo dilecti apostoli, & exauditionis signum acciperant terramotum, ideo nunc non terrentur, sed confidunt, utcumque contraria appareant promissis dei: perseverantia necessaria est, fides non fallitur in deum, ex sequentibus claret domini circa suos sanctos consilium, qui per aduersitates, per ignes & aquas perueniunt ad refrigerium, magnanimiter dei dispensatio expectanda est. Sic suos patientia exercet, confirmat, & liberat ab omnibus malis: Quid sequitur inder?

Angelus autem domini per noctem aperiens ianuas carceris, et eductus eos, dixit: Ite: & stantes loquimini in templo plebi omnia uerba uite huius. Qui cum audissent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant.

Euangelicus sermo nec uinciri nec includi potest humanis consilijs. Dominus enim Iesus qui suorum protector est, & pastor suarum ouium, non dormit nec diu dissimulat, misit angelum suum, qui noctu reueratis carceris foribus eduxit illos. Ne quid uos perturbet sacerdotum malitia, quin potius tanto constantius qua coepistis pergite. Ite, & in ipso templo stantes predicare populo quicquid uobis predicandum mandauit apud uniuersas orbis nationes. Erat aliquando tempus, quum se uetaret predicari Christus. Nunc adest illud tempus, de quo uobis dixerat: Nihil occultum quod non reuelabitur, & quae nunc in aurem auditis, predicabitur in tectis. Hac exhortatione angeli facti animatiores apostoli, diluculo ueniunt in templum, atque ex more docent frequentem multitudinem. Nunquid non est hoc deum respicere ad minas aduersariorum, quod orauerat apostoli angelum consolatorem mittere, uinctos liberare, educere, monere ut pergant predicare ueritatem? An hoc non est fiduciam loquendi accipere, & in predicatione Euangelij pergere? Quomodo clarius ostendi posset, se a domino fuisse exauditos, quamlibet aduersa ferenda sequentur? Quanto contemptiores & fortiores captiuitati apostoli traduntur, tanto gloriosiori libertati restituuntur. Hic enim mos est domini dei nostri, ut sinat impios aliquantisper exaltari, & fideles deijci, ut illi grauius deijciantur, hi uero admirabilius exalantur. Praeuident hic apostolis pontifices, ut uinculis constringantur illi, hi diuexentur. Sed perueniunt consequenter illi in sua potentia, apostoli autem glorificantur apud deum & homines. Varij sunt autem diuinae liberationis modi, qui & a fidelibus creantur, ut etiam in eculeis & craticula sancti felices sint, & beatitudine sua apud homines & deum minime fraudatos intelligi possint.

Adueniens autem princeps sacerdotum & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium & omnes seniores filiorum Israel: & miserunt ad carcerem ut adducerentur.

Summus pontifex ignarus quid gestum esset noctu per angelum, adiunctis sibi Sadducaeis, et quos habebat in hac causa certos suae sententiae suffragatores, uenit in locum concilij. Eo conuocatum est uniuersum concilium sacerdotum, magistratum, unam cum toto ordine seniorum gentis Israeliticae. Iam enim habebantur contumaces apostoli, & inobedientes maioribus, ob quam illi facti irritiores, decreuerant atrocius aliquid in eos statuere. Atque hic interim considerat Lector, malitiosam impudentiam sacerdotum, qui cum nihil haberent quod merito

rito criminarentur in apostolis, tamē frequentī consilio peragunt quicquid libuit, ut quod erat impium, hoc ipso iustum & rectū uideretur, quod totius concilij consensu decretum fuisset. Id semper ab impijs contra pios præsumitur: sic non raro innocentes oppressi leguntur. Hac uia in concilijs aliquando disputatum est cum hæreticis. Sic ad tempus falsitas uicit, perierunt sancti, sed impijs, non deo uel ecclesiæ. Nunc illi primores gaudent se occasionem nactos contra apostolos, non solum maiestatis pontificiæ contemptores, sed præfracte contumaces, et publicæ pacis turbatores. Quis iam istos captiuos de illorū raperet manibus? quis carceres infringeret publicos? quis omnium hominum destitutos auxilio defenderet? Carcer cum omni diligentia clausus est, custodes pro foribus, ut seruentur ad dira supplicia, interim publice in templo Euangelium prædicatur ab eisdem, quos occidere deliberabāt pontifices, Domino statuente de suis seruis ne periclitentur.

Cum autem uenissent ministri, & aperto carcere non inuenissent illos, reuersi nunciauerunt, dicentes: Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas: aperientes autem, neminem intus inuenimus.

Vbi magnifice suo quisque loco sedere proceres, missi sunt uiatores, qui reos e carcere eductos susterēt in confessu. Ventum est ad carcerē, reperti sunt custodes ad ostium carceris excubantes, apertum est ostiū, ingressi nullū apostolum repperunt, nec ullum uestigiū qua fuissent elapsi. Itaque ministri reuersi ad concilium, quod uiderāt renunciant. Carcerem, inquiunt, inuenimus summā diligentia clausum, & custodes adstantes ad ostium: ceterū ubi patefacto ostio sumus ingressi, neminē illic offendimus. Non hinc occasio ratioque sumenda est docendi, apostolos ianuis clausis exiisse, & nequaquam apertis, ut necesse habeamus querere uel docere, quomodo duo corpora in eodem loco esse possint, & si id non contradictionē implicet, & sit ut ipsi loquuntur, oppositum in adiecto. Angelus aperuit carcerem, ministros somno obruit, uel cæcitate affecit, ut nescierint exisse apostolos. Non sunt absque patente necessitate exponendæ scripturæ multiplicando contra & supra naturam miracula, maxime non omnino manifesta & publica. Quæ creata potentia & angelica uirtute fieri possunt in talibus, non sunt contra naturæ cursum reijcienda in unius omnipotentia super naturalem uirtutem uel actionē. Hac in parte non pauci nec parum peccarūt, & ludibrio exposuerunt simplicitatē fidei & scripturarū sacrarū, usque ad scandalum ingens & perniciosissimū extorū, quin & ad perturbationē ecclesiasticorum, dum tam crebro arguitur, deus hoc potuit, ergo factum est.

Vt autem audierunt hos sermones magistratus templi & principes sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret.

Ea res perturbauit uehementer omnium animos, eorum præsertim qui magistratus erant templi ac sacerdotū principes, iamque ancipites concilij ambigebant quorsum hæc res esset euasura. Paulò ante tormenta, flagella, gladios, lapides, & cruces cum summa arrogantia spirabant: nunc anxij timent, & pudore confunduntur, dum interim dominus omnia sic administrat, ut hoc factum esset piorum in sectanda dei uocatione consolatio, & impiorum in persequenda pietate admonitio. Quid enim pios magis à sectanda uocatione diuina absterret quam timor aduersariorum, quando & hic metus etiam Petrum adegit ad Christi negationem, aliosque ad fugam apostolos? Discamus ergo metum abijce

re, & propriæ salutis & commodi desyderia non sectari, quando hic deus docet hoc facto, excluso timore alacriter uocatione dei sequamur. Quid hic aduersarios quantumuis atrociaminantes aliud manet quam pudor extremus? Quos dominus irridet in cœlis habitans & subsannat. Loquetur ad eos in ira sua, & furore suo conturbabit eosdem. Maledicent illi hostes ueritatis, tu uero benedicet ô deus. Qui insurgunt in me confundentur, seruus autem tuus lætabitur &c. Ambiebant perterriti sacerdotes quidnam facerent de apostolis domini.

Adueniens autem quidam nunciauit eis, Quia ecce uiri quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, & docentes populum.

Interea dum sic perturbatione & confusione hærent, dum consultant, dum trepidant, interuenit quidam, qui tristi nuncio magis etiam illorum animos perturbaret. Ecce, inquit, uiri illi quos heri inclusistis carceri, nunc stant in templo ac docent frequentem populum. Quod hic pontificibus erga omnes apostolos cõtingit, postea eueniet Herodi regi erga solum Petrum conijciendum in carcerem. Idq; nõ mirandum. Christus dominus noster à pontificibus damnatus est ad crucem, & occisus, qui tamen contra omnium opinionem & expectationem resurrexit à mortuis, & regnum accepit à patre cœlorum & terræ. Quot autem solide pietatem, pro qua sciant manere eos salutem certissimam, aduersarios autem extremam confusionem. Itaq; cum audirët in concilio pestilentia sedentes, apostolos in templo stare ac docere, quid facerët? Non erat tutum in tanta populi frequentia manus uiolentas in eos iniicere, non erat consultum armata manu irruere in totam multitudinem, proinde quod tutius, aggrediuntur.

Tunc abiit magistratus cum ministris, & adduxit illos sine uiribus: timebant enim populum, ne lapidarentur. Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio.

Tum ex sacerdotum sententia magistratus templi, quoniam ad ipsos pertinebat curare ne quid fieret in templo secus quam oporteret, abeunt in templum adiuncto sibi satellitio ministrorum aduersus uim populi. Reperiunt id quod erat nunciatum, stantes illos in templo, ac frequenti multitudini contionantes de Iesu. Non tamen iniiciunt manus quemadmodum ante fecerant. Videbant enim numerosam multitudinem, ac metuebant ne si quis tumultus fuisset exortus, lapidarentur. Sed nec talis erat illa multitudo ut uim pararet, nec tales apostoli ut uir defendi cuperët. Aderat infracta animi constantia, sed absq; ferocia. Vident eos per quos pridie fuerant ducti in carcerem, nec sibi tamen metuunt, nec fugiunt, nec brachium populi appellant uel postulant, & auxilium contra magistratum: nec deniq; sermonem Euangelicum interrumpunt, donec magistratus illis placido sermone persuaderet ut uenirent in concilium. Paruerunt apostoli, ne publicam potestatem uiderëtur contemnere. Dominus enim non docuerat illos, ne irent uocati, sed intrepide loquerentur. Ventum est ergo in concilium, statuuntur in medium tam magnifici confessus duo piscatores.

Et interrogauit eos princeps sacerdotum, dicens: Præcipiendo præcepimus uobis ne doceretis in nomine isto: & ecce replestis Ierusalem doctrina uestra, & uultis inducere super nos sanguinem hominis istius.

Annas sacerdotum omnium princeps magna cum authoritate nec minore supercilio sic est exorsus: Nonne proximo concilio ex tantorum uirorum authoritate etiam atq; etiam præcepimus uobis, ne pergeretis docere populum, aut

aut ullam nominis Iesu, quod abolitum esse uolumus, mentionem faceretis apud ullum hominem, nec exterum, nec Iudeum, nec publice, nec priuatim: Et ecce contempta totius auctoritate concilij non solum non siluistis, uerum etiam tanto uehementius predicastis, adeo ut impleueritis totam Hierosolymam uestra doctrina, rumore eorum que facitis ad finitimas etiam ciuitates peruagante. Vultis igitur malitioso studio nobis impingere inuidiam mortis hominis istius: predicatis enim palam illum per nos occisum, id quod negari non potest. Eundem predicatis iustum & sanctum, & a deo probatum, & in nomine illius aditis miracula, nos uidelicet apud multitudinem traducentes, & condemnantes impietatis, qui talem ad mortem adegerimus. Hæc erat oratio summi pontificis, que nihil aliud habet iuste defensionis, tantum auctoritate territat, ut quod uerum erat, & ob salutem omnium omnibus predicandum, ob impiorum gloriam sileretur. Nunc contra audiamus piscatorem & Euangelicum pontificem fortissime quidem, sed admixta mansuetudine respondentem.

Respondens autem Petrus & apostoli, dixerunt: Obedire oportet deo magis quam hominibus.

Magnifice pontifex, inquit Petrus, magistratus, seniores, reliquique uiri preclari, qui consideratis in hoc concilio, nos uestram auctoritatem nequaquam contemnimus, sed auctoritatem diuinam humanæ præferimus, idque nos esse facturos respondimus, quum nobis interdiceretis, ne nominis Iesu mentionem faceremus. Neque puto quenquam esse in hoc concilio, qui putet æquum esse, ut ob hominum interdicta negligamus iussa dei, & dum metuimus iram uestram, incurramus in iram dei. Si uestra iussa consentirent cum uoluntate dei, libenter & uobis & illi satisfaceremus. Nunc cum interdicta uestra prorsus pugnet cum illis edictis, quoniam utrisque satisfacere non possumus, malumus obedire deo quam hominibus. Neque cuiquam inuidiam per nomen Iesu conflare cupimus, sed omnibus conciliare salutem. Vobis quoque etiam magis expedit, ut uestram auctoritatem submittatis uoluntati diuinæ quam ut nos huc adigatis nolentes, ut diuinæ uoluntati repugnemus. Nulli non patet remissio peccatorum, si ueritatem Euangelicam amplectens resipiscat. Ea sic habet, quemadmodum & antea uobis exposuimus.

Deus patrum uestrorum suscitauit Iesum, quem uos interemistis suspendentes in ligno. Hunc principem & saluatorem deus exaltauit de cætera sua, ad dandam poenitentiam Israel, & remissionem peccatorum: & nos sumus testes horum uerborum, & spiritus sanctus quem dedit deus omnibus obedientibus sibi.

Deus patrum uestrorum quem uos nobiscum colitis, & nos uobiscum, exaltauit a mortuis Iesum filium suum, quem uos interfecistis, suffigentes in crucem. Sic enim erat definitum diuino consilio, sic erat predictum a prophetis, ut unus pro salute mundi mortem obiret. Hunc iuxta corporis imbecillitatem ab hominibus interfectum deus reuocatum ab inferis sua uirtute subuexit in hanc gloriam, ut omnibus dux esset & salutis author, sed precipue populo Israelitico, ut per hunc esset omnibus parata remissio peccatorum omnium, qui maiorum suorum agentes poenitentiam, nomen illius profiterentur. Atque horum quæ dicimus nos sumus testes, qui priusquam moreretur domesticam cum illo consuetudinem egimus, & a morte rediuiuum frequenter audiuius, uidimus, & contrectauimus, donec omnibus nobis uidentibus ascenderet in cælum.

Quod si leire pondus apud uos habet nostrum testimonium, testificatur idem spiritus sanctus, quem, ut uidetis, effudit in omnes qui obtemperant Euangelio. Auditis nouas linguas, uidetis ædi miracula. Nihil hic nostrum est, Iesu spiritus est, qui per suos ministros exerit uim suam, ut loquamur uarijs linguis, et in nomine Christi claudos sanemus, leprosos mundemus, cæcis uisum reddamus, cuius etiam nomine efficitur quod est carceribus mirabiliter liberemur. Quis autem negaret eum uiuere, & summa potestate præditum esse, in cuius nomine tanta fiunt miracula? Nos igitur ipsi & miracula nostra testificantur quæ deus agit per nos, Iesum suscitatum à morte, & ad rerum omnium dominium exaltatum esse.

Hæc cum audissent, dissecabantur: & cogitabant interficere illos.

Hæc uere apostolica oratio, quæ uel terrere debuerat illos metu supplicij, uel allicere spe paratæ salutis, magis exasperauit illorum animos, adeo ut ira dirumperentur, & inter se consultarent de occidendis illis. Iam assueuerant homicidio sacerdotes, & laniandis pecudibus in templo, ad nihil aliud profecerat nisi ut facilius & homines iugularent. Nulla hic mentio scripturæ diuinæ, nulla doctrina, nulla ratio, tantum sic iubemus, sic uolumus, aut obtemperare. Is est stultorum mos, ut recta monentes etiam citra contumeliã omnem furorẽ satanæ perciti, mortẽ in eos meditentur. Quo ergo scædior est imago stultorum, hoc magis cauenda est fidelibus. Sed nunquid omnes qui in concilio pontificum fuerunt, stultitiæ et insanix morbo laborauerunt?

Surgens autem quidam in concilio pharisæus nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis uniuersæ plebi, iussit foras modicum apostolos secedere: dixitque ad illos:

Sedebat in eo concilio Gamaliel secta pharisæus, ad cuius pedes Paulus apostolus legem didicit, uir ob insignem legis peritiã ac singularem prudentiam summo in pretio habitus apud uniuersum populum Israeliticum. Is ubi uis paulisper è concilio secedere. Insigne exhibuit prudentiæ suæ specimen, quod cum ceteris deliberate & remotis partibus seu reis sententiam suam pronunciat. Alij enim apostolis adhuc in concilio præsentibus præ iræ suæ impotentiã erumpebant, dira supplicia in apostolos statuentes, quo & prodebant stultitiã. Vidisti, inquit Salomon, hominem uelocem ad loquendũ, de stulto magis sperandum est quàm de illo. Postquam igitur illi è concilio secessissent, dixit Gamaliel ad illos:

Viri Israelitæ, attendite uobis super hominibus istis quid acturi sitis. Ante hos enim dies extitit Theudas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus uirorum circiter quadringentorum, qui occisus est: & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & reducti ad nihilum.

Viri Israelite, nolite præcipitare concilium, neque temere decernatis quicquid de hominibus istis. Ex præteritis sumite consilium, quid in futurum statuatis de hominibus istis. Non repetam prisca exempla, uestra omnium memoria gestum est quod dicam. Superioribus hisce diebus extitit Theudas magus & impostor, qui se iactans apud populum ac prodigiosa pollicens, satis magnum hominum

minum numerum attraxit in suam factionem ferè usq; ad quadringentos. Sed huius rei, quoniam erat ex humana malitia, fuit infelix exitus. Siquidem & de eodem sumptum est supplicium, & omnes quotquot illi adhæserant, partim interfecti sunt, partim capti, ita dissipatis omnibus tota est secta redacta in nihilum. Persuaserat hic Theudas Iudæis multis, ut acceptis eorum facultatibus ipsum sequerentur ad fluuium Iordanem, asserens se prophetam, uelle præcepto suo diuidere fluuium, & præbere facilem transitum, sicut quondam mare rubrum à Mose diuisum fuerat, & Iordanis à Iosue quondam. Què Fadus Iudæorū præses impediuit, præueniendo institutum: missa enim equitum cohorte super eos, multos peremit, plures uiuos cepit, Theudam capitis obrutacione multauit. Euentus rei declarauit, magi conatum non fuisse ex deo, ideo facillime potuit impediri.

Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse perijt: et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.

Addam exemplū aliud de Iuda Galilæo, qui dictus est Gaulonites. Hic eo tempore quo ex edicto imperatoris Romani nouus & inauditus antea cæsus à singulis Iudæis exigebatur, adiunxit sibi Saddocum Pharisaum, quo adiuuante multos ad defectionem à Romano imperatore sollicitauit, dicens, censum & exactiōnem huiusmodi nihil aliud esse quàm ipsissimam seruitutem, et quo honestiore specie libertatem tueretur, docuit solum deum principē ac dominum omnium dicendum, nec ullum hominem pro domino agnoscendum. Quare effectum est, ut multi sermonibus eius persuasi maluerint subire mortē quàm Romanum imperatorem aut eius præsidēs agnoscere pro dominis, eisq; tributum soluere. Huiusmodi ergo grata uulgo suadens, multos obtinuit sectatores. Sed quia partim ambitio partim carnale libertatis desyderium, non autem spiritus dei huius negotij author fuit, perijt ipse Iudas, & omnes quotquot paruerunt ei dispersi sunt.

Et nunc dico uobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consiliū hoc aut opus, dissoluetur: si uero ex deo est, non poteritis dissoluere, ne fortè & deo repugnare uideamini.

Proinde mihi sic uidetur, cōsultius facietis si temperetis ab hominibus istis, ac sinatis illos, quando neminem adhuc lædunt. Quoniam si hoc quod incēpant aut moluntur profectum est ex humano consilio, dissipabitur sua sponte: si deus est author istius negotij tam admirabilis, iam impiū fuerit uelle dissipare quod authore deo geritur (quid em̄ hoc aliud esset quàm repugnare deo?) & imprudētia fuerit, uelle conari quod nō possitis efficere. Quis em̄ resistet uoluntati dei? An nescitis quā rē Moses & Aarō in Aegypto inchoauerint? Nōne rex Pharaō totis uiribus conabatur eam impedire? sed quo magis ille impediebatur, eo magis peragebatur. Et Iosephū fratres impedire satagebant à regno, & eisdem suis medijs promouebant in regnum domino sic ordinante. Si uero hoc apostolorum negotium ex hominibus est, hoc est prudentia humana, auaritia, & ambitione, tunc frustraneum erit præceptū supplicium. Aut enim sua sponte negotium istud dissoluetur, aut si ampliores uires receperit, à Pilato & alijs præsidibus opprimetur: si uero à deo excitatum fuerit, nihil persequutione aut cædibus uestris aliud efficietis quàm successum eiusdem. Quid uero hac Gamalielis sententia prudētius, desumpta ex ipsissimo sacre scripturæ animo, quæ

sentit omnes humanos conatus cōsilia proposita & opera pudefieri, solum autem dei consilium & opus consistere.

Consenserunt autem illi. Et conuocantes apostolos, cæsis denunciauerunt ne omnino loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos.

Hæc ergo Gamalielis sententiā tantum ualuit apud concilium, ut decretum de occidendo discipulos differretur in aliud tempus. Et hæcenus itum est pedibus in Gamalielis sententiā, non ut in totum abstinere ab apostolis, furore et inuidiā superati, sed ut conuocatis simul omnibus duodecim, ac cæsis denuntiaretur, ne posthac ullā mentionē facerent nominis Iesu. Et hæc nūc pœna cruciatu corporis admoniti saperent, æstimates apostolos in speciem humiles ac plebeios, ex Barbarorum ingenio, qui plagis emendantur. Verum ex huiusmodi malis robur colligere solet uigor spiritus Euangelici.

Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

Apostoli agnoscentes uerum esse sermonem quem dixerat Iesus, quod essent in ius uocandi, quod in synagogis flagellandi, non ob ullum maleficium, sed ob professionem salutiferi nominis, alacres ac gaudentes discedebant à conspectu concilij, uirgarum ignominiam, quam alij putabant esse intolerabilem, sibi gloriæ ducentes, quod deus agnosceret suos apostolos, quos hoc honore dignatus esset, ut pro nomine filij ipsius contumelia afficerentur. Meminerant autem quod ante prædixerat illis Iesus, Gaudete & exultate, quoniā merces uestra copiosa est in cœlis. Nec solum donum dei est credere in Christum, sed etiam pati pro nomine eius. Si enim cum Christo patimur, & unā cum illo glorificabimur, & perpetua cum Christo felicitate perfruemur, sempiternoque honore ab omnibus afficiemur creaturis. Tantis beneficijs donatur, qui pro Christi nomine patitur, ut apostoli nunc, olim prophetae.

Omni autem die non cessabant in templo & circa domos docentes & euangelizantes Iesum Christum.

Tantum abfuit ut hæc pœna ac principū denunciatione redderetur segnius ad prædicandum nomen Iesu, ut alacriores etiam redditi, & publice in templo, & priuatim in singulis domibus incessanter docerent, quæ acceperant à domino Iesu, ac lætum nuncium omnibus adferebant, hunc esse uerum Messiam per quem oporteret omnes saluos fieri. Quæ enim præcipit deus, inuitis omnibus etiam inferorum portis urgēda sunt, inculcanda sunt, & perseuerandum.

CAPVT VI.

AN diebus autem illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eò quod despicerentur in ministerio quotidiano uiduæ eorum.

Per id tempus quum indies accresceret numerus discipulorum (sic enim tum uocabantur, qui post Christiani dici cœperunt) obortum est murmur Græcorum, non eorum qui de gentilitate conuersi ad Christianismum fuerant, quādo nondum Euangelium ad Gentes fuerat diuulgatum, sed Iudæorum illos, qui non in Iudæa, sed apud Gentes passim in Græcia nati fuerant, Hierosolyma autem habitantes, aut religionis aut studij gratia. Causa murmuris secundū quosdam ex pietate nata est. Quum enim mulieres aliquot circumducerent apostoli,

stoli, quæ illis ministrabant, Græci dolebant non idē honoris haberi suis uidiuis, ut quotidiano ministerio liceret apostolis ac discipulis inseruire. Hoc enim dignitatem interpretabantur. Alij adferunt causas alias, quia scilicet Græcorum uiduæ, genus mulierum, ut despectum ac derelictum, ita querulū et morosum, negligerentur, & alijs ab apostolis expensa præripiētibz, uictum suum non satis consequerentur. Non enim integrum erat apostolis, præ suo negotio prædicandi Euangelium, accurate inquirere, quid cuiq; deesset. Quū igitur in quotidiana dispensatione & œconomia aliquibus minus distribueretur, ortum est murmur Græcorum aduersus Hebræos conquerentium quod cum ipsi æque facultates atq; alijs in commune contulissent, ac eundem Christum constanter confiterentur, inique tamen uiduæ eorum tractarentur, & ita negligerentur, ut necessario uictu carerent. Id erat non leue peccatum murmuris contra apostolos, sicut & olim Israelitarum contra Mosen. Describitur autem hoc recētis delictum ecclesiæ multas ob causas, tum ut eius occasione res gestæ à Stephano cōmuniter narrentur, tum ut sentiamus spiritum sanctū non ita regerare pios ut nihil carnis & sanguinis aut fragilitatis relinquat, tum ut hospitalium gubernatio designetur, non absimilis huic apostolicæ, ubi nunc Christiani opes quoq; suas in cōmune conferunt, alius plus, alius minus, alius nihil, inter quos uitari difficile potest occasio murmuris, odiorum, & inuidiarum, de quibus experientia docet. Vbi partibus utrisq; hoc est distribuētibz & recipientibus exhortatio necessaria est, de qua alijs, quādo ab utrisq; partibus cōmuniter peccari solet, dum hi queruli sunt iugiter, et meliora desyderant quā accipiant, et dispensatores quoq; grauiter nonnunq; peccāt inæqualitate affectata, dum curant magis censuum augmenta et priuata cōmoda quā opera pietatis, ad quæ sunt instituti, ut quā fidelissime agāt, & æqualitate distributua adsint officio ecclesiastico.

Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquū, nos derelinquere uerbū dei, & ministrare mensis.

Vt intelligamus quantopere displiceat bono pastorī quālibet leue dissidiū, statim duodecim apostoli conuocata discipulorum multitudine, quo plus haberet authoritatis quod omnium consensu decretum fuisset, hunc in modum uerba fecerunt: Videmus nescio quid murmuris ortū inter nos ministerio mulierum. Prouidendum igitur est, ne nos huiusmodi curis leuioribus identidē interpellemur, nimirum altiori functioni destinati. Nobis iniunxit dominus, ut doceremus Euangelium. Non est igitur probandum, ut nos obmisso delegato munere prædicandi Euangelij ministremus mensis. Quemadmodum enim in corpore uaria sunt membra, ac suo quodq; officio fungitur membrū, ita tumultus & confusio uitari non potest in tanta multitudine, nisi diuersæ functiones in uarias personas distribuantur, sic tamen ut omnia referantur ad utilitatē uniuersi corporis. Nec enim oculus sibi unī prospicit, sed omnibus membris; nec manus sibi tantum laborant, sed toti corpori.

Consyderate ergo fratres, uiros ex uobis boni testimonij septē, plenos spiritu sancto & sapientia, quos cōstituamus super hoc opus. Nos uero orationi & ministerio uerbi instantes erimus.

Circūspicite fratres, ex uestro numero septē spectatæ probitatis uiros, plenos spiritu sancto, ac singulari præditos sapientia, quibus ex uestra uoluntate delegemus hoc negotij, quo nos hactenus occupamur, non sine dispendio fun-

tionis Euangelicæ. Nos uero per illos quietiores facti, his quæ proprie nostrarum sunt partium incumbemus precationi, & administrando sermoni doctrinæ Euangelicæ. Illi curam gerant pascendorum corporum, nos animis uestris pascendis uocabimus. Eteim si nos œconomie operam damus, negligitur interim prædicatio Euangelij, et publicæ orationis officium; si uero predicationi & orationi operam damus, negligitur interim œconomia, ita ut multis suæ portiones non æqualiter dispensentur. Non quidem impiū est administrare utrumq; sed difficile est utriq; sufficere in tanta hominū frequētia. Nec nobis est integrum, Euangelio alijs delegato ut soli œconomia operam demus. Abdicamus igitur curam domesticam, & alijs à uobis deligendis committemus, nos autem Euangelij prædicatione & oratione defungemur. Quantq; autem ciuilia & ecclesiastica officia ex ordinatione dei ab eodē possint homine pie geri ac tractari, quia tamen difficile est ab eodem utriq; officio pro sua necessitate satisfacere, ideo apostoli abdicato ciuili munere id solum retinent quod est uere apostolicum, administrationem Euangelij, & publicæ orationis. Qua in re præcipue uidemus quam longe à maioribus apostolorum distent nostri episcopi, principes nationum, qui tamen audent se iactare apostolorum esse successores. Nam apostoli retinuerunt id officium quod minimū habet honoris & uoluptatis, plurimum autem laboris periculis & tædij. Episcopi autem nostrorum temporum abdicato & alijs delegato prædicandi Euangelij officio, præsidēs prophanos agūt, retinent id quod plurimum habet honoris & maiestatis. Et id tolerandum quidem, si non interim genio & uoluptatibus indulgent; insuperq; quod est intolerabilius, synceram Euangelij prædicationem ad quam obligantur, prohibēt, imò ferro igni alijsq; tyrannidis suæ instrumentis prosequuntur. Obseruandum quoq; ex uerbis apostolorum, quales illi describant dispensatores opum ecclesiasticarū. Viros, inquiunt, spectatæ probitatis, & integri nominis & famæ, ple-nos quoq; spiritu sancto & sapientia, qui spiritus sanctus non solum prophetas facit, sed uariorum munerum & uirtutum author est, qualium multæ necessariz sunt in huiusmodi dispensatore.

Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerūt Stephanum uirum plenum fide & spiritu sancto, & Philippum, & Prochorū, & Nicanorē, & Timonē, & Parmenam, & Nicolaū aduenā Antiochenum.

Hæc apostolorum oratio placuit uniuersæ multitudini, nulla hic locum habente contentione uel ambitione, omnia tranquille peraguntur & simpliciter. Apostoli suadent eligendos œconomos, obsequuntur auditores summa animi beneuolentia, eligūtq; uiros septem, ornatos ijs uirtutibus quas apostoli in huiusmodi dispensatoribus requirebant, Stephanum spectatę fidei, & plenum spiritu sancto. Hic primus ponitur & solus laudatur, ut in uno omnes laudentur, aut quia primus martyrij honore fuerat decorandus. Nicolaus autem religio-ne profelytus, patria Antiochenus. Sunt qui hunc putant authorem hæreseos, quod non tamen probatur, & si sit, ad stipulatur quoq; electioni Christi, qui & Iudam habuit inter electos apostolos, ne quis nimium hominum electioni defecerat, uel communitatem obseruare tantum eam uelit, in qua nemo sit impius, ut mundum exire cogatur.

Hos statuerunt ante conspectum apostolorū: & orantes imposuerunt eis manus.

Hos

Hos sic electos statuerunt in conspectu apostolorum, ut illorum autoritate quod factum erat, comprobaretur. Apostoli uero fuis ad deum precibus ex more, imposuerunt illis manus. Nam hoc ritu primum debebantur sacra ministeria, exemplo sumpto à domino Iesu, qui quibus benedicebat, solitus est manum imponere. Quod si quis roget, quid opus fuerit his ritibus ad designandos ministros, qui mensæ curam agerent, sciat prophanam quidem esse functionem tractare pecuniam, maxime communem, sed quæ requirat fidem non uulgarem, & animum incorruptum. Testis est Iudas, quem auaritia corruptus animus ad domini sui prodicionem adegit. Tum autem, quoniam præscribebant & alijs quid in huiusmodi negotijs oporteret fieri, addenda erat & autoritas, quo magis omnes illis tanquam apostolorum socijs & adiutoribus parerent. Præterea discipulorum conuiuia non erant qualia erant uulgi, sed magna cum religione capiebatur cibus, quoties capiebatur. Hoc enim decet omnem fidelem, qui dei beneficia & datorem agnoscit & ueneratur, ut æquum est. Omnis panis fractus sanctis Christi discipulis repræsentabat factum domini in ultima cœna cum ipsis exacta, cuius nunquam oblitus sunt quoad uixerunt, & ita in memoriam reuocabant & repræsentabant traditum pro mundi salute corpus domini. Omne uinum communiter bibitum admonebat sanguinis dominici in cruce effusi in remissionem omnium peccatorum. Denique & corpus ipsum dominicum in ecclesia publice sacramentaliter administratum, & sanguinis quoque ipsius dominici sacramentum per diaconos administrabatur multitudinè. Et si quando uacabat per ministerium, prædicabant & ipsi Euangelium ueluti apostolis proximi.

Et uerbum dei crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem ualde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. C

Maximum hoc quoque dei opus censi debet, quod aduersantibus ac repugnantibus tantis & tot magnatibus Euangelico profectui, adeoque inuitis inferorum portis, non iam unus & alter, sed magna turba sacerdotum, qui prius et Iesum Christum ad crucem adegerant, & discipulos eius extremo odio fuerant prosequuti, iam se in Euangelicæ fidei obedientiam tradebant. Ex quorum miraculoso exemplo Euangelij persecutores impij à persecutione sua deterrebantur haud parum, palam sentientes quod aduersis suis conatibus cursum operum dei adiuuant potius quam impediunt, & quod non hominibus, sed deo resistunt, qui nolentibus uolentibus ipsis consilia sua fortunat & exequitur: quin & ex hoc facto maxima dei clemencia obseruatur, & admonitio nobis proponitur, quando uidemus eis sacerdotibus qui prius Christum unigenitum dei filium persecuti sunt & occiderunt, & ab initio Euangelij prædicati contra apostolos insidias sunt moliti, nunc confertur à deo donum fidei & cognitionis Christi, ut & ipsi per Christum habeant remissionem peccatorum, & salutem consequantur: ut & nos homines longe omnium iniustissimi, remittamus aduersarijs nostris sua in nos delicta, præsertim cum illorum in nos delictum non possit esse tam graue quam uel sacerdotes in deum deliquerint, uel nos ipsi aduersus deum peccauerimus. Interimque ad huiusmodi exemplum orare discamus pro nostris quoque sacerdotibus & episcopis, quorum multi ex ignorantia uel fragilitate carnis, dum mundum nimis diligunt, detinentur in odio ueritatis Euangelicæ, quam nondum planè fortassis intelligunt, ad quam propediem conuertendi sunt, nimirum etiam episcopi, sine omni dubio citius, ut uerbum

domini sacram canonicam scripturam præuia oratione perlegerint diligenter & attente cum fide, & summi pontificis auctoritatem nullam esse crediderint contra aliquod dei uerbum, cum intellexerint & uoluerint deo magis obedire quam hominibus, cum cogitauerint officij sui iuramenta, & necessarias functiones, ut uel in hoc tantum persuaderi se sinant, si non potest fieri quod uellemus, ut in dominicam messem operatores dignos & idoneos mittant, & ad eam quos possunt disponant ac præparent, hoc est ut collegia sacra canonicorum uel proborum monachorum sacris incumbant & canonicis scripturis discendis & docendis, ut ecclesijs præficiendi, ipsorum tandem studio informentur & plantentur, & qui iam prædicant Euangelium illorum patrocinio & auctoritate defendantur ab impijs ueritatis osoribus.

Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo.

Inter diaconos autem peculiarius emicuit Stephani pietas & sanctimonia: quem quidam existimauerunt alio nomine Hebraico dictum Nathanaelem, hoc est donum dei, uel à deo datus: ex primo autem martyrio dictum Stephanum coronatum. Vtuncq; id habeat, nihil affirmamus absq; legitima auctoritate in his quæ sine periculo ignorantur. Sic se habuit & gessit hic Stephanus in delegato sibi ab apostolis munere, ut ob insignem morum mansuetudinem gratiosissimus esset apud uniuersam multitudinem credentium, & erga rebelantes Euangelio fortem & inuictum animum præstabat, adeo ut apostolicarum etiam uirtutum æmulus in nomine Iesu multa magnaq; miracula æderet apud populum. Cum enim summa fide Stephanus commissum sibi munus modicum & temporale fidelissime administraret, maiora à domino beneficia consequutus est, gratiam ad homines pios & impios, fortitudinem quoq; & inuictum animum tolerandi aduersa, quæ partim à morosis ecclesiasticis ob annotatione dispensationem prouidam et fidelem, partim ab aduersarijs fidei accidebāt. Qualis sanè fortitudo opus est spiritus sancti, proinde à dño postulanda. Porro inter prodigia quæ Stephanus in populo ædebat, nō minimū est quod sequitur.

Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano: & non poterant resistere sapientiae & spiritui qui loquebatur.

Semper eximia uirtus ad sese trahit inuidiam, quemadmodum Cæcias nubes. Exorti sunt aduersus Stephanum quidam è diuersis sodalitatibus studiosorum Iudæorum, qui sacris literis incumbebant & prophanis in eadē urbe metropolitana regni Iudæici, quarum una uocabatur Libertinorum synagoga, eorum scilicet Iudæorum, qui licet in Gentium dispersionem capti erāt, sese tamē uel pecunia Romanis data, uel officijs fidelissimis se & suos filios à seruitute alienos ingenuos fecerant & liberos, quos hic, ut uidetur, Libertinos uocat, quales & Saulus tunc erat, ciue Romano patre nobilis. Alia autem Iudæorum gymnasia à prouintijs nomina sortita fuerant, ut dicerentur Cyrenensium, & Alexandrinorum, & Asianorum, aliorumq; qui uenerāt illac à Cilicia & Asia &c. Nam in hæc loca Syriæ uicina potissimum dispersi Iudæi, Hierosolymam colebant, frequentabant, & metropolim religionis pro studio habebant. Hi, inquit, omnes uelut coniurati, coorti sunt aduersus Stephanum, disputantes aduersus illum, Inter quos deniq; cum ferè nihil alioqui conueniret, quemadmodum & apud

apud nos variæ sunt sectæ in gymnasijs, quorum unicum studium est ab inuicem dissentire. Hoc tamen inter omnes conuenit, quod unanimiter pietatem Christianam nunc oppugnent, ac Euangelicæ ueritati resistent. Hi ergo sua eruditione confidentes, Stephanum inuadunt, cum ipso de ratione ueræ fidei di-gladiaturi. At res longe alium exitum habuit quàm sperauerant. Non enim poterant quamuis multi, resistere unius iuuenis sapientiæ ac uigori pectoris, propterea quod spiritus sanctus quo plenus erat, per illum loqueretur. In quo dominus deus comprobauit, quod diligit stulta secundum mundum, ut pudeat faciat sapientes. Deinde ueritatem promissionis suæ opere consignauit, ubi dixerat: Dabo uobis os & sapientiam &c. Nec tamen sic obstruxit Stephanus os aduersariorum, ut nihil contradixerint, sed quod uerissimile aut probabile nihil responderint, quamlibet, ut sit in huiusmodi contentionibus, non obticuerint, sed se uictores iactarint, minime uero respuerint, quin ueritate destituti, ad mendacia & calumnias sese conuerterint.

Tunc submiserunt uiros, qui dicerent se audiuisse eum dicentem uerba blasphemiarum in Moysen & deum.

Hic agnosce morem improborum. Vbi ueritate discedunt impares, ad mendacia confugiunt, & uicti sapientiâ spiritus ad diabolicas fraudes se conuertunt. Subornarunt enim uiros quosdam, qui dicerent se audisse Stephanum proloquentem uerba blasphemiarum in Moysen ac deum. Nullum autem crimen apud Iudæos capitalius quàm blasphemie, nec apud populum atrocius. Hic agnosce Lector, machinas similes aduersus famulum, quales fuerant aduersus dominum. Subornantur sycophantæ, ne uideantur ipsi uelle dolorem ulcisci suum, quod à disputatione discessissent impares. Quæritur crimen atrox, & malitiæ prætextatur religionis studium.

Commouerunt itaque plebem, & seniores, & scribas: & concurrêtes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium,

Ab his igitur submissis sycophantis concitatus est populus unâ cum senioribus ac scribis aduersus Stephanum, adeo ut concursu facto rapuerint illum, & pertraxerint in concilium. Facile turba turbatur, mobile uulgus à seditiosis hominibus, caute apud ipsum loquendum & agendum. Reuerentur antea perquam honorifice, nunc ad mendacia & sycophantias uertuntur in contrarium, quemadmodum & cum Christo egerant. De senioribus & scribis non mirum, qui suæ antiquæ fidei & statui nihil uolebant decedere, nolebant in aliquo deliquisse, morem parentum referebant, impatientes ueritatis, perfectæque ac solidæ pietatis. Per tumultum concitarunt se mutuo & concurrunt, ut insani et amentes furore perciti, pro multis contra unum. Rapiunt uolenter, & per iram ac inuidiam ilico occidendum, nisi magistratum timuissent Gentilitium: adducunt ergo, non inuitum trahunt ad suum Iudaicum concilium, Christianæ pietati infestum.

& statuerunt falsos testes qui dicerent: Homo iste non cessat loqui uerba aduersus locum sanctum & legem: audiuimus enim eum dicentem quoniam Iesus Nazarenus hic, destruet locum istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses.

Hic prodeunt malitiose subornati testes, ueluti contra Christum antea egerant, qui testes suam peragerent fabulam, ac dicerent: Hic homo nullum facit finem euomendi blasphemias aduersus locum nobis omnibus sanctum ac ue-

nerabilem, contraque Mosis legem nobis à deo traditam. Audiuiimus enim eum dicentem, quod iste Iesus Nazarenus demoliturus sit locum hunc, ac muraturus instituta, que tradidit nobis Moses. Stephanus ex reuelatione apostolorum dixerat, à Iesu prædictum esse futurum, ut templum hoc & urbs funditus ab hostibus dirueretur ob gentis incredulitatem. Hoc dictum deprauat ad calumniam. Dicas hos eosdem esse, qui Iesum accusantes, dicebant: Audiuiimus eum dicentem, Destruam templum hoc, aliud in triduo excitaturus. Cum igitur sic se habent mores uulgi, non est quod studeas auræ populari, sed enitere potius, ut uerbo dei credas, & gloriam tibi compares apud deum. Sic enim fiet, ut perpetuo bene audias, & gloria nunquam peritura fruaris.

Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, uiderunt faciem eius tanquam faciem angeli.

Ad hanc tam atrocem criminationem nihil commotus est Stephanus, sibi bene conscius, ut in ipso etiam uultu reluceret mentis innocentia. Res enim est pauca, sibi male conscius animus. Hæc constantia frontis statim coarguit calumniatorum impudentiam. Etenim hi qui confidebant in eo concilio, intuentes eum, & obseruantes, qua fronte crimen obiectum exciperet. Videbant eum a deo non deijci aut exanimari, ut facies illius quiddam homine maius & angelicam quandam alacritatem simul ac maiestatem præ se ferre uideretur.

CAPVT VII.

A **D**ixit autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent: Qui ait: Viri fratres & patres audite:

Princeps sacerdotum ut hic quoque speciem legitimi iudicii exhiberet, quemadmodum fecerat in condemnando Christo domino, percontatus est eum, nunquid haberet quod ad hæc responderet, & an crimen obiectum agnosceret: Quanquam enim illi condemnaturi erant Stephanum, quicquid respondisset, imò iam antea nondum auditum damnauerant, & à domo sua iudicium attulerant, tamen uolentes, ut dictum, iuxta legem uideri agere & damnare, dant ei locum respondendi ad accusationes, ut possint uulgo prætere fucum aliquem legitimi iudicii, ostendereque pertinaciam illius hæretici. Cum non tantum lex statuatur audiri partes, sed ut causa iuste iudicetur satis audita & discussa. Postquam autem Stephano dicendi locus est datus, diuino afflatus spiritu his cepit appellare nominibus, Viri fratres et patres audite. Tales nunc uocat, quos postea nominat proditores & homicidas. Sed pro officio ciuilitatis & publicæ honestatis, hostis etiã in medio bello solennes titulos hosti tribuit. Et Christus quoque iubet, ut bene precemur deuotionibus nos, quanto magis uult ut eis non inuideamus solennia cognomina, que ipsis publice honoris gratia tribuuntur, ne ab exordio irritati non audiant, uel ira permoti iudicare, etiam si uellent, non possint, ab alienati animo, non sine culpa loquentis.

Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham cum esset in Mesopotamia, prius quam moraretur in Charran, & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & ueni in terram quam monstrauero tibi.

Peculiare est genti Iudaicæ principia orationis & causæ occasiones altius repetere, id quoque hic causa Stephani requirebat, & ad naturalem requirebatur rhetoricam, quæ ex facto sumit inuentionem & dispositionem, non tantum ex arte. Accusatus erat uerba dixisse contumeliosa in Mosen, deum, templum, & legem.

legem. Occasio data erat, quia templum dixerat non uerum nec duraturum, ex legis operibus neminem iustificandum, sed fide in deum per Christum. In hac autem sententiam uidetur loquutus ab exordio. Viri quotquot adestis uel genere fratres, uel ætate ac authoritate patres, qui patienter audistis calumniantes, audite & ueritati patrocinantem. Nos nec in deum, nec in Moysen, nec in templum hoc contumeliosi sumus, quotquot Christum confitemur, sed cum Mose consentientes dei gloriam prouehimus ac templum spirituale, quo deus qui spiritus est potissimum delectatur, quemadmodum diuinitus iussi sumus extruimus. Non est blasphemia hoc pro uiribus agere quod figuris adumbravit Moyses, quod prophetae dei spiritu afflati prædixerunt, quod dei filius ob id in terras missus & orsus est, & suis perficiendum mandauit, quod spiritus sanctus ad salutem omnium gentium, nunc per eos qui credunt Euangelio, peragit. Sed impietas est & blasphemia, uoluntati dei tam benigne tam pertinaciter oblectari. Quod quidem hæc natio non nuper facere coepit, sed iam olim facere instituit, nunc quæpiam facere desinit. Ut nec mirum nec iniquum uideri debeat, si eueniat quod dudum prophetae dixerunt, & nunc quoque Iesus Nazarenus futurum prædixit, nempe ut hoc templum quo gloriamini, hæc ciuitas in qua regnatis, sacerdotium & lex quibus abutimini ad quæstum & gloriam uestram, à uobis auferatur, atque hæc gloria transferatur ad eos qui per fidem Euangelicam pure deum colunt, ac legem in spiritu & ueritate obseruant, seque ipsos præbent templum uiuum ac sanctum spiritui sancto. Huc quum tot modis deus maiores nostros prouocauerit, tamen spretus est ut scitis ab hoc rebeli & pertinaci populo. Ut enim à primo gentis huius patriarcha repetam, cuius obedientiam et fidem persectam iustitiam utinam imitarentur hi qui se iactant filios suos, Deus cui debetur omnis gloria, quemque nos uobiscum pie colimus, olim apparuit patriarche nostro Abraham, quum esset in Mesopotamia, priusquam comoraretur in Charran: ubi auditis me non esse contumeliosum nec in deum nec in patres, qui illum agnosco & confiteor deum gloriae solum & optimum, & ab omnibus adorandum. Cuius Abraham temporibus nondum erat lex nec templum, attamen Abraham deo acceptus erat, & per fidem iustus coram deo. Aliud igitur esse oportet quo iustificamur, quam legem & templum: quod autem sit illud, nunc requiremus. Dixit deus ad Abraham: Exi de terra tua &c. in libro Geneseos capite 12.

Tunc exiit de terra Chaldaeorum, & habitauit in Charran.

Apparet hoc dictum ad Abraham, postquam cum patre profectus est ad Charran ex Hur Chaldaeorum, quæ est pars Mesopotamiae, in cuius limitibus est Charran. Stephanus uero indicat dictum Abraham priusquam uenisset ad Charran, quod facile soluitur, ut semel scriptum bis fuerit dictum: ut principio quidem Abrahamum cum parente profectum intelligamus in Charran, deinde post mortem patris in Chanaan migrarit. Porro præcepto adiecta est promissio, Faciam, inquit deus, te in gentem magnam, & benedicam tibi, atque in te benedicentur uniuersae nationes terræ. Vnde autem Abraham contigit tantus dei fauor & gratia: qui adhuc cum patre idololatra seruierunt dijs alienis, nihil adhuc reliquerat propter deum, nondum circumcisionem acceperat, nullum exabat templum, sacrificia nulla legis nondum data. Ut satis clarum sit Abraham deo charum fuisse & acceptum nullo ipsius merito, sed gratuita dei clementia & misericordia, qua ille immeritum, & in medijs idololatriæ sordibus iam centem complexus est propter unigenitum suum filium, quem è semine Abra-

hami propitiationem pro peccatis mundi daturus erat. Insuper promissit fore, ut ipse benediceretur, et in semine suo omnes gentes benedicerentur. Cui promissioni Abraham fidem adhibens, imputata illi est ad iustitiam, ita ut benedictionis fructum qui est remissio peccatorum & iustificatio, per nullum aliud opus, nullo merito uel sacrificio præterquam fidei propter semen ex se oleum nascendum, dominum Iesum Christum acceperit.

Gene. 11, d

Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc uos habitatis.

Rursum hinc transtulit illum deus in hanc terram, quam uos nunc incolitis, idcirco mortuo patre illius Thare, ob cuius senectutem distulerat emigrationem iuxta diuinum ordinem quem sequebatur certo cognitum per uerbum dei, denuo fide suffultus promissionum dei, tam de terra possidenda quam de semine in infinitum multiplicando, cui contra spem in spem credidit. Nam non statim introducebatur in terram, quin & introductus necessitate famis eijcitur de nouo, dei uerbum sequens ex fide. Denique non habebat adhuc filium, iam senex, cui tamē tanta feminis benedictio, hoc est multiplicatio promittebatur contra naturam cursum, secundum quem de liberis procreandis desperare cogebatur, sed ad promissionem dei non hæsitabat ob incredulitatem, sed robustus factus est in fide, tribuens deo gloriam certa persuasionem concepta, quod is qui promiserat idem & posset uelletque præstare, id quod illi ad iustitiam est imputatum.

Et non dedit illi hæreditatem in ea nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cum non haberet filium.

Transtulit autem dominus amicum suum Abraham in terram istam ut hospitem ac peregrinum, nullam illi hic tribuens hæreditatem, adeo ut ne pedis quidem uestigium in ea possideret, nisi pretio redemptum, & id tantummodo ad sepulturam uel necessitatem aquarum & fontium. Sed pollicitus est deus se daturum huius terre possessionem posteris illius post eius obitum, quum id temporis Abraham nondum haberet filium. Id quum uideretur incredibile, tamen & Abraham credidit, & deus præstitit. Vnde satis liquet, patriarcham istum fuisse deo charum, & coram ipso iustum nullo suo merito, nullo sacrificio, templo, uel opere legali, cum nondum esset lex scripta, sed fide tantum in promissionem dei. Quo modo & nos saluari poterimus & iustificari fiducia in deum per Christum, qui est fidelium propitiatio & sanctificatio, iustificatio & beatitudo.

Gene. 15, e

Loquutus est autem ei deus: Quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subijcient, & male tractabunt eos annis quadringentis: & gentem cui seruerint, iudicabo ego, dicit dominus: & post hæc exhibunt, & seruient mihi in loco isto.

Quemadmodum & in cæteris quæ prædixit Abrahæ dominus uerax repperitus est, sic etiam in eo quod consequenter eidem loquutus est: Erunt semine tuum peregrinum in terra aliena, & gentes apud quas peregrinabuntur posteritui tui annis quadringentis triginta, & subijcient illos in seruitutem, & inclementer tractabunt illos. Tandem eripiam illos à seruitute, ac gentem cuiuscunque seruerint, ego iudicabo & ulciscar, dicit dominus. Deinde liberi à seruitute hominum seruient mihi in hoc loco. Ex eo namque tempore quo hæc deus promisit Abraham hæc usque ad descensum Iacob in Aegyptum, anni fuerunt ducenti quindecim, à descensu

descensu Iacob in Aegyptum usque ad egressum Israel ex Aegypto, anni similiter ducenti quindecim. Seruierunt autem in Aegypto tantum annis centum quadragintaquatuor. In Genesi cap. 15. quadringenti tantum numerantur, in Exodo & hic adduntur triginta. Saepe autem maior numerus ponitur pro minori, ubi non diligentia numerandi, sed numeri magnitudo intenditur. Et non fuit hic Stephano cura calculandi de numeris, sed comprobandi tot annis patres sanctos deo dilectissimos fuisse, cum nullum haberent tabernaculum, sacerdotium, arcam, & sacrificia, sicut nec legem Mosaicam, aut ceremonias leuiticas. Iusti ergo erant ea iustitia, qua & Abraham fide in promissiones dei, non ex quibuscumque operibus legis.

Et dedit illi testamentum circumcisionis, & sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octauo: & Isaac, Iacob: & Iacob, duodecim patriarchas.

Ne quis obijceret ex circumcisione iustos fuisse, quam a deo iniunctam Abraham accepit, uno uerbo Stephanus ueram circumcisionis rationem explicat, dicens: Quo sibi magis deus populum suum assereret, dedit Abraham ueluti signaculum foederis circumcisionem. Quod explicatius prosequitur Paulus, Quomodo, inquit, imputata est Abraham fides ad iustitiam: cum esset in circumcisione, an cum esset in praepotio? Non in circumcisione, sed in praepotio. Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiae fidei, quae fuerat in praepotio. Itaque circumcisio non est iustitia, nec signum iustitiae, sed signum foederis & testamenti eius, quod deus cum Abraham & semine eius pepigit, nempe se fore deum fidentium sibi, qualis fuit Abraham & semen eius iuxta spiritum. Quos omnes benedicturus sit & iustificaturus in promisso illi benedicto semine Christo. Iam quemadmodum circumcisio non iustificauit Abrahamum, ita nec iustificauit filium eius Isaac. Sed circumcidit eum octauo die, non ut per eam iustificaretur, sed ut signum haberet eius seminis, cui benedictio fuerat promissa, & olim per Christum exhibenda. Et Isaac genuit Iacob, & Iacob duodecim patriarchas, qui omnes circumcisi fuerant, ut filii Abraham, & promissionis signum habentes, expectarent benedictionem in Christo filio Abraham & Davidis. Quod si igitur circumcisio omnium operum sanctissimum non iustificat, sine quo nemo recipitur in cathalogum populi dei, quanto minus quaecumque reliqua legis opera & ceremoniae.

Et patriarchae aemulantes, Ioseph uendiderunt in Aegyptum: & erant deus cum eo: & eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam & sapientiam in conspectu Pharaonis regis Aegyptiorum, & constituit eum praepositum super Aegyptum & super omnem domum suam.

Inter hos patriarchas non pauci erant, sed maximus numerus, imò pro tanto omnes, qui parum memores diuini foederis, graui inuidia moti sunt in fratrem sanctum & innocentem, quae non secus atque homicidium iudicio damnatur diuino, ut sit peccatum dignum morte. Quod enim hominum conspectu est homicidium, hoc diuino iudicio est inuidia. Ea permoti necem quoque fratri parabant, qui certe conatus & si non successerit, pro opere computatur, ut & ipsi fratres pro fratricidis habendi sint, quanquam ipsum non occiderint. Accesserunt quoque mendacia & imposturae, quibus patrem suum in calanda impietate deceperunt. Quid quod Ismaelitis efferis gentibus uendiderunt, quod quid est aliud quam quouis uitae momento occidere? Vnde & inter Ethnicos malue

runt quidam suo se gladio iugulare quam redigi in seruitutem, factio significan-
tes seruitutem morte duriores: & lex dei dicit: Qui furatus fuerit hominem, &
eum uendiderit, conuictus noxæ morte moriatur. Iustificati sunt ergo patriar-
chæ non circumcissione, quam potius suo crimine sordidarunt, non sacrificijs,
non templo, sed fide remissionis peccatorum iustitiam sunt assequuti, fide in-
quam in Christum promissum. Nec aliquam unquæ iustitiam habuerunt, quam
quod iniquitas eorum per fidem in Christum ipsis remissa est. Vt igitur Chri-
stus uera est benedictio, iustitia, & sanctificatio, ita fides in Christum uera & per-
petua est religio, qua cœlestia bona cōsequimur. Ioseph quoque deo gratissimus
fuisse uidetur ex tot beneficijs, ante omnem religionem legis aut templi aut sa-
cerdotij. A fratribus enim uenditus Ismaelitis, ab eisdem Aegypto principi, ita
à deo seruatus est, ut omnia aduersa incolumis euaserit. Postea quoque ob adulte-
rium falso intentatum in carcerem coniectus, domini gratia cum gloria libera-
tur. Quid obsecro egit Ioseph, ut non solum liberarit eum deus, sed etiã in prin-
cipem totius domus principis illius, imò & Aegypti totius proueheret.

Venit autem fames in uniuersam Aegyptum & Chanaan, & tribula-
tio magna: & non inueniebant cibos patres nostri.

Quæ Stephanus compendio narrat, ea explicatius lege à nobis ac alijs tra-
ctata etiã paucis in libro Genesios. Quod uero hic de fame in terra Aegypti
& Chanaan, & de profectioe Iacob unã cum familia sua in Aegyptum dicit,
eò respicere uidetur, ut auditoribus æstimandum relinquatur, quo merito Ia-
cob hoc beneficium à deo fuerit consequutus, ut famis iniuriam unã cum familia
sua euaserit, cum nondum staret Salomonis templum, in quo pro fame expel-
lenda orandum Salomon statuerat, & dominus quoque promiserat exauditio-
nem cæteris paribus.

Gen. 42.4

Gen. 45.4

Cum audisset autem Iacob esse frumētum in Aegypto, misit patres
nostros primum: & in secundo cognitus est Ioseph à fratribus suis, &
manifestatum est Pharaoni genus eius.

Missionem hanc duplicem pro necessitate famis euadenda propterea recita-
re uidetur, ut intelligant, non solum dei gratiam uigere in Iudæa in templo Hie-
rosolymis, quæ cæteris regionibus melior non est, cum sit Aegyptus longe fer-
tilior patria. Et gratiam suam deus æque largitur fidelibus suis in Aegypto &
Asia, in Aethiopia & Europa, sicut in Iudæa. Et ne fato & fortuitu semel facta
famis necessitas credatur, additur, secundo missos fratres pro alimonia. In qua
secunda profectioe agnitus sit tandem fidelis Ioseph perfidis fratribus, qui eum
ex perfidia in deum, & inuidia ad fratrem prodiderant, et neci obtulerant. Qui
tamen fiducia in deum nullis operibus legis etiã inter impios perstitit deo gra-
tius, non suis meritis, sed fide promissorum dei, quæ primū credidit, deinde ex-
perientia didicit excidere non posse.

Mittens autem Ioseph, accessit Iacob patrem suum, & omnem co-
gnationem suam in animabus septuagintaquinque.

Non dubitauit sanctus Ioseph euocare patrem cum tota cognatione ex ter-
ra promissa sterili & famelica ad gentiliū ac idololatrarum regionem, intel-
ligens & certissime credens, implendas esse promissiones Abrahæ & semini fa-
ctas, quamlibet uideret omnia cōtra spem geri. Confusus enim de dei promissis
uerissimis, euocat patrem cum septuagintaquinque personis, ut obmissis omni-
bus exeant terram peregrinationis & sepulturæ patrum suorum, & ueniant in
Aegyptum,

Aegyptum. Hic iterum de numero personarum, quæ animæ dicuntur Hebraico idiotismo, quomodo numerandæ sint, ut litera constet, in Genesi & Exodo uideatur, ubi proprium hæc locum habent, & per nos sunt tractata utcumq[ue].

Et descendit Iacob in Aegyptum: & defunctus est ipse & patres nostri. *Gene. 46. a*

Propter promissionem cui Iacob firmam fidem adhibebat, dominus ipse deus familiam eius complexus est, & cum ipso longe ante famem Ioseph filium in Aegyptum occulta rerum administratione traxit, quo is fertilitatis tempore non tam propter habitatores Aegypti quam propter familiam Iacob frumenta reconderet, & uenturae fami consuleret. Et non erat in Aegypto huiusmodi templum, deo Israelis sacrum, in quo Iacob dominum deum suum huiusmodi religione Iudaica ueneratus est, nec tamen in Aegypto impius fuit, nec deo ingratus. Locus non mutauit illius pietatem, quam ibidem cum filiis seruauit, donec uiuebat. Non est huiusmodi sacrificiorum cultus, propter quæ factores iusti reputantur, sed fides in semen Abraham benedictum promissum, & exhibitum interim. *Gene. 49. d*
Gene. 50. b

Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti à filiis Emor filij Sichem. *Gene. 23. d*

Hoc loco obijciat quispiam, ut maxime Iacob in Aegypto pius & sanctus manserit, noluit tamen in ea sepeliri, nec ipse nec Ioseph filius. Sed iuramento utriq[ue] exegerunt à posteris, ut transferrentur ipsorum corpora in terram Chanaan, nimirum alijs sanctiorem. Sed nemo existimet patriarchas sepulturam amariuissimam in terra Chanaan, quia crediderint sanctitatis aliquid habere eam terram præ reliquis, ut mortui ibidem feliciter tumularentur. Sed fides in promissiones dei sollicitabat eos, qua credebant illac redituros suos filios, iuxta quod Abraham sciebant promissum: quin & eandem fidem hoc ipsorum iussu studio suscitare cupiebant & confirmare, ut neutiquam de ea dubitare possent. Sed & de hac fide uideas in proprijs locis in Genesi. Quod uero hic dicitur de patribus translatis in Sichem, & de sepulchro quod emit Abraham à filiis Emor, simpliciter intelligendum est, & sine præcisione, quando Synecdochen nouimus totius scripturae locutionem communissimam esse & haberi. Vnde & Stephanus uulgo loquens & scientibus scripturam uulgi quoq[ue] sequitur loquutiones. Duas enim narrationes coniungens non tam ordinem historiae quam causam de qua agebatur, intendit. Etenim satis constat Iosephum translatum ad Sichimam, quam illi pater extra fratres dederat propriam. Ideo in libro Iosue eius leguntur ossa ibidem sepulta, & fortassis aliorum quoq[ue], quorum patriarcharum ossa translata sunt, ut est opinio Iudæorum, & ibidem sepulta pariter. Abraham autem cum Isaac & Iacob sepultus legitur in Cariatharbe cum suis uxoribus, præter Rachelem, in agro empto ab Emor patre Sichem. Hic dicitur à filiis Emor filij Sichem. De nomine uero propriorum uariationibus non est quaestio scrupulosior instituta quod multi & communiter binomij fuerint & trinomij, & unum nomen multis in eadem cognatione conueniens. De qua re & Stephanus scripturarum more loquutus, parum fuit sollicitus.

Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quæ confessus C erat deus Abraham, creuit populus & multiplicatus est in Aegypto, quo *Exod. 1. d*
ad usq[ue] surrexit alius rex in Aegypto, qui non sciebat Ioseph.

Vult Stephanus consequenter docere quod res est, ueram religionem ac fidem non esse sitam in templo illo lapideo, & diuinis corporalibusq[ue] & ceremonialibus eius cultibus, sed in fide promissionum dei certa & deuota, per quam

iustitia paratur animæ & gratia apud deum. Pollicitus autem fuerat dominus Abrahamæ, multiplicandam posteritatem eius sicut stellas cœli & arenam maris, & in eius semine quod Christus est, omnes gentes benedicendas. Quam quoque promissionē iureiurādo firmauerat. Cuius gratia & ueritate sic aucta est Israelitica soboles in Aegypto, ut infra trecentos ad plurimū annos ex septuaginta personis prognati fuerint septies ferè cētena milia. De qua re uide initiū Exodii, quod hunc locum satis declarat, sicut & sententiam subsequenter.

Hic circunueniens genus nostrum, afflixit patres nostros: ut exponerent infantes suos, ne uiuificarentur.

Cum Pharaon rex Aegypti animaduerneret Israelē subinde magis ac magis multiplicari, timens ne ab illis tandē opprimeretur, de internatione gentis condans, ut Israelitarum masculos in partu preuocent, aut recens natos exponant interfectioni. In qua tam grandi & maxima tyrannide nihilominus incolumes seruati sunt Israelitæ, non propter sacrificia eorum, templa, & ceremonias qua- mentiri non potest, sic non potuit in se sperantes derelinquere, sed fecit pro gratia sua quod ad salutem suorum fuerat necessarium.

Exodi. 2.

Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.

Hoc tempore natus est Moses, aduersus quem isti falso me prædicant protulisse blasphemiam, is fuit gratus deo, qui non passus est illum perire, sed furtim enutritus est tribus mensibus in domo patris sui, non indigna religione parentum eius, qui ex fide uera in deum contra regis edictum Mosen recens natos incolumen conseruauerunt, ut non eum interficerent, sed se potius mortis periculo exponerent. Crediderunt enim diuinis promissionibus de gente Israelitica, in tempore præordinato liberanda, quod iam propinquū sperabant. Quicquid infantem cernerent præter solitum summa pulchritudine præditū, spiritus instinctu intellexerunt, hunc fore Israelitarū liberatorem futurum. Qua fide oculatus est Moses tribus mensibus, deinde fiducia coniecta in deum, quum aliud fieri non posset, ad pueri parentumque salutem expositus est in fiscella bitumine lita in flumen, cōmendatusque est clemētiæ dei, quæ fidelibus nō deesse potest.

Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium.

Cum tanta sit fidei in deum efficacia, ut supra naturalem uirtutem magna- lia possit, necessario sentiendum est, fidem solidam in promissa diuina ueram et germanam esse religionem, per quam salutem assequimur & iustitiam. Itaque ut deus manifeste declararet clemētiā suam, absque templo & sacrificijs effecit, ut Moses in aquam expositus mirabiliter seruarietur, matricque suæ rursus lactandus traderetur, & non alteri mulieri. Descendente enim prouidentia dei filia Pharaonis, ut in flumine lauaretur, puerum contigit inueniri in fiscella, aperiri, suscipi, & in filium adoptari, ut esset futurus regni Aegyptij hæres, nutritus in omni sapientia Aegyptiorum, potens in factis & dictis.

Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum: & erat potēs in uerbis & in operibus suis.

Clarissimi tunc erant Aegyptij in sapientia & doctrina, in religionū quoque superstitione insigni præ reliquis gentibus. Etenim magno numero docti & sacerdotes

cerdotes multi regijs donis fouebatur, ut patet ex sacris literis, & à tempore Ioseph non defecerat superstitio & sapientia etiam uera inter multos, sed ut sit acceuerat in immensum, ut satis liquet ex Pharaonis maleficis et incantatoribus, qui multa & admiranda mysteria naturæ peruestigauerant studijs suis, ita ut diuina quoque miracula obscurare tentarint non raro. Vt uideamus Mosen illis comparatum & præ talibus laudatum insignem fuisse, etiam in naturalium rerum peritia, quam adaugebat diuina gratia, & fides à natiuitate infusa, & prouidentia dei, quæ hunc uirum ad magnifica ordinauerat ab æterno, ut uideri possit, eundem mundi historiam ab initio, non solum diuinitus reuelatam sciuisse, sed etiam quantum naturaliter & ex maiorum traditione olim cognitum fuit apud priscos omnino nihil ignorasse, quod cognitum fuisset ab alijs. Hic dicitur potens fuisse etiã in uerbis, cum ipse tamen se elinguem & balbum fateret, sed ab heri & nudius tertius, ex eo nempe tempore quo colloquium dñi sustinuerat, Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius ut uisitare fratres suos filios Israel.

Verisimile est etiam ipsum, dum uersaretur in aula celebris & potens, non neglexisse suos parentes & cognatos, sed tandem quadragenarium inuississe diligentius fratres, ueluti si detur occasio succursurum, ut tunc forsitan decreuerit in totum relinquere aulam, & abdicare se ab officijs & honoribus aulicis, reuoluens posthac uocari reginæ filius, sed miserorum & oppressorum frater fidelissimus. Fides nimirum in deum talis erat in Mose, qua & iustificatus est, ut dei consideratione & fratrum misericordia instigatus, maluerit in obsequium dei fidere regnum, paupertatem & contemptum eligere, filium se reginæ recusare, quam in opere deo grato & fratrum obsequio impediri potius eligens simul malis affici cum populo dei quam temporarijs peccati commodis frui, maiores arbitratus diuitias probrum Christi quam Aegyptiorum thesauros. Tanta Moses fide fruebatur in deum, cui cupiebat per omnia gratificari, succurrendo populo dei, quæ mouebatur, ut Israeliticus maluerit esse quam haberi regis filius uel amicus. Et hæc omnia agebat ante acceptam à domino legem, ante sacrificia & tabernaculum.

Et cum uidisset quendam iniuriam patientem, uindicauit illum; & fecit ultionem ei qui iniuriam sustinebat percussio Aegyptio.

Spirabat charitatem erga genus suum. Inter hos uersatus quum uidisset Israelitam quendam affici iniuria ab Aegyptio, iam tum statim boni ducis indolem exercens, ultus est Hebræi causam interfecto Aegyptio. Quando iam non erat inter priuatos homines connumerandus, quibus occidere non licet, sed inter magistratus & duces iam erat à domino designatus, futurus pastor sui populi. Quamquam & de aula regia hætenus existens, muneris sui credebatur, regis nomine uindicare oppressorum iniuriam, si iustitiam, ut debuit, colere uoluisset: ut non sit necessaria longe quaesita excusatio Mosis in hoc facto, unde & Stephanus excusat.

Existimabat autem intelligere fratres quoniam deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexerunt.

Existimabat, inquit, hoc Israelitis suis fratribus iam dudum innotuisse, scientibus natiuitatis suæ ordinem, & diuinam circa se dispensationem, parentibus id non omnino tacetibus, quod deus per istum statuisset seruare populum suum, exemptum à seruitute Pharaonis. Atque hic Moses Iesu quoque Christi figuram gerens, quem deus uere delegit redimendis omnibus à seruitute peccatorum. Ca.

terum quemadmodum hoc Israelita non intellexerunt de Iesu, ita nec tum in Mo-
se intellexerunt. Seruiuit ergo Moses uocationi suae. Et exemplo Mosis magi-
stratui licet ut plectat fontes, at non licet priuatis propria temeritate ut alterum
defendendo alterum trucidet. Et nunc uidebimus quam gratiam propter be-
nefacta sua Moses apud populum suum inierit.

Exodi 2.c

Sequenti uero die apparuit illis litigantibus: & reconciliabat eos in
pace, dicens: Viri, fratres estis: ut quid nocetis alterutrum?

Reliquerat Moses propter populum Israel aulam regiam, in qua summis ho-
noribus frui potuisset, et in maxima ueneratione haberi ut filius regis: adiunxe-
rat se populo Israel, apud quem necesse erat in gloriam ab omnibus Aegyptiis con-
temptum & egenum uiuere. Huc accedit, quod periculo uitae suae uindictae
Israelitem ab iniuriatore, specimenque exhibuerat se missum ad liberationem
Israelitarum, pro quo refertur illi statim nulla gratia, sed inuidia, contumelia,
proditio, fuga, & exilium.

Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te
constituit principem & iudicem super nos? nunquid interficere me tu
uis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium?

Die sequenti postquam Aegyptium impium occidisset, cum uideret duos ex fra-
tribus Hebraeis contendere de rebus nescio quibus, iterum accedit functurus
officio magistratus, ad quod se natum intelligebat, & a deo instigatus per spiri-
tum zeli iusti & sancti, enitebatur pacificare fratres. At reijcitur improbe cum
gravi contumelia. Num me, inquit ille, latrocinio nunc perdere uis, ut heri per-
didisti Aegyptium? Ita impius ille Hebraeus fuit proditionis reus et author: pro-
ditus est enim coram rege, ut cogeretur fuga sibi salutem querere, & in exilium
proficisci, ne a rege occideretur. Caterum quemadmodum Moses omnium fi-
deliter obeuntium functiones suas forma est, sic is impius Israelita contumelio-
sus & proditor, simulachrum fert eorum qui male uolunt & faciunt ministris
ecclesiae in spiritualibus & temporalibus. Quorum fortuna est pro summis la-
boribus & summa fide summam reportare inuidiam.

Fugit autem Moyses in uerbo isto: & factus est aduena in terra Ma-
dian, ubi generauit filios duos.

Tametsi uideri possit Mosen hanc fugam timore carnis inisse, ne occideretur
a rege, tamen uerisimilius est quod ex fide declinarit, intelligens ex nimia
malitia Israelitarum adhuc uigente, nondum tempus liberationis ipsorum, sed tam in-
gratos homines diutius exercendos esse. Ideo ne deum temere tentaret, & se-
ipsum inconsulto adhuc & ante tempus exponeret, & sine fructu, sauitiam regis
declinauit consultius. Sed & par fuit parere discere, quam imperare praesume-
re. Exemplum huius quoque in Saul, Dauid & Christo primo humiliatis, ut exal-
tarentur gloriosius. Sic qui uolet recta ad imperium pergere, non ambiciose illud
desyderet, sed seruitutem ad quam uocatus est diligenter seruet: sic enim fit
ut qui supra pauca fuerit fidelis, super multa constituatur. Sentiens igitur Mo-
ses rem non esse clam, sibi metuens ab Aegyptiis, fugit in terram Madian, ubi
genuit duos filios.

Exodi 3.4

Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina
angelus in igne flammæ rubi. Moyses autem uidens, admiratus est uisum.

Tantam seruitutis prorogationem demeruit ingratitude quorundam, nondum
satis humiliatorum, quibus reliqui non erant absimiles. Et nondum Aegyptiorum
peccata

peccata impleuerāt mensurā suam. Moses quoque senectutē grauiorē gerere debebat, tanto populo praeficiendus. Exerceri in pastoralibus debuit, qui aulicus fuerat, antequā tanti populi pastor fieret. Octogenarius primū à domino uocatus, iam mortificatis omnibus sensibus, & experientia diuturna paratus ad tantam functionē legitime obeundā. Satis liquet quid sequatur, dum iuuenes praeficiuntur ecclesijs. Tentauerat ante 40. annos officiū delegādū sine fructu, & cum multo periculo, ideo nunc expectat domini certam & claram uocationem, de qua lege Exodi 3. quæ hic desyderas.

Et accedēte illo ut cōsyderaret, facta est ad eum uox dñi, dicens: Ego sum deus patrum tuorum, deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob.

Apparuit angelus domini, qui crebro quoque dominus deus dicitur. Reuera autē nil aliud quā persona filij dei, uerbū dei, olim dei charitate incarnandū, quod & loquutū est in omnibus prophetis, & uario modo apparuit uarijs tēporibus & personis. Nuncius hic dicitur apparuisse Moysi in deserto montis Sinai è rubo, qui uidebatur cōflagrare. Hoc spectaculo stupefactus Moses, tentauit accedere propius, ut uideret quid hoc esset rei. Sed uertit illum uox dñi sonans è rubo: Ego, inquit, sum deus patrū tuorū, deus patriarcharū, non dñi plures, quālibet plurali numero non sine personalitatum aliqua significatione significata.

Tremefactus autē Moyses, non audebat cōsyderare. Dixit autē illi dñs: Solue calceamētū pedū tuorū: locus em̄ in quo stas, terra sancta ē.

Quid sibi uelit rubus flammeus, quid uox domini, quid nomenclatura dei, quid cunctatio Moysi, eius terror ac accusatio, quid calceamentorum solutio imperata, quid loci sanctitas, omnia quidem obseruatu dignissima leges cum explicatione aliqua suo loco in Exodo.

Vidēs uidi afflictionē populi mei qui est in Aegypto, & gemitū eo Eriū audiui, & descēdi liberare eos. Et nūc uenito, & mittā te in Aegyptū.

Videre deum afflictionem suorū, est misereri & uelle iuuare. Diu durauerat seruitus grauiissima, & iam multis desperata redemptio. Accedebat incrementū iniquitatis et grauamen criminū quæ exercebat Israelitē in Aegypto, similes facti idololatri. Tamē dignatur eosdē dominus nominare suū populum, nō ob quæcunq; merita tam sua quā patrum, sed ob gratiam liberalē electionis, qua praeueniebat eos, & immeritos iam uoluit liberare, & implere iam tandē quod promiserat patribus, cuius promissiones excidere non possunt. Gemitū quoque uideret & miseretur grauius oppressorū in luto et latere, quod delicatius nutriti, nunquā ingemissent ad dominū, non sacrificāt, non tēpla extruunt, nō legem reuerentur & seruant nondū latam, sed solam dei gratiā expectant. Descendere deum, est apparere & propitiari, atque annuere uotis, inclinare ad preces.

Hunc Moysen quem negauerunt, dicentes: Quis te constituit principem & iudicem? hunc deus principem & redemptorem misit, cum manu angeli qui apparuit illi in rubo.

Inglorius pastor Moses in solitudine nullū templū habebat, sacrificiū nullū faciebat, erat tamē longe omnium deo acceptissimus, ita ut manifestis signis clarissime eū uocauerit, fide gratificatus, in qua etiā post greges ambulans, orationibus egit primū pro liberandis suis tēpore decreto, & deinde factis magnificis. Quem prius improbi Israelitæ repulerant, eum dominus principem & redemptorē mittebat, data potestate patrāndi insignia portēta & manifesta miracula.

Exod. 7. 8. 9. 10.

11. 14.

Hic eduxit illos faciens prodigia & signa in terra Aegypti, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta.

Mosen quidem à suis etiam contemptū, & à Madianitis susceptū, ut greges pasceret, dominus deus euexit, & ducem constituit, principem & liberatorem populi sui. Et adfuit illi uirtus angeli, quæ non alia quàm diuina fuit, qua condidit mundū, & ordinat uniuersa, uerbū patris & filij dei, qui apparuerat eidem Mosi de rubo flagrante. Huius ope populum suum eduxit ex Aegypto, & aditis multis prodigijs & miraculis in terra Aegypti, mox in mari rubro, deinde & in deserto per annos quadraginta. Quod fuit Moses unū populo, hoc uere est Iesus Nazarenus omnibus ipsius ductū sequi uolentibus. Notatu quoque dignū, hic uerbo Stephani omnium prodigiorum authorem fieri Mosen, quū in eū proprie nihil competat miraculorum, sed tantum uirtuti diuine. Sic tamen scriptura & sancti loquuntur, ut asuescamus ad canonicas intelligentias uerborū dei & sacrae scripturae, ne mordicus ipsissimam literam urgere uelimus.

Exodi 16. 4

Deut. 18. 6

Hic est Moyses qui dixit filijs Israel: Prophetam suscitabit uobis deus de fratribus uestris tanquā me: ipsum audietis.

Commendat Stephanus Mosen, et legem quoque latam per Mosen. Indicatque se Mosis decretum obseruare, prædicando Iesum Christū esse iustitiā nostram, quem et ipsi nunc Iudæi reiecerint, ut illi tunc Mosen, Qui ut à deo constitutus est liberator populi ex Aegypto, sic nunc Christus liberat electos de peccato & morte. Moses uero non solum legis ministeriū instituit domino iubente & tradente omnia per angelum, sed et de alio perfectiore ministerio uaticinatur, per quod uera cōtingat iustitiā, de qua cōsequēter dicitur, Hic est Moyses qui dixit filijs Israel: Prophetā suscitabit uobis deus uester e fratribus uestris, similes mei, illum audietis. Hic uero Iesus Nazarenus est ille, quē ego prædico, nō Mosen reiiciens, sed eius sequens authoritatē et dicta. Sentiens enim Moses ministerium suum diuinū quidem esse, sed inefficax ad iustitiā, prædicit fore alium ad quem à se auditores legis remittit. Prophetā, inquit, suscitabit dominus de gente tua, & de fratribus tuis, similem mei legislatorem, non natura neque gratia, quando Mosi Christus fuit longe superior, sicut & angelis. Poner quoque deus uerba sua in os eius, loquetur præcepta dei. Eius uerba qui nō audierit, ego ultor existā. Est enim Moyses aliquatenus similis Christo, aliquatenus dissimilis. Similis quidem, quia à suis reiectus, & à deo receptus, ita & Christus. Et sicut Moses miraculis confirmat functionē suam, sic & Christus. Dissimilis uero, quia Moses homo tantum fuit, Christus uero deus & homo, quia uniuersali & perpetuo regno donandus in cœlestibus & in terra. Et quia in Mosis doctrina persistendum ad literam non est, sed à Mose ad Christum migrandum. In Christi autem doctrina semper est perdurandum, non aliò spectandum. Dicit enim Moses de Christo, Ipsum audite: qui certe dixit: Qui in me credit habet uitam æternam. Sequitur alia Mosis commendatio.

Exodi 19. 4

Hic est qui fuit in ecclesia in solitudine cū angelo qui loquebat ei in monte Sina: & cū patribus nostris, qui accepit uerba uitæ dare nobis.

En confiteor sponte ut debeo, Mosen non solum remotis arbitris in deserto cum angelo colloquutum de rubo, sed etiam palam uidentibus & presentibus patribus nostris cōuersatum esse. His addo quod per angelum à deo acceperit legem, quam fateor non solum authore deo latam, sed etiam sermonem uiuum esse, hoc est suadentē iusta, pia, sancta, honesta, & ad uitam æternam ordinata, si illi

illi obediatur. Docet enim Christum uitam mundi, docet fidem, per quã peruenitur ad uitam; eam qui reueretur & diligit, is uitã assequitur æternã. Aueniat autem & à peccato omni, quo impellitur transgressor ad mortem. Non tamen dat eius obseruantia uitam, sed eum uitæ fontem docet & promittit, unde tanquã à saluatoris fontibus aquæ salutis hauriuntur, & Christum iustitiã omnium piorum promit & commendat credentibus, ut digne dicatur lex uitæ, quãlibet carnis malitiã, & peccati dominio prædominãte in nostro mortali corpore, etiam occidere dicat, uerissime terrere, & perditionem promittere. Interim tamen non tacet Euangelium gratiæ factum ad patriarchas & prophetas, semper creditum fidelibus, ueteris & noui Testamenti electis. Docetquã qua in re domino complacere, & conscientiam in ueris dogmatibus confirmare possumus, fide & gratia non absente.

Cui noluerunt obedire patres nostri: sed repulerunt & auersi sunt **F** cordibus suis in Aegyptũ, dicentes ad Aaron: Fac nobis deos qui præcedant nos: Moysi enim huic qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid factum sit ei. Exodi 32. 4

Tanta uero cum esset dignitas sanctitas & authoritas Moysi, tamen patres nostri noluerunt obedire illi, sed repulerunt eum, & obliti à qua misera seruitute fuissent liberati, conceperunt animo desiderium Aegypti, ut relicto duce salutifero & redemptore, sprete lege uiuifica redirent ad mores idololatrarum. Itaque colloquente Mose cum angelo, dicunt Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos &c. ut legere licet Exodi 32. cap.

Et uitulũ fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum.

Maiores nostri nunquã nec Moysi obedierunt, nec legem obseruarunt: quin absente Mose & contempto sacrificios dei cultus instituerunt sibi: uitulum aureum, cui in honorem dei sacrificantes, maximam sibi iustitiã ex eo pollicebantur. Atqui hoc non erat deum colere, sed domini præceptum uiolare, datũ per Moysen. Ad exemplum enim Aegyptiorum, qui bouem Apin adorant, fecerunt sibi quoque uitulum, atque huic exanimi deo immolauerunt hostias, spreto deo uiuente, cuius misericordia seruitutem effugerat. Et in tam impio facinore quasi re bene gesta saltabant & epulabantur, auersantes deum uerum, qui condidit uniuersa, exultantes in dijs multis, quos ipsi suis sibi manibus confecerant.

Conuertit autem deus, & tradidit eos seruire militiae coeli, sicut scriptum est in libro prophetarum: Nunquid uictimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch & sydus dei uestri Rempham, figuras quas fecistis, adorare eas. Et transferam uos trans Babylonem. Amos 5. 8

His rebus offensus deus auertit sese uicissim ab illis, & passus est illos obsequi animo suo, ut tandem exemplo gentium colerent iam nõ unum deum, sed totam coeli militiam, solem, lunam, stellas, Martem, Mercurium, Venerem, Saturnum, quibus impiã fabulã diuinitatem tribuunt, quum sint corpora à deo condita, ut seruiant usibus hominũ. Non potest negari quod loquor, nimirum hoc est quod stomachatur deus per Amos prophetam, dicens cap. 5. Nunquid uictimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel? At pro templo dei ueri amplexi estis tabernaculum Moloch, id est idolum Am

monitarum ac sydus dei uestri, quod Græcis non Hebræis Rempham dicitur, stellam aliquam significans, Luciferum uel Venerem, quem colunt Sarraceni. Hæc muta simulachra uobis finxistis ut adoraretis, contemto uiuo ueroq; deo, qui solus condidit uniuersa. Quoniam autem in his est animus uester, transferram uos per & ultra Damascum in Babylonem, ut denuo seruiatis idololatrijs: de quo uide annotata in Amos suo loco. Arbitror, ait Stephanus, satis esse demonstratum, nos Christianos nec blasphemos esse in deum, quæ pure colimus, nec in Mosen, cuius prophetiam amplectimur, sed illos potius, qui uestigia maiorum imitantes, & deum contempserunt olim in Mose, & utrunq; hodie contemnunt in Iesu Nazareno. Aduersus legem autem nos nequaquam blasphemus sumus, qui quem lex designauit, quem propheta omnes promiserunt, amplectimur. Sed illi potius qui patrum impiorum ingressi uestigijs, a quibus contempta est lex per Mosen lata, nunc aspernantur legem Euangelicam, quam omnibus tulit Iesus Nazareus, quæ Mosi legem non abrogat, sed perficit.

Exodi 25. d
Hebr. e. b

Tabernaculum testimonijs fuit patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis deus, loquens ad Moysen ut faceret illud secundum formam quam uiderat.

Clarissimis consequenter scripturæ testimonijs differit de tabernaculo & templo, ostendens se non fuisse contumeliosum in templum, etiamsi prædicauerit templum Salomonis non esse uerum templum illud, quo deus concluditur, nec cultum eius esse ueram iustitiam: quantumuis Mosaico tabernaculo erecto & consecrato, descenderit columna ignis uel nubis &c. Exodi 33. Non enim ad hoc institutum est illud tabernaculum, ut perpetuo duraret, sed tantum ad dies Dauidis. Vnde & Moses iussus est illud cum uasis parare ad exemplar quod ei in monte monstratum est, quod non uerum tabernaculum, deum completens esse potuit, & iustificare uel ministros illius uel populum, sed umbra tantum fuit & figura ueri tabernaculi, quod fuit Mosi in monte monstratum, nempe Christus, uerbum incarnatum, uerum diuinitatis tabernaculum, in quo deus corporaliter habitat, & per quem deus foedus cum fidelibus iniit, ut quisquis in Iesum Christum crediderit, consequatur per ipsum remissionem peccatorum & uitam perpetuam. Non ergo se deus uere concluderat intra Mosaicum foederis tabernaculum, nisi in propitiatorio sacro quasi in signo quodam præsentia gratiosæ, sed quod significaret Christi humanitatem, in qua deus habitaturus esset, & in quo Christo uera iustitia coram deo & foedus peractum & æternum per fidem pararetur. Iam ut tabernaculum non ueritas sed umbra fuit, ita & illius omnia uasa & sacra, cultusq; totus perfectiorum bonorum simulachra extiterunt, quemadmodum testatur epistola ad Hebræos. Effusio ergo sanguinis non bestiarum, sed Christi domini pro peccatis est uera expiatio, iustitia & salus, & is quidem cultus semel peractus est ac perfectus. Nosstrum autem est Euangelijs peragere, hoc est gratias deo quas possumus referre, & iugiter memoriam reuocare tanti beneficii cum fruitione spirituali uera et sancta totius mysterij, quod uerbum dei incarnatum exequutum est in benedicta humanitate, nascens, prædicans, gratiam testans, patiens, moriens, & resurgens usq; ad ascensionem eius, quarum omnium sacramenta credita & uenerata in animo, cibus sunt spiritualis animæ saluandæ, & potus in uitam æternam, ut altero sacrificio minime ageamus.

Iosue 3. c. d

Quod & induxerunt, suscipientes patres nostri cum Iesu in possessionem

nem gentium, quas expulit deus à facie patrum nostrorum usq; in diebus David, qui inuenit gratiam ante deum, & petijt ut inueniret tabernaculum deo Iacob.

Tabernaculum illud Mosaicum æternum non fuit, sed uetustate contabuit in totum; materiale enim erat & transitorium, paratum ad transitiones, donec stabile lapideum extrueret. Interea tamen temporis illud amplexi sunt patres nostri duce Iesu, & inuenerunt in possessionem gentium, quas expulit deus à facie patrum nostrorum, usq; ad tempora regis Davidis. Qui cū esset uir pius fidelis & deo gratus, petijt ab ipso domino, ut liceret auxilio & gratia sua diuina sibi parare tabernaculum fixum & æternum, dignum domino deo Iacob.

Salomon autem ædificauit illi domum. Sed excelsus non in manufactis habitat, sicut per prophetam dicit: *Cœlum mihi sedes est: terra autem, scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit dominus: aut quis locus quietionis meæ est? Nōne manus mea fecit hæc omnia?*

1. Reg. 16. c

Psal. 131. a

1. Paral. 17. c

3. Reg. 6. a

Infra 17. f

Isaia 66. a

Salomon quoniam pacificus erat ædificauit domino magnificū templum, cuius sacra quoq; satisfactoria arbitrabātur pro peccatis, & ut propter templū bene curatum omnia eis prospera acciderent, adeo quod totam religionis suæ uim in templo sitam esse existimauerint. Non aliter nostro tempore habita est Missa sacrificium, scilicet pro peccatis uiuorum & mortuorum, quod propter Missam omnem felicitatē in cœlo & in terra adipiscamur, & omnis religio pharisaicæ sita hætenus fuit in Missa. Quo maiori ergo fiducia spē suā in templum collocabant, hoc grauatim magis ferebant quod Stephanus id totum negabat. Quod & probat ē sententia ipsius Salomonis, qui templum ædificauerat, & ex Isaia propheta. Fatetur autem Dauidem omnia impendia præparasse, idēq; placuisse deo, deinde maximis sumptibus extructum à Salomone. Qui & testatur deum nō habitare in manufactis templis, quasi peculiari aliqua in domo, cum cœlum & cœli cœlorum ipsum capere nequeant: & Isaías: *Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum &c.* Verum hoc templum nihil aliud erat quàm figura ueri templi, quod & corpus Christi sanctissimū est, ut dictum est, & ipsa ecclesia Christi sacrosancta, quæ nunc ædificatur à Christo, cuius typus erat Salomon filius Dauid. Deus igitur qui condidit uniuersa, prius in se ipso quietem habuit antequam conderet omnia. Etsi requiescit, non id intelligitur de ædificijs manufactis quibuscunq; sed gaudet requiescere, hoc est gratiose dona sua participare & influere in animas quietas, et obtemperantes spiritui sancto, & sabbatum domino celebrantes continuum, de quo toties lex domini loquitur & prophetæ. Itaq; qui peccus habet sceleribus inquinatum, is uiolat templum dei. Qui negotiū facessit his qui spiritui sancto obtemperant, ille uiolat templum domini.

Dura ceruice, & incircuncisi cordibus & auribus, uos semper spiritui sancto restitistis: sicut patres uestri, & uos.

Quemadmodum non lædit Mosen, qui Iesum illi præfert, nec uiolat legem ab eo latam, qui illi præfert Euangeliū: ita nec templum hoc uiolat, qui præfert illi templum spirituale, quo magis delectatur deus. Aequum est enim, ut umbra cedat ueritati, quæ nunc sese profert in lucem; par est, ut quod carnale est, cedat spiritualibus. Nimirū hæc est immutabilis dei uoluntas, & huius rei gratia misit unicum filium suum in terras, misit spiritum sanctū, ut ad omnes gentes

tes permaneret lux ueritatis Euangelicæ. Vos autem mordicus tuentes quod carnale est, rebelles estis spiritui sancto & deo, qui uos iam olim dixit duræ ceruicis populum. Et uobis uideamini Israelitæ & filij Abrahæ, quod præputij pelli culam habetis circumcisam, quæ & cor habeatis incircumcisum & aures. Post hæc ueri sunt filij Abrahæ, qui cor habent repurgatum ab impijs cupiditatibus, qui aures habent obediens præceptis dei, ac repurgatas à crassitudine sensus carnalis, ut sensum spiritualem legis queant percipere.

G Quem prophetarum non sunt persecuti patres uestri: Et occiderunt eos qui prænucciabant de aduentu iusti, cuius uos nunc proditores & homicidæ fuistis: qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis.

Quemadmodum autem patres uestri ob crassitudinem mentis & aurium hebetudinem semper restiterunt spiritui sancto, ita & uos nõ degenerantes ab ingenio maiorum, nunc spiritum sanctum oppugnare non desistitis: pridem in Iesu Nazareno, quem suffixistis in crucem, nunc in apostolis illius. Et ut dicam quod res est, uos patres uestros sceleribus longe superastis. Illi olim & semper persecuti sunt prophetas, qui adnunciauerunt aduentum iusti illius Iesu Christi, qui solus est iustitia nostra, qui factus est pro nobis peccatõ, ut nos essemus iustitia dei in illo. Vos autem huius iusti proditores estis & homicidæ, interim gloriamini de lege, & minimum apicem legis non obseruatis. Et sunt quidẽ hæc Stephani uerba dura, sed non uirulenta conuitia, aut impotentis animi contumeliæ. Non est Stephanus oblitus modestiæ Christianæ ad eos quos fratres & patres appellauerat ab exordio, pro quibus & orat inter lapides moriturus, ne statueret illis dominus hoc peccatum. Officiũ est, non conuitium: ueritas, non impudentia: zelus spiritus est, non impotens carnis ira. Maledictus est omnis apostolus, ecclesiastes, & prælatus, qui peccatoribus adulatur, & ab increpatione prohibet os suum, ut peccatores non ducantur in agnitionem peccatorum suorum, ideoq; sancti Stephani uerba & si appareant sono uocis conuitia carni, quia tamen pro officij uocatione pontifices alloquitur ipsissimi spiritus sancti uerba sunt.

Audientes autem hæc, diffecabantur cordibus suis, & stridebãt dentibus in eum.

Hæc oratio tam uera tamq; libera uehementer concitauit animos omnium qui erant in concilio, adeo ut rumperentur illorum corda ac dentibus strideret in illum. Sicut autem illi audita ueritate magis cæci, & proposita increpatione magis furiosi redduntur: ita ferè fieri solet, ut omnes impij ex auditu ueritatis obstinatior, & ex increpatione peiores reddantur.

Cum autem esset plenus spiritu sancto, intendens in cælum, uidit gloriam dei, & Iesum stantẽ à dextris uirtutis dei. Et ait: Ecce uideo cæcos apertos, & filium hominis stantem à dextris uirtutis dei.

Sentiebat Stephanus sibi mortem paratam, uidebat pontifices & asseclas eorum in eius necem conspirasse, habebat mortẽ ob oculos suos positam, nusq; patebat euadendi uia. Inimici eius erant potentissimi, e quorum manibus non poterat elabi. Amici apostoli & cæteri Christiani impotentiores erant quàm ut e manibus eorum eripere possent. Cum igitur ab omnibus derelictus esset, hoc solum reliquum habebat, ut oculos suos dirigeret in dominũ Iesum Christum, cuius gratia uinctus erat, ac sit uoti sui statim egregie compos. Cum enim esset plenus

plenus spiritu sancto, intentis in cœlum oculis uidit gloriam dei, & Iesum stantem à dextris dei, & ait &c. Dextera hic dei intelligitur diuina sacrosancta maiestas, & omnipotentia uirtus et actio. Sedere autem ad dexteram dei, est æqualem cum deo habere gloriam, potentiam, honorem, & omnia bona: unde tunc Stephanus Christum dominum etiam corporalibus oculis uidit, sibi apparentem in gloria se digna, spectro glorioso, prout potest & uoluit, quando prodest. Non est enim sic alligatus Christus iuxta corpus gloriosum unì loco, ut nō possit apparere & esse quocunq; in loco uelit, quamlibet pro conditione creaturarum & ueritate humani corporis, omnibus in locis uel simul in multis esse non possit, nec uelit. Alijs uero modis adesse potest opem suā implorantibus, & auxilio indigentibus, qui iuxta diuinitatis suæ uirtutem & naturam ubiq; est, & omnia operatur cum patre & spiritu sancto, humanitate sua manente incorrupta & immutata, ne non sit primogenitus omnis creaturæ, & conformis fratribus, quorum est speculum beatitudinis & erit, in corpore & anima diuinitate hypostatice unitis. Quia autem Stephanus primus fuit qui post missum spiritum sanctum propter Euangelium Christi mortem passus est, ideo ei Christus reuelauit ante mortem cœlestis gaudium, regnū felicitatis æternæ, ita ut re ipsa hæc senserit. Id quoq; propter nos factum est, ut certi redderemur quod Christus regnet felicissima in uita, parata credentibus illi, ut nō pereamus post mortem, sed uitam cœlestem uiuamus. Hic operapretium est cōsiderare formam huius iudicij. Erant proposita crimina. Responsum est ad omnia. A iuuenes producta sunt testimonia legis & prophetarum, solidis rationibus euicta res est. Nihil dictū est de deo nisi pie, nihil de templo contumeliose, & tamen illi disrumpuntur ira, & furentium more frendent dentibus. A deo non ferunt imminui gloriam suam, & prædicari gloriam eius, cuius unius gloriam uult deus apud omnes prædicari.

Exclamantes autem uoce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Et eijcientes eum extra ciuitatem, lapidabant:

Si Moſen aut Abraham extulisset, tulissent. Iesum uiuere, Iesum stare à dextris dei iuxta uaticinium Dauid non ferunt, sed prorsus iam in rabiem uersi aduersus sermonem tam salutiferum obturant aures suas, & insanis uociferationibus magno consensu omnes impetum fecerunt in Stephanum. Hæc sunt argumenta, hæc sunt scripturæ, & rationes probabiles, quibus illi pontifices Stephanum erroris & hæreseos conuincunt, nimirum, clamor, impetus, lapides. Iam enim ueluti conuictum damnatumq; blasphemia, eijciunt extra ciuitatem, hæc tantum in parte memores legis Mosaicæ, atque illic eum lapidabant.

& testes deposuerunt uestimenta sua secus pedes adolescentis, qui uocabatur Saulus.

Ex alio quoq; ut uiderentur agere iuxta legem, necesse habent testes primi lapides in Stephanum iniicere, iuxta illud Deut. 17. In ore duorum uel trium testium peribit qui interficietur: manus testium prima interficiet eum &c. Hæc nunc illi legem seruant, alioqui præuaricatores totius legis. Quid ergo huius legis obseruatio aliud est quàm impietatis & sceleris in totam legem commissi prætextus? Sic enim literalis obseruatio legis prætextus, si spiritum legis neglexeris, nō est nisi iniquitatis operculum. Quo uero lapidatores testes iniqui essent ad carnificinam expeditiores, deposuerunt uestes suas apud adolescentem, cui

nomen erat Saulus, qui tum ex pharisæorum schola adhuc per ignorantiam ac patriæ legis studio fauebat impiæ causæ, existimans se deo placere, si blasphemii hominis lapidationem quàm maxime promouisset. Sed quomodo inter hæc se gessit sanctissimus Stephanus?

Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meum.

Non reluctatur, non conuictatur, non iactat innocentiam, non imprecatur uindictam, sed eum quē uiderat inuocat. Domine Iesu, inquit, suscipe spiritum meum. Agnoscis discipulum Christi, cuius ad exemplar uiuit & moritur. Commendauerat in cruce deo patri spiritum suum; sic Stephanus commendat Christo suum spiritum, hoc est animam ad dei similitudinem creatā, hominis uitam, cupiens posthac in Christo uiuere, & perpetua pace in domino perfrui, cū benedicta humanitate Christi in paradiso consistere, & in cœtu felicium in deo. Proinde inter rotatus saxorum iam proximus morti, non inuocat quenquam sanctorum, sed solum Christum dominum, intercedentē pro omnibus creditibus in ipsum. Is est nempe qui mortem uicit, & sua nos morte uiuificat, qui dixit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

Positis autem genibus, clamauit uoce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormiuit. Saulus autem erat consentiens neci eius.

Testatus iam fuerat suam fidem in Christum, dum orauit ut Christus spiritum suum susciperet, nunc declarat charitatem & candidum animum suum erga aduersarios suos, & precatur, ut dominus aduersarijs suis ignoscat, & peccatum quod nesciētes in ipsum designant, clementer remittat. Sic enim Christus docuit, Diligite, inquit, inimicos uestros, & orate pro ijs qui lædunt & insectantur uos &c. Non autem remittit errata Stephanus suis insectatoribus alia ratione, quàm ut gratum sese exhibeat erga benefactorem, ut obediat eius precepto, à quo per gratiam assequutum se sperat remissionem peccatorū. Et cum hoc dixisset, obdormiuit in domino. In quo quisquis moritur, non moritur, sed obdormiscit, post placidam quietem ad immortalitatem reuicturus. Hoc affectu decet mori, quotquot uere Christiani sunt. Itaque Stephanus suo respondens nomini, primus omnium martyrii coronam meruit, & Euangelici sacrificij primitias domino obtulit.

CAPVT VIII.

Acta est autem in illa die persecutio magna in ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter apostolos.

Erant in ea multitudine quibus nondum persuasum erat Iesum esse filium dei, atque hic error aliqua ex parte criminis atrocitatē eleuabat, licet eos non excusaret ab homicidio, quod excæcati suis cupiditatibus, ulcisci maluerunt quàm discere ueritatē. Nulli tamen minus excusabiles quàm pontifices scribæ & pharisæi. Erant rursus qui simpliciter errabant, credentes se sacrificium gratum offerre deo quod eos qui legem à deo traditam conarentur subuertere, tollerent e medio. Cæterum Euangelica charitas excusat ea quoque quæ non possunt excusari. Inter eos autem qui citra malitiam errabant, erat Saulus Tarsensis, adolescens, Mosaicæ legis studiosus, qui post ex lupo factus est ouis, ex persecutore sapientissimo factus est acerrimus assertor Euangelicæ libertatis. Atque ipse

ipse quidem tunc nullos lapides coniecit in Stephanum, uerum assensus est his qui Stephanum damnarant ac lapidabant, atque hoc animo seruauit illorum uerba, ut in multorum lapidantium manibus esset unus. Nec unius morte contenta fuit Iudæorum malitia, sed mox ingens persecutio oborta est aduersus ecclesiam, quæ erat Hierosolymis, sic ut omnes per uarias Iudææ & Samariæ regiones alius alio dispergerentur, præter duodecim apostolos, qui cæteris animi robore præstabant, nec in hos quicquã licebat Iudæorum malitiæ, quem admodum nec in alios, nisi permissu domini Iesu. Permiserat hoc dominus Iesus, ut urgente persecutore fugerent de ciuitate in ciuitatē (nec erat istud tam formidinis apostolorum quàm diuinæ dispensationis) ut ueluti late sparsis seminibus cito proueniret copiosa messis Euangelicæ professionis. Soli duodecim apostoli ueluti pastores non cesserunt huic tempestati, sed constantibus animis perseuerauerunt Hierosolymæ ad longum tempus.

Curauerunt autem Stephanum uiri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.

Stephanum infamæ coram mundo mortis genere extinctum curarunt honeste humanum uiri quidam pietatis cultores, quod intelligerent illum præter meritum per subornatos testes oppressum. Hoc studio Ioseph & Nicodemus curarunt funus domini Iesu. Stephani uero mors iuxta Iudæorum morem ingenti bonorum luctu planctusq; celebrata est. Nam apud Christianos mors pro Christi gloria appetitum plausibilis est ac triumphalis. Et si quid est ibi lachrymarum, non impenditur ei qui mortuus est, sed uel occisoribus sibi gehennam accersentibus, & in tam iniusta causa præualentibus contra pios, uel gregi necessario pastore destituto, suam plorando pietatem prædicant & testantur.

Saulus autem deuastabat ecclesiam, per domos intrans: & trahens uiros ac mulieres, tradebat in custodiam.

Saulus qui in lapidatione Stephani zeli sui specimen ostenderat, magno odio concepto in Christianos, non aliter quàm lupus famelicus laníat ac dissipat gregem ouium, ita cœpít deuastare ecclesiam dei, persequens fugitantes, in qui rens latitantes, obambulans per singulas domos, & ubicunq; sensisset ille qui Iesum Christum profiteretur, irruerat, uiros pariter & mulieres pertrahens in carcerem, uidelicet sæuior ipsis sacerdotibus ac scribis, quorum nullus adhuc negotium exhibuerat sexui muliebri. Id agebat iuuenis pio quidē affectu, sed peruerso iudicio. Et ideo sæuitiam illius dominus temperabat, ne cuius sanguine contaminaretur. Quam & ipse suam crudelitatem postea ingenue fatetur Timotheo, Eram, inquit, prius blasphemus & persecutor & uiolentus: & ad Antiochiam: Multos sanctorum ego carceribus inclusi &c. Miserrimam dices ecclesiæ conditionem sub hoc persecutore fuisse, nisi deus maxima beneficia ecclesiæ per hanc persecutionem contulisset, de quibus sequitur.

Igitur qui dispersi erant, pertransibant, euangelizantes uerbum dei.

Dum hæc aguntur Hierosolymis, ij qui dispersi fuerant, quanquam metus aliunde alio propellebat, tamen non tacebant Iesum Nazarenum, sed peragrabant Iudæam, passim semina quædã iacentes sermonis Euangelici, qua de causa dominus eos dissipari passus fuerat. Sic dum infelicissimi Iudæi Christum & Euangelium opprimere student, maxime propagant, & eiectos Iudæa Gentibus circumquaq; mittunt prædicatores ueritatis. Id non tunc tantum contigit, sed & similia nostris temporibus crebro cõspeximus, domini bonitate uincen-

te humanam impietatem, ut Christi regnum inuitis Christi hostibus magnifice augeatur.

Philippus autem descendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Christum.

Inter Christi discipulos Philippus erat e septem diaconis unus, ordine proximus Stephano. Is profugus dispensatione diuina e Hierosolyma descendit in ciuitatem Samariæ, quæ eadẽ Sebeste dicta est. Peruenerat eodem & ante iam rumor quidam de Iesu Nazareno crucifixo, de quo Philippus illic cætera prædicabat, quomodo crucifixus tertio die resurrexisset uiuus, & immortalis a patre regno donatus, deinde per quadraginta dies uersatus cum discipulis ascendisset in cœlum, atq; inde misisset suis discipulis spiritum sanctum, posthac omnibus paratam esse salutem qui crederent in nomine illius.

Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & uidentes signa quæ faciebat.

Populus Samaritanorum (nam a populo semper est primus Euangelij proventus) magno animorum consensu intendebat his quæ narrabantur a Philippo Iudæo, & Christi discipulo. Erat enim oratio fauorabilis, quæ pollicebatur omnibus salutem: tum autem dictis fidem astruebant miracula, quæ multa per Philippum ædebantur: accedebat propensio animorum ad Christum dominum, quem aliquoties audierant prædicantem, & prophetam magnum, & opinionem multorum Messiam crediderant, ut patet ex Euangelio secundum Ioannem. Iam autem implebatur quod prædictum fuerat per Isaiam: Leuabit dominus signum in nationes &c. auferet zelus Ephraim & hostes Iuda peribunt. Ephraim non æmulabitur Iudam &c. Et Ieremias: Rursum ædificaberis uirgo Israel, adhuc ornaberis tympanis tuis &c. adhuc plantabis uineas in montibus Samariæ &c. quia erit dies in qua clamabunt custodes in monte Samariæ, & in monte Ephraim: Surgite & ascendamus in Sion ad dominum deum nostrum. Et cætera multa quæ obliuioni ferme tradita fuerant, deus autem non obliuiscitur ueritatis suæ. Nunc enim Philippo prædicante in Samaria Christum, impletur uaticinium, dum multi ægroti illic mirabiliter sanitatem per nomẽ Iesu Christi consequuntur, dum magnum sit gaudium in Samaria. Hoc est enim magisterium domini, ut de pessima re optima conficere ualeat.

B Multorum enim habentium, spiritus immundi clamantes uoce magna, exhibant. Multi autem paralytici & claudi curati sunt. Factum est ergo gaudium magnum in illa ciuitate.

E multis qui possidebantur ab impuris spiritibus, ad inuocationem nominis Iesu daemones exhibant, magna cum uociferatione declarantes sese non exire sponte, sed compulsos uirtute salutiferi nominis. Quin & paralytici cõplures & claudi sanitatem sunt assequuti. Has ob res ingens gaudium ortum est publicitus in ea ciuitate. Quo longius receditur ab Hierosolyma, quoq; propius acceditur ad Gentes, hoc uberius est Euangelici seminis proventus. Vide quantum profecerit Iudæorum sæuitia, Philippus ex diacono factus est apostolicus, & pro paucis Hierosolymitis totæ ciuitates amplectuntur doctrinam Euangelicam. Tantæ bonitatis est dominus, ut nihil mali permitteret credentibus in ipsum accidere, nisi uellet optima quæuis beneficia per illud malum ipsis conferre.

Vir autem quidam, nomine Simon qui ante fuerat in ciuitate magus,

gus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum: cui auscultabant omnes à minimo usq; ad maximum dicentes: Hic, est uirtus dei, quæ uocatur magna. Attendebant autē eum, propterea quod multo tempore magijs suis dementasset eos.

Gravior est perniciēs ecclesiæ ab his qui se iungunt ecclesiæ non sincero animo, quàm ab his qui palàm ecclesiam persequuntur. Et huius rei nobis æditum est exemplum, quo magis caueamus lupos, ouilla pelle tectos. Erat apud Samaritas uir quidam nomine Simon, impostor, & præstigiatorum artifex, qui priusquàm eò perueniret Philippus, magicam artem exercuerat in ea ciuitate, ac simulatis miraculis prodigijsq; dementarat Samarię populum alioqui supersticiosum, & ad dæmonum præstigia propensum, His fucis se uenditabat apud simplicem ac superstitiose credulum populum, iactans sese magnū quempiam esse prophetam, cui auscultabant omnes à minimo usq; ad maximum. Nihil autem fecerat in nomine Iesu, & ideo stupefacti prodigijs, quæ ille uel præstigijs simulabat uel dæmonum auxilio patrabat, dicebant: Iste est uirtus dei, quæ uocatur magna. Non prædicabat hic Simon Samaritis, dubiæ fidei hominibus & instabilibus legem Moysi, sed suas superstitiones: nec prædicabat eis Christum, sed seipsum, dicens se esse magnum & præcipuum ueritatis doctorem. Itaq; præstigijs suis efficiebat, ut omnes Samaritani ei fidem adhiberent. Veniēte autem Philippo, & Christum prædicante, patrantēq; immensa miracula, multos Samaritanos eo perduxit, ut à Simone mago deficientes, Christi doctrinam amplecterentur, signis confirmati et prodigijs multis, & baptizarentur tam mulieres quàm uiri secundum quod dicitur.

Cum uero credidissent Philippo euangelizanti de regno dei: in nomine Iesu Christi baptizabantur uiri ac mulieres.

Is ubi Simon uidit in Philippo præsentiore uirtutem edendī uera miracula per inuocationē nominis Iesu, ac Samaritanum populum ab ipso abalienatum credidisse Philippo, qui lætum nuncium omnibus adferbat de regno dei, deq; nomine Iesu Christi, nihil magnifice de se prædicans, quemadmodum fecerat Simon, sed Iesu gloriam miraculis illustrans, sed omnibus salutem promittens, qui accepto baptismo nomen illud profiterentur, uideretq; plurimos, tum uiros tum mulieres baptismum accipere, tandem credidit & ipse Simon.

Tunc Simon et ipse credidit: & cū baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa & uirtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

Credidit Simon, non quidem uere, sed hypocritice, & baptizatus est, cœpitq; adhærere Philippo, non tam amore Iesu quàm auiditate laudis & gloriæ. Magicarum enim artium peritissimus perspiciebat in Philippo nihil agi similibus fucis. Proinde quum cerneret per illum quedam ædi non leuia miracula, qualia sunt ferè magorum, ut draco uolitet, aut serpat culmus, sed uerbo dei eijci dæmones, uerbo sanari paralyticos, uehementer stupefactus admirabatur, quam arte aut uirtute fierent ista. Voluit ergo Philippo familiarior fieri, ab eoq; discere artem ædendī talia, quæ magicas suas artes excedebāt, ut ita à Philippo edoctus, maiorem gloriam inter Samaritanos consequeretur. Per similes sunt Simoni mago, qui simulant se credere nunc Euangelio, non aliam ob cau-

fam quam ut multitudini placeant, & famam ac gloriam suam non amittant, aut inde quoque suum quaestum adaugeant ex ecclesiasticis diuitijs.

Cum autem audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria uerbum dei: miserunt ad eos Petrum & Ioannem.

Vbi rumor iam pertulisset Hierosolymam ad apostolos, qui ibi resederant, Samariam per Philippum amplexam esse sermonem Euangelicum, gentem crassam, nec omnino puram ab idololatria, uehementer gauisi, miserunt ad illos Petrum & Ioannem, ut per hos comprobaretur & absolueretur, quod per Philippum fuerat coeptum. Non quod dubitarent de legitima praedicatione Philippi, sed quia auxilio illi cupiebant esse, maxime quod scirent Simonis magi malitiam & dolos, & ut communibus uotis impetrarent spiritus sancti missionem baptizatis in Christo, hoc est dona quaedam spiritualia & sacra, quae in primitiua ecclesia necessaria erant, pro dilatatione fidei & confirmatione ecclesiarum: non tamen erant necessaria omnibus ad salutem, sicut gratia dei & peccatorum remissio, incorporatioque in membra Christi, quae in baptismo conferebantur legitime baptizatis.

Qui cum uenissent, orauerunt pro ipsis, ut acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum uenerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu.

Apostoli cum peruenissent Samariam didicissentque quod plurimi per Philippum essent baptizati, & Christum induissent doctrinae uerbo & sacramentis, gratias egerunt deo. Philippus autem & qui cum illo erant rogauerunt apostolos pro illis, ut acciperent spiritum sanctum, & qui per baptismum iam essent a peccatis purgati, ecclesiae Christi incorporati, et legitime edocti Euangelium, copiosius etiam donum dei linguarum nempe, & alia quaedam acciperent quemadmodum acceperant illi, qui primi in coenaculo spiritum sanctum acceperant. Nondum enim in quenquam illorum uenerat donorum reliquorum coelestis participatio, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Erat baptizandi potestas delegata fortassis tantum diaconis, sed impositio manuum per quam conferebatur spiritus sanctus, ut in die pentecostes, fere solis apostolis seruabatur aliquandiu ad profectum ecclesiae.

Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum.

Apostoli ut erant rogati a Philippo, imponebant manus baptizatis in nomine Christi, & gratiam dei assequutis per Christum, & inserti gremio ecclesiae, & signo uisibili accipiebant spiritum sanctum, hoc est donum praedicandi Euangelium, & miracula conficiendi, uigorem denique igneum addentem animis, ad proficiendum in ecclesia.

Cum uidisset autem Simon quia per impositionem manus apostolorum daretur spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuiuscumque imposuero manus, accipiat spiritum sanctum.

Quum Simon uidisset, nuper ex malo mago factus nihilo melior Christianus, quod apostoli per impositionem manuum conferrent coeleste donum, ne quid sibi deesset ad ostentationem et quaestum, obtulit ei pecuniam, dicens: Date mihi quoque huiusmodi potestatem donandi homines spiritu sancto. Existimabat magus apud omnes omnia posse pecuniam, nec ignorans oportere facere sumptum qui quaerit lucrum, mercari uult quod pluris reuendat. Atque hic rursus aliud seminarium exitij grauis in ecclesia. Ananias & Saphira dederant poenas simulationis.

tionis. Erat & hoc exemplū statim acriter repellendū, quod si reciperetur, Christianæ pietatis synceritatem penitus esset subuersurum. Christianismus non est mercatura, ut pretio emas spiritum sanctū gratiam & remissionē, & postea pluris reuendas, sed est gratuita gratia, quæ omnia gratis à deo absq̃ ullo uel pretio uel merito exhibentur & accipiuntur. Omnes, inquit Isaias, sitientes uenite ad aquas, et qui nō habetis argentū properate, emite, et comedite &c. absq̃ ulla cōmutatione uinū et lac. Gratia, inquit Paulus, estis seruati per fidē: idq̃ nō ex uobis, dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, necq̃ fors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram deo.

Petrus cæteris omnibus commonstrans, quid episcopis aduersus Simonis imitatores sit faciendū, respondit: Satius est ut ista tua pecunia, qua perdere studeas alios, pereat una tecū, qui iam tua sponte perditissimus es, ut qui putes donum dei, quod ut ille nobis ex sua benignitate gratuito largitur, ita uult ut alijs gratis impartiamus, redimi posse pecunia. Cum hoc negotio quod ex simplici erga deum animo & fiducia geritur, nullum esse potest tibi consortiū aut comunicatio nobiscum. Quamuis enim aqua tinctum est corpus tuum, tamē cor tuum non est rectum coram deo. Quod si perseueraueris in ista malitia, nihil tibi profuerit baptismus. Loquitur uero hæc Petrus, non ex priuata temeritate, sed ex publico officio & Apostolico, quod est nō tantum peccata remittere, sed etiam retinere. Contemplare uero Romanensium Harpiarum statum, & inuenies hac Petri sententiā totam istam cum suo pontifice synagogam unā cū suis opibus esse condemnatam, qui dei donum peccatorum remissionem & indulgentias, absolutiones, dispensationes, electiones, & quid non? numerata pecunia omnia largiuntur. Postremo ostenso peccato, et pronuntiata condemnationis sententiā, ostendit Petrus uiam, qua Simon et similes possint sibi parare peccati remissionem, & effugere condemnationem, dicens:

Pœnitentiam itaq̃ age ab hac nequitia tua: & roga deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis uideo te esse.

Pœniteat te istius malitiæ tuæ, ac deprecare deum, ut si fieri possit, remittatur tibi tam enorme crimen, nondum quidem opere patratū, sed tamen ita conceptum animo, ut per te non steterit quo minus patraris, & omniū perniciosissimū exemplū in ecclesiam dei induxeris. Puris ac synceris animis donū mitissimū spiritus cōmittitur. Te uero perspicio cor habere minime syncerū, sed amaro felle quæstus & ambitionis infectū, & ob id iniquitatis uinculis obstrictum. A quibus ut absoluaris multis tibi cum lachrymis est inuocandus deus, & orandus, ne te feriat diuinæ iræ uindicta, quam tanto facinore prouocasti.

Respondens autem Simon, dixit: Precamini uos pro me ad dominum ut nihil ueniat super me horum quæ dixistis.

Hic Simon metu teritus potius quàm facti uera pœnitentiā ductus, dicit Petro: Vos potius pro me rogate dominum, ne quid eorum quæ dixistis accidat mihi. Videmus duos Simones inter se compositos, in altero demonstratum est quid sit execrandum, in altero quid sit imitandum. Nec tamen aliena inter-

pellatio ualet, nisi is pro quo interpellatur resipiscat. Intercedit Moses pro Pharaone, sed is fit induratio. Samuel frustra pro Saul intercedit. Et Ieremias prohibetur orare pro populo poenitentiam respiciente.

Et illi quidem testificati & loquuti uerbum domini, redibant Hierosolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.

Posteaquam Petrus & Ioannes testimonio suo comprobassent & consummassent Philippi praedicationem, multaque docuissent de his quae didicerant a domino Iesu, reuersi sunt Hierosolymam, atque obiter multis uicis & oppidulis Samaritarum praedicabant Euangelium, nunquam non agentes quod illis mandatum erat a domino. Expugnata hoc pacto armis Euangelicis per apostolos Samaria, receptaque in obedientiam Christi & confirmata, tempus erat alias quoque regiones subdendi iugo Christi. Quando Messiam constat regnare debere a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Ad quos Christus apostolos mittens, in fidem consequenter accepit omnes populos. Id uero non aliter fit quam praedicatione Euangelij, & per solos imbecilles Christi discipulos, nullo huius saeculi praesidio munitos. Quanquam autem Christi regno obediant, manent tamen subditi suorum magistratum civilium, imo his multo obedientiores in rebus civilibus, si per fidem in Christum didicerint magistratum esse dei ordinationem.

Angelus autem domini loquutus est ad Philippum, dicens: Surge, & uade contra meridiem, ad uiam quae descendit ab Ierusalem in Gazam: haec est deserta. Et surgens abiit.

Oblata est & alia prouincia ad praedam Christo domino obtinendam, Philippo profectus Euangelici sitientissimo. Bonis enim semper benefaciendi datur occasio. Angelus domini submonuit illum, ut ad meridiem Iudaeae proficeretur, per uiam quae ducit ab Hierosolymis Gazam, quae nunc deserta est, uicina mari, urbs olim potentissima Palaestinarum. Confestim uero angeli mandato Philippus obsequitur, ut agnoscas alacritate episcopo dignam quoties ad Euangelium alliciendus aliquis. Non curiose quarit, quid ubi & quomodo agendum sit illi, statim angelo uocanti obsequitur.

Et ecce, uir Aethiops, Eunuchus, potens Candaces reginae Aethiopiae, qui erat super omnes gazas eius: uenerat adorare in Ierusalem, & reuertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam.

Quemadmodum in fabulis Chorasus, ita hic angelus personarum exitum & occursum temperat. Commodum enim eodem tempore iter ingressus est uir quidam Eunuchus, corpore quidem exectus, ac parum uir, sed animo mansuetus, gente Aethiops, cute nigra, sed mox niueo agni immaculati uellere conuestiendus, ac natiuam pellem baptismi lauacro mutaturus. Praefectus Candaces Aethiopiae reginae, qui praepositus erat omnibus gazis eius. Audis gentem effoeminatam luxu, planeque dignam quae foeminae pateretur imperium. Luxum alunt diuitiae. Is uero Aethiops praefectus aut dynastes Candaces, siue illud generale nomen fuerit reginae Aethiopiae, siue notet eam proprie, quae Aethiopiae imperasse legitur mulier uiriliter, altero capta oculo, fidelis certe fuit, quia thesaurorum custos, & pius quoque, quia orandi causa tantum iter confecerat Hierosolymam, ubi orationis domum nouerat etiam dei oraculo constitutam. Tanta huius templi iam erat celebritas, ut gentes etiam e longinquo eam se conferrent cum donis et oblationibus. Hinc sacerdotum stomachus in eos qui dicebant,

rent, hoc templum aliquando demoliendum. Pius erat animus Eunuchi, sed erabat, qui religionem quæreret in templo Iudæorum, unde iam migratura esset ad Gentes. Quum itaq; domum reuenteretur, sedens in curru, nec hoc tempus fabulis aut somno dabat, sed amore religionis legebat Isaiam prophetam, nobis ostendens ubi sit quærendus Christus dominus: nō enim in templis latitat, sed in sacris libris.

Dixit autem spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Isaiam prophetā, & dixit: Putāsne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitq; Philippum ut ascenderet, & sederet secum.

Vbi iam hic occurrisset dispensatione diuina Philippus, rursus submonuit eum spiritus, dicens: Accede, & adiunge te ad currum istum. Quum accurrisset ad currum Philippus, audiuit Eunuchum legentem Esaiam prophetam, moxq; agnoscens religionis studium in Ethnico quoq; & alienigena, ait illi: Intelligisne quæ legis? Tum ille: Quinam possim, homo prophanis negotijs deditus, nisi sit qui mihi sensum abstrusum exponat prophetæ? Rogauitq; Philippum ut currum conscenderet, sibiq; assideret, quo commodius colloqui liceret. Conscendit Philippus & assedit Eunuchō. Hic mihi considera imaginem Evangelici doctoris, & populi gentium cupientis Christum discere. Non potest autem nō ingens esse profectus, ubi alter auidus docendi accurrit, alter discendi cupidus inuitat ad confessum & colloquium. Non fastidit ignotum & humilem, quod si egisset, Christi cognitionem consequutus nō fuisset. Amplectitur ergo humaniter, fatetur suam ignorantiam modeste & ingenue, doceri cupit, & tempus redimere sacris negotijs & contemplatione rerum diuinarum: longe alterius instituti homo gentilis quàm nostri sunt prælati ecclesiastici & monachi, qui omnia tentant ad otium, & ad tempus fallendum, etiamsi quando peregrinantur ad sanctorum limina &c.

Locus autem scripturæ quam legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se sine uoce, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatū est. Generationem eius quis enarrabit: quoniam tolletur de terra uita eius. Isaia 53.4

Nihil hic agitur fortuito, omnia moderatur & temperat deus. Eunuchus imprudens in eum prophetæ locum inciderat, qui Iesum Christum depingebat. Erat autem hic: Tanquam ouis ad occisionem ductus est &c. Hic aliud non dicitur quàm quod Esaiæ 53. inuenies expositum suo loco.

Respondens autē Eunuchus Philippo dixit: Obsecro te, de quo propheta dicit hoc: de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum & incipiens à scriptura ista, euangelizauit illi Iesum.

Hunc locum quum Philippus relegisset Eunuchō, ille magis etiam succensus auiditate cognoscendi de quo propheta loqueretur, ait: Obsecro te, de quo propheta hoc dicit: de se an de alio quopiam? Vide docilem Eunuchū. Audierat Esaiā ipsum, iussu Manassæ regis sectum lignea serra, quod tamen ut apocryphum sic certum non probatur. Nec ignorabat hoc habere prophetiam, ut quod de hoc uel de illo dictum uideretur iuxta sensum historicum, frequenter ad alium pertineret iuxta sensum abstrusorem. Docilis est autē qui sic interro-

gat. Philippus itaq; libenter docturus audum, aperuit os suum, & exorsus ab hoc propheta loco, summam Euāgelicæ doctrinæ illi exposuit, nimirum quod hic esset filius dei, per quem deus decreuerat, ac per prophetas suos promiserat se salutem daturum omnibus in illo fiduciā collocantibus, quodq; hac de causa uoluit illum assumpto corpore humano rursum nasci ex uirgine Maria. Porro cum utraq; natiuitas sit ineffabilis, siue qua sine tempore nascitur à patre, siue qua sine uiri opera per opificium spiritus sancti natus est de uirgine, sic humanam naturā assumens, ut diuinā non amitteret, propheta id cernens spiritu stupefactus, dixit: Generationem eius quis enarrabit? Deinde quod hic esset ille uerus agnus paschalis, cuius morte pater destinarat nō Israelitas tantū, uerum uniuersas nationes à seruitute peccatorū & ab æterna morte liberare. Et ideo tradidit illum in manus sacerdotum, scribarū, pharisæorū, & primorum populi, per quos ductus est ad Pilatum præsidem, ut ab eo crucifigeretur. Apud hūc quoniam mori pro salute nostra uoluit, nihil respōdit ut absolueretur, sed ois in morē omnibus ludibrijs & afflictionibus semetipsum præbuit. Cælauit em̄ illic magnitudinem suā, ac semet hominū causa deiecit ad summā humilitatem. Iudæi uero nihil aliud eum esse q̄ quod uidebatur rati, condēauerunt illum, & ad mortem adegerunt. Nimirum hoc est quod propheta ait: In humilitate iudicium illius sublatum est. Condemnatus est innocens, qui olim sublimis et ex-celsus rediens iudicabit uiuos & mortuos. Deus autem filium suū reuocauit ad uitam tertio die. Hinc quadraginta dies uero proprio clarificatoq; licet uisibili & contrectabili sed impassibili corpore uersatus in terris, & subinde sese ostendens discipulis, postremo uidentibus omnibus sublatus est in cœlum. Rursus decimo ab ascensu die misit spiritū sanctum ē cœlis, qui afflauit animos, & linguas apostolorū, ut intrepide prædicarent Iesum Nazarenū salutis & uitæ principem omnibus totius orbis gentibus, non per legem Moysis, sed per fidē & baptisimum, si credatur remissio peccatorū & iustitia post peccatorum pœnitentiam à domino in illius Iesu Christi assequēdi sola gratia. Nihil est horum quod non ab ipso Iesu traditum ac promissum est. Sed & per singula capita harū sententiarum uide expositionem proprio in loco.

G Et dum irent per uiam, uenerunt ad quandam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?

Hac ergo prædicatione de Iesu Christo audita à fideli & auido ueritatis Eunuchus uiro religioso, & dei fauorem ambiente, qui iam non uacabat spiritu pietatis & sancto, uberiorem scientiæ salutaris gratiam largitur, præstans intelligentiam prophetiæ & fidem, propter quam & subinde baptismum ambit & postulat, uolens quoq; obsignari & confirmari externo signo, dicente Christo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Baptismus igitur signum illud est, quo fides obsignatur, & communionis Christianæ sacramētum & protestatio, ut credamus beneficia dei in nobis per Christum accepta ad nos ipsos pertinere, unde & lauacrum dicitur mundationis, regenerationis, & renouationis per spiritum sanctum, dei dono susceptum, ut latius propagetur ad opera sancta, Christiano & fideli non indigna. Hinc satis probatur, baptizari posse & debere eum qui credit in Christum, secundum scripturas institutus, & postulans fieri de numero ecclesiæ & fidelium, qui fidem acceptam per spiritum, qui loquitur in scripturis & doctoribus à deo missis. Sed non propterea sequitur neminem nisi adultum, et pro se consentientem & credentem posse baptizari, quū con-

stet pueros quoque posse saluari, & capaces esse spiritus sancti, ut Ioannes Baptista & ceteri. Qui deo placent & à Christo benedicuntur, ut salui fiant, si non si de adhuc propria secundum tempus quod à spiritu sancto non est definitum, quum uni citius intelligentia concedatur quam alteri, sine qua fides non est, saltem aliorum fidem spondentium, & sperantium certo suo tempore crediturum puerum, quales & apostolos certum est baptizasse, quoties totas familias Christo dedicarunt & inseruerunt ecclesiae Christi per sacramentum ablutionis sacrae. Quae & ipsa, ut hic probatur, non eligenda est aut consecranda, quando hic prophana aqua et obuia qualiscumque sufficit baptismo decreto, & confessione Philippi & approbatione Eunuchi iam credentis, & spiritu pleni. Fuit enim is baptisimus exhibitus iuxta uerba & mentem domini.

Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo filium dei esse Iesum Christum.

Tu, inquit Eunuchus, fidem docuisti, & ego credo, & cupio baptizari. Quae res obstat quo minus baptizari statim aqua praesente? Tum Philippus, Nihil obstat, si modo credas his quae docui ex toto corde. Haec una stipulatio intercedit in baptismo hominis adulti. Tum Eunuchus alacriter respondit: Credo Iesum esse Christum illum à prophetis promissum, & filium dei, per quem omnibus offertur salus aeterna. Hic uero uideamus quam simplex exigatur & sufficiat fides in catechismo Christiano. Similia legimus in actis sanctae Ceciliae, & reliquis similibus gestis martyrum plurimorum. Credo, inquit, filium dei esse Iesum Christum, eum nempe de quo Isaia prophetiam intelligo praedixisse, diuinitus natum, passum, crucifixum sponte pro peccatis mundi, & resurrexisse à mortuis, & sedere ad dexteram patris. Longe aliter habente hac institutione baptizandi, et Christiano catechismo, quam habeat ille in quo antequam doceatur fides apostolica, oratio dominica, & decem praecipua, exigitur à puero quoque, ut credat in sacramentis coenae contineri corpus Christi corporaliter, substantialiter, praesentialiter, ut contentum reale in continente, licet id miraculose fiat. Quam confessionem nemo unquam uel intellexit uel exegit à neophyto qualicumque. Et quis eam persuadebit Iudaeo uel Sarraceno baptizando, etiamsi credat iam uniuersis scripturis, sed additiones harum declarationum minime, quae & necessariae non sunt, sed superstitiosae, & hominum perniciosae adinuenta: sed de hoc aliis alij multa, dominus uiderit quo spiritu haec agantur.

Et iussit stare currum: & descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.

Mox audita confessione Eunuchi credentis Iesum esse Christum filium dei, à prophetis promissum, per quem omnibus offertur peccatorum remissio & aeterna salus, Philippus iussit sisti currum. Superbum erat uehiculum, ac Barbarae reginae praefecto dignum. Sed descendit, & omnibus ornamentis semet exiit, qui uult esse baptismo initiandus. Uterque descendit in aquam, & Philippus baptizauit Eunuchum, pauper diuitem, humilis potentem, Iudaeus Aethiopem. Adeo nullus hic personae respectus, omnia conueniunt, si conuenit fides & consensus in Iesum Christum. A baptismo nec Eunuchus est nec Aethiops, sed noua creatura in Christo regenerata aqua & spiritu.

Cum autem ascendissent de aqua, spiritus domini rapuit Philippum, & amplius non uidit eum Eunuchus. Ibat autem per uiam suam gaudens.

Cæterum Philippum simul ac egressus est aquam, rapuit illum spiritus domini, nec amplius uidit eum Eunuchus, nec desiderauit doctorem suum, semel perfecte afflatus spiritu sancto per baptismum spiritus & aquæ. Quod didicisset Iesum Christum, perfecit iter suum, ut & apud Aethiopes suos Christi nomen prædicaret nouus apostolus cum magna autoritate & fiducia, tanto miraculo confirmatus, & scripturarum intellectu. Vt non sine nouo miraculo quod illud Pauli; Iustificati ex fide pacem habemus erga deum per dominum nostrum Iesum Christum, conscientia pacificata fide in Christum. Is Eunuchus quoque Aethiops surget in iudicio nobiscum, & cõdemnabit nos propter nostræ fidei imbecillitatem aut incredulitatem.

Philippus autem inuentus est in Azoto: & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec ueniret Cæsaream.

Angelus deposuit Philippum in proxima ciuitate Azoto, unde uenerat. Hinc profectus ubicunq; occurreret uicus aut oppidum, prædicabat Euangelium, donec ueniret Cæsaream Palæstinæ ubi habebat domicilium. Videmus ex his quantus fuerit fructus persecutionis in Ierusalẽ aduersus Euangelium ortæ; primum Samaria ab exule Philippo discit Christum, deinde Euangelium totam Aethiopiã inuadit per Eunuchum, postremo etiam in urbibus Palæstinæ Christus adnunciatur. Non ergo damna sunt aduersa & afflictiones, sed maximæ utilitates piorum & sanctæ ecclesiæ.

CAPVT IX.

Galat. 1.6

Aulus autẽ adhuc spirans minarum & cædis in discipulos domini, accessit ad principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: ut si quos inuenisset huius uiguiros ac mulieres, uinctos perduceret in Ierusalem.

Inter hæc Sauli sæuitia non sese continebat intra muros urbis Hierosolymitanæ, uerum ubi perspexit per dissipatos discipulos latius etiam spargi doctrinam Euangelicam, magis ac magis spirans, iam nõ minas tantum ac carceres, sed cædem & mortes aduersus illos, adiit summum pontificem, quo magis attereret eos, armatus autoritate, et petijt ab illo epistolas delegatorias, non solum in ciuitates uicinas, in quibus iam exercuerat sæuitiam suam, sed usq; ad Damascum procul ab Hierosolymis distitam, Phœnices ciuitatem, scriptas ad synagogas Iudæorum illic agentium, ut his ex autoritate summi pontificis optulantibus, quoscunq; deprehendisset huius damnatæ hæreseos, siue uiros siue mulieres, eos uinctos perduceret in Ierusalem. Hæc Saulus animo simplici moliebatur, iuxta domini dictum, arbitratus se gratum obsequium præstare deo. Et ideo non passus est illum innoxiorum sanguine pollui, sed è medio cursu factis & literis Pauli, quod ad obseruantiam legis attinet, iustissimum omnium Iudæorum fuisse, quando nullus alius tanta honestate in pharisaismo uixerit, & contrariam sectæ suæ religionem tanto zelo persecutus sit. Non contentus sed etiam persequitur in exteras nationes, ut deleat Euangelium, & sanctos trucidet, ut uelut publicum incendiũ extinguat. Videmus autem quàm idoneum sese præparauerit hac sua legali & pharisaica iustitia ad accipiendum ueram iustitiam,

stítiam, prorsus nihil: Christum enim iustítiam persequitur omnibus uiribus.

Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco: & subito circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audiuit uocem dicentem sibi: Saule Saule, quid me persequeris?

Quum iam penè confecto itinere non procul abesset à ciuitate Damasco, subito circumfulsit illum lux, inuaditq; illū Christus, multo atrocius quàm quiscūq; latro crudelis in itinere quenquam adoritur, ut ipsum ad fidem suam adducat Christus, longe uehementiore instantia quàm egerat cum Zachæo, Magdarena, Petro aut latrone. Quandoquidem peccatores magis idonei sunt ad suscipiendum Christum quàm sancti legis aut iustitiarū, qui sanctitate operum legis inflati sunt. Non quod legem obseruasse à deo præceptam bonum non sit, quæ nisi obseruetur graue infert supplicium, non mala sed bona existens in suo genere; sed ut discamus nullam humanam iustítiam esse præparationem ad Christum, qui nobis gratis conceditur absq; operum meritis, ut gratiam fidei nostræ non acceptam referamus industriæ nostræ uel uirtuti, sed meræ diuinæ gratiæ & misericordiæ per Iesum Christum. Vnde datus est nobis Paulus speculum diuinæ clementiæ in quo relucet misericordia dei, qua deus omnes peccatores in Christum credentes complectitur: prius tamen horribiliter concutit, terribiliter deijcit, & increpat uoce grauissimā: Saule Saule, quid me persequeris?

Qui dixit: Quis es domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare. 1. Cor. 15. b
2. Cor. 12. d

Saulus demiratus quisnam esset ille sublimis expostulator, tamq; potens, dubitans angelusne quispiam esset, an deus, timide respōdit: Quis es domine? Tum ille: Ego sum Iesus ille Nazarenus, quem tu mortuum credis, quandoquidem crucifixum à Iudæis, quum uiram & regnem in cœlis. Meos autē discipulos meumq; nomen persequens, me persequeris imprudens. Verum nihil agis: durum est enim tibi aduersum stimulum iactare calces. Non enim relictaris hominibus, sed deo, cuius uolūtati nemo potest resistere. Bis igitur peccas, & nihil profecturus, & tibi malum accersiturus. Qui enim Euangeliū persequitur, & huic credentes, potius seipsum persequitur, & sibimetipsi nocet: ut stimulum non lædit, sed seipsum qui contra stimulum calcitrat. Sic Pharaos, sic Sennacherib, sic Antiochus, sic Herodes, qui lacum quidem aperuerunt & effoderunt, sed in foueam inciderunt quam fecerant. Illi uero sic sunt à deo deiecti, ut interirent: electos autem deijcit, ut exaltet: ita perdit, ut eos saluet: ita mortificat, ut ipsos uiuificet: sic Paulum deijcit, ut maiori miraculo exaltet.

Et tremens ac stupens dixit: Domine, quid me uis facere? Et dominus ad eum: Surge, ac ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere.

Hac uoce audita Saulus tremēs ac stupefactus dixit: Domine, quid me uis facere? Hac uox erat simpliciter errantis, non per malitiam, sed per ignorantiam. Tales docuisse sat est. Sed expediebat deijci superbū ex legali iustítia, ac ferocem in alios: terreri spirantem minas & cædem, ut docilis fieret. Tum dominus ad illum: Surge, & ingredere ciuitatem, ibi doceberis quid tibi sit faciendum. Sic percutit dominus, ut sanet: sic deijcit, ut erigat: sic exoculat, ut illum net. Sæuus ille præcipitatus est, mitis & ad obtemperandum paratus, iussus est surgere.

B Viri autem illi qui comitabantur cum illo, stabant stupefacti, audientes quidem uocem, neminem autem uidentes.

Paulus cum coram rege Agrippa historiam suae conuersionis commemorat, ait: Cum omnes nos decidissemus in terram, audiui uocem loquentem ad me. Illi quidem serui erant, parati ad uoluntatem domini obedire. Verum si dominus iuxta carnem iubeat peccare, non est obediendum. Superioris domini ius semper est exceptum. Nullum pactum inferiori magistratui delatum tam efficax est, ut eximat ab obedientia debita superiori magistratui. Parati obedire Sauli suo domino uiri isti aduersus coelestem dominum, nunc semet iuuare non possunt. Et Saul ipse quem nunc suorum adiuuaret, qui ne seipsum quidem ad iuuare potest, sed eget seruorum suorum auxilio.

Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil uidebat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non uidens, & non manducauit neque bibit.

Comites Sauli in hoc itinere stabant attoniti, audientes quidem uocem Paulo loquentis, ceterum neminem uidentes. Saulus autem spiritu recuperato surrexit. Primus ad uirtutem gradus est erigi. Et ecce rursus aliud miraculum, quum oculos haberet apertos, nihil uidebat. Comites igitur manuducebant illum in ciuitatem Damascum. Nec statim admissus est ad donum spiritus sancti, quo praescriberetur exemplum posteris, non cuius statim imponenda esset manus, sed ieiunio precatione prius explorandos ac praeparandos catechumenos. Quemadmodum igitur apostoli decem dies federant Hierosolymis expectantes spiritum sanctum, ita Saulus Damasci commoratus est triduum, nihil uidens oculis corporis, sed interim illustrabantur oculi mentis, nihil comedit, sed interim coelesti doctrina saginabatur animus. De quo triduo ad Corinthios scribit: Noui hominem, inquit, in Christo ante annos quatuordecim, an in corpore nescio, an extra corpus nescio, deus nouit &c. raptum fuisse in paradisum, & audiuisse arcana uerba, quae fas non sit homini loqui. Ibidem enim tunc eum docuit Euangelium de Iesu Christo, quod postea praedicauit in summa concordia & aequalitate cum ceteris apostolis. De quo ausus est dicere: Etiamsi nos aut angelus e caelo praedicauerit uobis aliud Euangelium praeter id quod praedicaui uobis, anathema sit. Quale certe id est, satanicum nempe, operibus iustificari Missarum, ieiuniorum, peregrinationum, uotis & delectu ciborum & dierum.

Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in uisu dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego domine. Et dominus ad eum: Surge, & uade in uicum qui uocatur Rectus: & quaere in domo Iudae Saulum nomine, Tharsensem: ecce enim orat.

Erat Damasci iam discipulus, sic autem tum adhuc uocabantur, qui receperant doctrinam Euangelicam, nomine Ananias. Hunc delegerat dominus, per quem Paulum impleret spiritu sancto. Itaque compellat hunc in somnis per uisum, dicens: Anania. Ille contra, mox intelligens a deo se uocari, respondit: Ecce ego domine, uidelicet animum uere Christianum, et ad omnia iussa promptum indicans. Tum dominus: Surge, & abi in uicum qui uulgo dicitur Rectus &c. Is uero Ananias quis fuerit, Paulus alibi exponit dicens: Ananias quidam uir pius secundum legem, testimonio probatus omnium illic habitantium Iudaeorum. Multi enim in Damasco & in omnibus urbibus Syriae totius Iudaeae cum

eum suis habitabant familijs, sic inter Gentes dispersi, Quorum unus honoratior, Iudas nomine, uel, ut alijs placet, de familia tribus Iuda, Ananias dicitur prophético spiritu clarus, cui non hac tantum uice in somnis dominus loquutus est. Iubetur autem accedere uir sanctus ad Saulum iam conuersum, sed cæcum, & in extasim raptum aliquantisper, et resumpto animo & sensu orantem. Religiosus enim erat Saulus, & timens deum, zelator legis super coetaneos suos, ideo ad Euangelium conuersus, eodem zelo diuino pro agnita ueritate et Christo militauit, quo prius propugnauerat Iudaismū. Sic certe nostris quoq; diebus uidemus eos qui in religione sacritia uel papistica sine deuotione & reuerentia erant, contemptores rerum diuinarum, ac sine timore dei, hi quoq; in suscepto Euangelio sine profectu pietatis cernuntur ut plurimum. Quemadmodum & tunc religiose conuersantes, bonaq; fide domino complacuisse credentes, in obseruantia superstitionum diligentes, nunc agnita ueritate ardentius & syncerius zelo proficiunt.

Et uidit uirum Ananiam nomine, introeuntem & imponentem sibi manus ut uisum recipiat.

Eodem tempore quo Ananiam loquutus est in somnis dominus de Saulo, loquutus quoq; & per uisum est Saulo oranti de Anania, quem & per uisionem ingredi domum uidit, sibiq; manus imponere quo reciperet oculos. Ita dominus mutua uisione utrunque alteri præparauit, ut prius sint sibi inuicem notiam se uideant. Impositio autem hæc manuum non erat similis illi, quæ facta fuerat ab apostolis in Samaria baptizatis, sed ad curationem tantum oculorum; non enim erat apostolus hic Ananias. Verum id non asseuerandum, quum potuerit etiam dispensatione diuina hac manuum impositione accepisse spiritum sanctum.

Respondit autem Ananias: Domine, audiui à multis de uiro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem: & hanc habet potestatem à principibus sacerdotum, alligandi omnes qui inuocant nomē tuum.

Ananias ad Sauli nomen iam ob sæuitiam in Christianos celebre territus, respondit: Domine, ex multis audiui de uiro isto, quantis malis afflixerit sanctos tuos Hierosolymis; nec his contentus, nunc huc quoq; peruenit armatus pontificum summorum sæuis diplomatis, ut in uincula conijciat omnes qui inuocant nomen tuum. Rursus ad hæc dominus: Scio, lupum illum rapacem timeas, atqui nihil est quod metuas: ego enim lupum illum uerti in ouem mansuetissimam, proinde fac intrepidus adeas. Ego enim illum mihi uelut organum insigne delegi, ut uehat nomen meum apud gentes, apud reges, ac filios Israel. Quod hætenus fecit non malitia sed zelo patriæ legis fecit, & simpliciter errans iudicio, specimen præbuit qualis propugnator sit futurus Euangelij mei. Hætenus armatus pontificum bullis, minis, & uinculis pugnauit aduersus meos nominis professores, posthac armatus meo spiritu, & accinctus gladio sermonis Euangelici, longe fortius belligerabitur aduersus osos meos nominis, pro cuius gloria multa sæuiora perferet uolens q̄ modo parat uobis. Ideo sequitur.

Dixit autem ad eum dominus: Vade, quoniā uas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Israel: ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Discimus nō solum impios, sed et sanctos hoc morbo timoris laborare. Tan

ta uero clementię dominus est, ut non sinat suos hoc morbo perire, sed pharmaco conuolatur, & dicit: Multa sunt horę diei, alius nunc est quā erat nuper, repentine mutatus est ad mentem meliorem. Ab utero quidem matris mihi organum segregatus est, nunc primum uero reuelandus, ut portet nomē meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel. Nomen uero meum est, ut Iesus uocetur, & intelligatur esse sapientia, iustitia, sanctificatio, salus, & redemptio, uita, & omne bonum. Hoc est, minister erit Euāgelij apud Gentes & Iudeos, coram priuatis hominibus & regibus. Sic enim infra coram Agrippa exponitur, ut refert Christum dixisse: Ad hoc apparui tibi, ut constituā te ministrum ac testem eorum quę uidisti, & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus, in quas nunc te mitto &c.

Et abiit Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in uia qua ueniebas: ut uideas, & implearis spiritu sancto.

Potuit quidem Christus sine alicuius ministerio Saulum conuertisse facillime, uisum restituere in paradiso raptum, & implere donis spiritus sancti, ac simul baptizare, sed maluit ad hęc uti officio & opera ministeriali prophetę Ananias, ne quis externum ministerium contemnat quod dominus ordinauit, dū per apostolos prędicat, miracula facit, baptizat, & demones fugat. Sic usq; hodie & semper in ecclesia Christus exerit uirtutem suam, & agit in omnibus omnia, sed ministerio sanctorum; imò nonnunquam & non raro malorum, ne sibi quicquam arrogent ministri, qui pręter uerbi ministerium nihil possunt, et administrationem rerum sacramentaliū, quibus dominus sua assistit iuxta promissionem & institutionem suam infinita potentia, qui solus animarum magister & dominus est, cui soli acceptum referatur quicquid in animabus pascendis agitur uirtute occulta. Abiit quidem Ananias obediens uerbo domini, introiuit, manus imposuit, loquutus est ex uerbo domini, uisionem autem nō reddidit alia uirtus quā diuina, & ipsius dei gratia & clementia: quin & spiritu sancto Saulum impleuit, non Ananias, sed Christus per uerbum ab Anania administratum. Sic per ministros suos dominus agit sua in omnibus, ideoq; non sunt sancti dei homines contemnendi, sed nec ultra mensuram donationis exaltandi. Quid enim habēt quod nō accipiunt, tam in esse quā in opere? Non est ergo aliquatenus negligendum ministerium uerbi, et officium apostolicum minime contemnendum. Viderint tamen apostoli & prędicatores, ne Iude potius assimilentur, & Simoni, quā Petro & Paulo.

Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamę, & uisum recepit: & surgēs baptizatus est. Et cum accepisset cibū, confortatus est.

Vix hęc uerba dixerat Ananias, deo obediens, & ilico uirtute Christi ceciderunt ab oculis illius ceu squamę quędam, ut uisum reciperet. Moxq; surgēs baptizatus est. Deinde sumpto cibo post triduanum ieiuniū corroboratus est. Sic eximius ille dux Euangelicus, & aliorum quorundam apostolorum gloriā, ut sic dicatur, obscuraturus, per humilem discipulum ante spiritum sanctum accepit quā baptismum. Nihil autem non ordine geritur, quod geritur iussu domini Iesu, quem Paulus habuerat Catechistam. Sic enim tradiderat potestatem apostolis, ut nihilo secius sibi seruaret negotij totius summę autoritatē.

Fuit autē cum discipulis qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuo

tinuo ingressus est synagogas, prædicabat Iesum quoniam hic est filius dei.

Saulus repente factus alius, uersatus est dies aliquot cum discipulis, qui erant Damasci. Nec mora, præuaricator statim fit mandatorum pontificis, eodem statim in loco prostrare cœpit ad munus à Christo delegatum. Et ingressus synagogas Iudæorum palàm ac libere prædicabat, asseuerans Iesum Nazarenum esse filium dei, per quem unum salus omnibus offertur iuxta prophetarum uaticinia. Si alia quædam Paulus in paradiso didicisset, alia quoque prædicasset. Sed hoc erat maximum eorum, quæ ad salutem consequendam nobis necessaria scitu erant: duo illa, Iesum Nazarenum uerum esse Messiam, patriarchis promissum, & à prophetis prædicatum: & quod Messias iste sit uerus dei filius. Unde & Iudæi dupliciter impie sentiunt de utroque, negant uenisse Messiam, negant filium dei, Dauidis filium adhuc quidem sperant, sed regnaturum more regum terrestrium, ut ipsi liberentur ab externis suis hostibus, & omnibus alijs nationibus ipsi dominantur, & feliciter imperent mundo, rependantque nationibus grauamina quibus tanto iam tempore sunt sua culpa oppressi.

Stupebant autem omnes qui eum audiebant, & dicebant: Nónne D hic est qui expugnabat in Ierusalem eos qui inuocabant nomen istud: & huc ad hoc uenit ut uinctos illos duceret ad principes sacerdotum?

Varie Iudæi afficiebantur ad nouum illud miraculum Pauli conuersi ad Christum. Qui pii erant uix audebant credere hæc narrantibus, & suspicabantur re dolo agi, unde & fugiunt eum; pars uero eorum qui rei ueritatem agnoscebant, glorificabant in Paulo deum; pars autem eorum qui magis nouas res curabant quam religionem uel Iudaicam uel Christianam, attoniti mirantur quid sibi uelit hæc subita mutatio. Gaudebant iam ante Iudæi, Sauli sæuitiam rumore cognoscentes, quod talem haberent Mosaicæ legis propugnatorem: quum uero audirent & uiderent tanto studio prædicantem nomen Iesu Nazareni, mirantur quid homini accidisset, dicentes: Nónne hic est ille Saulus, qui nuper modis omnibus oppugnabat Hierosolymis eos qui inuocant nomen hoc, cuius nunc præconem & buccinatorem agit, ac modo huc hoc animo profectus est, ut si quos hic deprehenderet uinctos adduceret ad summos pontifices, illorum arbitrio plectendos? Quid factum est, ut tam subito Iudæum exuerit, & à Mose deficiens, professor factus sit crucifixi?

Saulus autem multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damasci affirmans quoniam hic est Christus.

Saulus fuerat hætenus officio cõtra Dauidem, quia Dauidis filium, quem omnibus fuerat modis crudelissime persecutus. Sed ex eo opere iam Christi domini prædicator effectus, & magnorum operum patrator, digne cœpit à fidelibus Paulus uocari. Adeo autem nihil est territus istiusmodi uocibus, ut in dies maiore collecto spiritus robore confunderet ac perturbaret Iudæos habitantes Damasci, constanter asseuerans, ac scripturarum testimonijs docens, Iesum Nazarenum quem ante per ignorantiam persecutus esset, nunc prædicaret esse uerum Messiam orbi promissum, nec alium exoriturum unde speranda sit Iudæorum liberatio. Id inuisum maxime Iudæis, qui eum coram Pilato negauerant, & non nisi sæculariter gloriosum & diuitem optabant, crucifixum agnoscere morte illis erat acerbius.

Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Iu-

2. Cor. 11. 2

dæi, ut eum interficerent. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem & portas die ac nocte, ut eum interficerent.

Id quæ Paulus dies complures ausus esset Damasci, magno gaudio discipulorum, magno fremitu eorum qui nondum crediderant, tandem Iudæi consiliū inierunt, ut illum per insidias occiderent. O nationem homicidam. Paulus disputabat, docebat, & Iudæos legis ipsorum testimonijs ueluti suo iugulabat gladio. Illi nihil habebant præter coniurata cõcilia, carceres, flagra, & mortes. Verum promiserat hoc dominus suis, ne pilum quidem de capite illorum periturum, nisi permissu patris. Nondum uenerat tempus ut interiret eximius ille bellator Euangelicus, multa erant illi pro Christi populo depugnanda prælia, frequenter periclitandum in acie, multæ regiones ac ciuitates sacra doctrina subactæ sub iugum Christi uocandæ. Proinde uolente deo significatum est Paulo, quod Iudæi struerent illi insidias, adeo ut & noctu & interdium asseruerent portas, ne qua posset elabi, quin interficerent eum. Ad hoc facinus abutebantur opera præfecti regis Aretæ, ut si parum profecissent insidiæ clanculariæ, palàm tamen ac uí occideretur.

Accipientes autem eum discipuli eius nocte, per murum demiserunt eum, submittentes in sporta.

Discipuli nolentes interire & perire sibi tam fortem propugnatorem, quanto minus ipse sibi metuebat, tanto digniorem existimabant qui seruaretur. Itaque occultarunt eum, ac noctu sportæ impositum per funem demiserunt eum è moribus. Sic nonnūquam fugiunt & strenui duces, ut, iuxta prouerbium, iterum pugnare ualeant. Et o mire uersas in diuersum rerum uices. Latitat ac fugitat qui paulò ante minabundus persequebatur: & Pauli uitæ consulunt, quibus ante eadem machinabatur. Patitur quidem infirmitates iustus etiam post magnitudines reuelationum sine culpa. Sed longe uerisimilius est hanc fugam non ex timore proprio, sed fratrum tentatam, ut dictū est. Habebat Paulus uerbum domini, quod portaturus esset nomen Christi, non solū coram filijs Israel, sed et coram Gentibus & regibus. Ex quorū uerborū Christi fide intellexit sibi fugendam præsentem mortem, ut non tam pauidus dicendus sit quàm cautus fuisse. Nec infidelis timiditas, sed fidelis prudentia est, iustis conatibus te seruare ministerio ad quod à deo destinatus es. Quod autem discipuli se periculo exponunt capitis propter Paulum, satis perspicue indicant quæ sit uera Christianæ charitatis ratio.

E Cum autem uenisset in Ierusalem, tentabat se iungere discipulis: & omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum, duxit ad apostolos: & narrauit illis quomodo in uia uidisset dominum, & quod loquutus est ei: & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu.

Paulus cum uenisset Hierosolymã, ac sese tentaret adiungere discipulis, quibus uetus ille Saulus nimium notus erat, Paulus nondum innotuerat, metuebant omnes uelut oues lupum, non credentes illi quod esset discipulus, nimirum memores quanta saeuitia solitus sit persequi gregem Christi. Suspectas igitur habebant insidias sub discipuli titulo latitantes. Barnabas autem leuites, de quo memoratum antea, cui cognitum erat quod erat gestum in Paulo, adducit illum ad apostolos, quibus rem omnem exposuit, quomodo proficiscenti Damascum apparuisset dominus, & quomodo illi loquutus sit, & quomodo repente uersus in alium uirum,

uirum, fortiter ac libere prædicasset Euangelium in nomine dñi Iesu. Gratulati sunt apostoli, suoq; testimonio Paulum gregi commendarunt, quia fortiter egisset, exponendo quidem se periculo, sed illud prudenter cauens, ut non simul secum quoq; in periculum conijceret aduersarios.

Et erat cum illis intrans & exiens in Ierusalem, fiducialiter agens in nomine domini. Loquebatur quoq; gentibus: et disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum.

Hierosolymæ conuersatus est aliquot diebus, consuetudinē habens cū apostolis ac discipulis, & illic libere proficens, ac prædicās nomen dñi, quod per errorem fuerat persequutus, idq; nō solū apud Hierosolymitas, nihil ueritus apostate conuictum, quod à pontificibus descuiisset, uerumetiā Gentibus quæ Hierosolymæ tum ob celebritatem urbis agebant, & in Arabia quoq; ad quā ibat, ac Iudæis apud Græcos natis & conuersantibus prædicabat ubiq; Christum, dī sputans cum illis, & ex ipsis legis testimonijs docens Iesum esse seruatorē mundi. Illi uero non tulerunt hanc libertatem, & aduersus disputatorem inuictum confugerunt ad solitum præsidium, quærentes uiam qua Paulum interficerēt.

Quod cum cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tharsum.

Summam discimus in Paulo fuisse charitatē in proximū, summā quoq; pietatem ac obedientiā erga deum. Quæ eīm maior potest esse charitas q̄ quod Paulus non solū maximo uitæ suæ discrimine petat ut in Ierusalē & Iudæa maneat quo Iudæis salutē suā prædicatione impartiat, uerūetiā cupiat esse anathema à Christo, tantū ut Iudæi à salute Christi nō excludantur? Summa quoq; notatur obedientia, q̄ quos & uitā & salute sua chariores habebat eos ad uocationē & mandatū dei relinquit, & ad Gentes à deo alienos proficiscit ad deū conuertendos suo periculo. Nec otiosum est quod deducitur à fratribus Ierusalē, quando declarant ipsi quoq; studiū & amorē suū ad Paulū, quē non aliter custodiunt & seruāt q̄ ut suū patrē, uel gemmā aliquā pretiosissimam. Sic eīm diuino sit ordine, ut si tu ardentē proximū in Christo amaueris, te quoq; cōtra multo summo amore in Christo prosequantur. Deduxerūt autē eū Cæsareā Philippi, quæ ciuitas est Phœnicis, atq; hinc rursus emisērūt Tharsum in Ciliciā, ubi natus erat.

Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore domini, & consolatione sancti spiritus replebatur.

Error Pauli profectus est Euangelij: interea mitiore facta tempestate persecutionis quæ fuerat orta, congregatio discipulorū sparsa per totam Iudæam, Galilæam, & Samariam, in quibus regionibus potissimum docuerat dominus, et in quibus primum iusserat prædicari sermonem Euangelicum, satis tranquille agebat, mutua concordia se confirmans, & neglectis hominum minis, atque indies augescēs ædificabatur, uersans cum timore domini, & inter afflictiones malorum spiritus sancti consolatione replebatur. Hoc nimirum erat quod illis promiserat dominus: In mundo afflictionem habebitis, in me uero pacem & solatium. Qui nolentibus uolentibus persecutoribus impijs, quandocunq; sibi uisum fuerit, ecclesiæ suæ pacem potest reddere & tranquillitatem. Sic in omnibus pijs uicaria est successio hyemis & æstatis, ut quo grauioribus premantur afflictionibus, eo gratiores consolationes sperare debeant. Aedificabantur autem ecclesiæ, non lapidea templa, quum uix palam loqui auderent discipuli, sed

per prædicationem Euangelij credentes ubiq; confirmabantur, & consolationem in aduersis sentiebant, & qui fuerant increduli, per prædicationem ad fidem Christi conuertuntur, & discipuli auditores in timore domini conuersantur. Aedificant parentes ecclesiam, si bene liberos instituant, & paterfamilias suam familiam doctrina & exemplis, Paulo dicente, Dei sumus cooperarij, dei agriculatio, dei ædificatio estis.

F Factum est autem, ut Petrus dum transiret uniuersos, deueniret ad sanctos qui habitabant Lyddæ.

Accidit ut dum Petrus apostolus strenuus pastor ecclesie sibi commissæ à Christo, peragraret regiones omnes, nunc hos nunc illos accederet. Apostolorum enim erat hinc inde regiones pagrare, doctores & episcopos instituere. Doctorem autem & episcoporum erat, in sua ciuitate in qua instituti erant manere, donec spiritus euocaret dñi, ut & ipsi prædicandi Euangelij gratia circuiret. Sic Petrus pro munere sui apostolatus proficiscitur per ecclesias prædicans Euangelium Christi, & miraculis prædicationem confirmans. Sic ergo factum est, ut deueniret ad sanctos qui habitabant Lyddæ. Ea est urbs in Palaestina, non procul à Ioppe ciuitate littorali. Sancti uero hic dicuntur non authoritate Romana canonizati, & ad uenerationem electi post mortem, sed qui in Christum credentes sanctificantur, & exercent se in operibus uirtutum, fide in eis existente non uana.

Inuenit autem ibi hominem quendam, nomine Aeneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Aenea, sanet te dominus Iesus Christus: surge, & sterne tibi. Et continuo surrexit. Et uiderunt eum omnes qui habitabant Lyddæ, & Saronæ: qui conuersi sunt ad dominum.

Petrus memor præcepti dominici, quo iusserat ut in quamcunq; domum ingressi fuissent, sanarent ægros: non enim conuenit illis esse morbos corporum ubi adsunt medici animorum, ait illi: Aenea, sanet te dñs Iesus Christus &c. Non sentiendum est, omnes paralyticos in nomine Christi corporaliter sanari, aut non esse pios, qui non in nomine Christi corporaliter sanant uel sanantur. Unus & alter infirmus oraculo per apostolos sanatur in nomine Christi, ut potentia Euangelij de Christo manifestetur, & reliquorum infirmorum fiducia erigatur, omnium autem fides confirmetur. Vbi ergo uiderunt presentes uirtute nominis Iesu subito sanum esse, qui tot annis decubuerat, quotquot habitabant Lyddæ & Saronæ, id est oppidum in littore Lyddæ uicinum, conuersi sunt & ipsi ad dominum, ac professi sunt nomen domini Iesu. Ita salus corporis uni reddita, multos pellexit ad salutem animorum.

In Ioppe autem fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis & eleemosynis quas faciebat.

Post Aeneam sanatum Lyddæ nunc in Ioppe mortuam mulierem uitæ restituit, non ut Petri gloria nominis reddatur nobilis, sed ut nomen glorificetur domini Iesu, de quo prædicabat, quod quisquis crediderit in ipsum, habeat remissionem peccatorum, & uitam æternam. Erat hæc mulier plena omni genere bonorum operum, tum præcipue charitatis officijs, quibus subleuabat egentes. Discipula erat Euangelio credens, ex qua fide operabatur sancta, quæ deo placere sciebat, bonis ex fructibus bonam arborem declarando, non hypocriticis operibus, sed quæ à domino sunt præcepta, & proximo utilia. Vnde & in exemplum

plum hæc Dorcas captanda est fidelibus, ut non nuda fide glorientur, quæ uera non est si fuerit otiosa.

Factum est autē in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum G lauissent, posuerunt eam in cœnaculo.

Cur non precibus impetrauit sancta mulier, ut aut infirmitate non comprehenderetur, aut infirmata nō moreretur, sed sanitatem reciperet, non dubium quin Christum infirmata inuocauerit, sed quia sancta erat, ideo orabat pro uoluntate diuina, dicens: Fiat uoluntas tua, libera nos à malo. Exaudiuit ergo eum deus, non pro carnis expectatione, sed pro spiritus sapientia, ut ab ægritudine ad mortem, de morte rediens ad uitam, exauditionem suam manifestius & clarius demonstraret, fieretq; ipsa specimen admirabilis auxilij. Lauant autē eam ex charitate more Iudaico, ungentes eam. Alibi enim mortui lauantur, alibi ungentur, alibi terra obruuntur, alibi cremantur. Nec hi diuersi mores quicquam mortuis conferunt uel auferunt, tantum declarant studia uiuentium, & regionum consuetudines secundum tempora quoq; mutatas. Deinde reponunt eam in cœnaculum, fortassis ut paulò post efferant sepeliendam.

Cum autem prope esset Lydda ab Ioppe, discipuli audientes quod Petrus esset in ea, miserunt duos uiros ad eum, rogantes: Ne pigriteris uenire usq; ad nos.

Oportune nunciatur Petrus Lyddę in proximo agere, unde ex magna spe de reuiuiscencia Dorcadis sepulturam differunt, & missis nuncijs obtestantur, ut ueniens consoletur afflictos. Petrus impigre ueniens inducitur ad cœnaculum, commendatur ei charitas defunctæ foeminae, ostensis tunicis ad usum paruum ab ipsa paratis, fletibusq; affectū testantur, & Petrum rogant, ut in tam pia muliere declaret potentiam Iesu Christi. Qui si mortuam tantis beneficijs prosequuti sunt, quantis officijs uiuentem coluerūt? Sic enim prouidentia dei sit, ut qui deo obediat, & proximo iuxta uerbū dei benefaciat, ubiq; & semper inueniat qui pro ipso solliciti sint, et omnia bona ei cupiant. Non est igitur ut curres post mortem obsequia, uiuis benefaciendo deo obsequere, & proximo succurre egenti dum potes.

Exurgens autem Petrus, uenit cum illis, Et cum aduenisset, duxerūt illum in cœnaculum; & circumsteterunt illum omnes uiduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & uestes, quas faciebat illis Dorcas.

Petrum circumsteterunt omnes uiduæ, quarū commendatio præcipua tum erat necessitatibus sanctorū inseruire. Addebāt quoq; lachrymas, quas nō tam fundebāt defunctæ quàm egenis, quos illa suis officijs solita est refocillare. Iam hoc ipsum erat orare fuisse lachrymas. Non cōmemorāt beneficia mortuę uerbis & cōmendationibus, sed factis, tunicas ostendūt, aliasq; uestes, quas tegendis sanctis parauerat Dorcas. Benefaciendi studium mors interruperat.

Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit: & conuersus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos: & uiso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam.

Hic Petrus memor exempli Iesu, quum filiam archisynagogæ suscitaret, prius eiecta turba flentiū, iussit omnes exire foras: nam uiduæ tantum flebant. Fletus autem obstat precationi. Simul ne sexus infirmus commoueretur exurgente cadauere, noluit quempiam adesse, sed solus flexis genibus orabat. Non enim semper adest uigor spiritus, per quem æduntur miracula. Fuis precibus

& concepto spiritus robore conuersus est ad corpus, & ait: *Tabitha, surge.* Preter ea quæ Erasmus annotauit, dici potest, Petrum usum uerbis Christi, qui dixit ad puellam, *Talitha kumi*, ut facilis fuerit mutatio l. in b. Ad hanc autem uocem illa uelut expergefata, uidit Petrum, & eo cōspecto resedit. Petrus uero porrecta illi manu erexit eam, iam uiuam & alacrem. Sic ad pietatem erigendi sunt imbecilles. Orandus primum deus, ut illorum misereatur, deinde doctrina, increpatione, exhortatione compellandi sunt sedulo & fideliter, postremo porrecta manu ad perfectiora subleuandi.

Et cum uocasset sanctos & uiduas, assignauit eam uiuam. Notum autem factum est per uniuersam Ioppen: & crediderunt multi in domino.

Quum Petrus reuocasset in cœnaculum, quos exire iusserat sanctos & uiduas, qui & ipsi orantes expectabāt misericordiam domini, exhibuit mulierem uiuam. Ea res uulgata est per uniuersam ciuitatem Ioppen, ac multos pertraxit ad confessionem nominis Iesu. Nam hic est præcipuus miraculorum fructus. Neque enim alioqui magni refert inter tot milia uicissim nascentium ac morientium unum aut alterum in uitam reuocare, paulò post iterum moriturum.

Factum est autem ut dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium.

Hac occasione factum est, ut Petrus complures dies cōmoratus fuerit Ioppe. Vbi enim libentius agat piscator hominū quàm ubi magnus numerus confluit ad sagemam? Diuersabatur interea Petrus apostolorum princeps, tantisq; miraculis clarus & pollens, apud opificem quendam coriarium, nomine Simonem, Exemplum nostris magnis prælatis & sanctulis.

CAPVT X.

A Ir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, centurio cohortis quæ dicitur Italica, religiosus & timens deum cum omni domo sua, faciens elemosynas multas plebi, et deprecans deum semper.

Nondum apostolorum quisquam ad gentes diuerterat, sed per occasionem attractus est Aethiops Eunuchus: quibusdam tamen Ethnicis profuit apostolis fuisse uicinos. Siquidē in Cæsarea florētissima Palæstinae ciuitate, quæ prius dicta est Turris Stratonis, uir erat quidam nomine Cornelius, Centurio de cohorte quæ dicitur Italica. Nam cum tota Syria in qua passim habitabant Iudæi, in potestatem Romani imperatoris bello redacta esset, disponebantur præsidia militum in uarijs Iudææ locis, ut huiusmodi obseruatione Iudæi in officio & obedientia continerentur, & si quid seditionis oriretur, armis illorum opprimerentur. Varias autem appellationes habebant cohortes, alia uocabatur Augusta, alia Italica, alia alio nomine. Italicae uero cohortis Centurio fuit Cornelius. Sed quum sit alioqui nulla fides pietasq; uiris qui castra sequuntur, hic tamen Centurio maximæ pietatis fuisse prædicatur. Quanquam enim esset ex professione maiorum Ethnicus, ex officio militaris, tamen uelut ambiens Christianifamilia. Fit enim ferè, ut patremfamilias imitetur reliqua domus. Duabus rebus potissimum declarabat animum Christianismo dignum, multa munificentiâ subleuans egestatem plebeiorum, & assidua deprecatione ad dominum. Deum uerum agnoscebat; hoc didicerat apud Iudæos uersans. Sciebat huius fauorem

uorem potissimum conciliari beneficijs in pauperes erogandis, & assiduitate precandi. Supererat ut habenti daretur. Quam prorsus dissimilis fuit hic Centurio nostratibus militibus & ciuibus: &c.

Is uidit in uisu manifeste, quasi hora diei nona, angelum dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Corneli. At ille intuens eum timore correptus, dixit: Quis es domine?

Impijs nostris militibus & ciuibus apparet satan, & efficitur præceptor eorum, cui et obsequuntur sponte. Cornelio autem apparet angelus erudiens eum, quid facere debeat. Nō est hæc uisio noctu facta uel in somnis, sed interdium Cornelio uigilante & orante sub cœnæ tempus; per uisum enim manifeste uidit angelum dei uenientem ad se, & nomine compellantem quasi probe notum, Corneli. Cornelius autem intuitus angelum, & ex ignoræ formæ maiestate metu correptus, dixit: Quis es domine?

Dixit autem illi: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu dei. Et nunc mitte uiros in Ioppen, & accerse Simonem quendam qui cognominatur Petrus: hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere.

Non, inquit, perierunt tuæ preces & eleemosynæ, quas ex fide in deū quem times crebro agis, quibus ex deuotione uera instinctu diuini spiritus, à quo omne bonum, sollicitasti diuinam misericordiā. Quod enim in pauperes refocillandos collocasti, hoc deus sibi patitur imputari, & illorum nomine, qui gratiam referre non possunt, ipse rependet præmium. Nequanquam igitur apud immemorem collocasti tua beneficia, fecisti quod ille uoluit, quod iubet fides et charitas, quod communis sensus non improbus dicitur agendum, quod suggerit spiritus diuinus, ille uicissim tibi quoque faciet quod assiduus precibus flagitasti. Exaudiuit deus tuas preces, quoniam aures tuæ non fuerunt surdæ pauperibus. Nunc igitur hoc est agendum absque contatione, ut quod superest perficiat in te deus suam munificentiam. Mitte uiros aliquos in ciuitatem Ioppen, ac per eos accerse Simonem quendam, apud mundum non ualde nobilem, apud deum pietate clarum, cui cognomen Petrus. Hic diuersatur apud Simonem quendam Ioppensem, arte coriarium, cuius domus est uicina mari. Ex hoc Petro disces, quid tibi sit faciendum, ut saluus fias. Iam ante à Iudæis institutus creditur de unius dei fide, & cæteris decalogi mandatis, sed & de fiducia fidelium perpetua, & expectatione gentium omnium de futuro Messia, & filio dei incarnando: qua spe & expectatione electi non caruerunt, quamuis multis mundum satan & in hoc articulo erroribus inuoluerit. Vnde enim alioqui tot deorum genealogiæ: tot filij deorum: nisi quia ab exordio mundi fuit expectatus aliquando dei filius incarnandus: quod non tantum Iudæis per prophetas, sed & Gentilibus Sibillis est annūciatum multipliciter, unde & Iacob dicebat, Et ipse erit expectatio gentium. Vt non sit anxia disputatio obeunda, quomodo sine fide in Christū Centurio deo placuerit. Quos enim deus in omnibus gentibus elegit, hos & sanctificauit, & per gratiam & spiritum iustificauit fide spe & charitate, quibus digne deus colitur apud omnes nationes.

Et cum discessisset angelus qui loquebatur illi, uocauit duos domesticos suos, & militē metuentē dominū ex his qui illi parebāt. Quibus

cum narrasset omnia, misit illos in Ioppen.

Euanescente angelo statim mittit Cornelius duos e suis domesticis, simulque militem ex his qui sibi adhærebant spectate pietatis & fidei. Neque enim tota tantum domus imitatrix erat religionis Cornelianæ, uerumetiam inter milites erant, qui ducis religionem imitarentur, qui unum deum crederent, & uenerarentur, qui per dei gratiam iustificari cuperent & sperarent, qui stipendijs suis contenti essent, qui publicæ pacis studiosi essent, qui neminem concuterent, sed genti & terræ tranquillitatem procurarent pro omni uirili, qui impiorum Iudæorum inuidiam, sanguinolentiam, rebellionem, superstitionem odissent. Fides uera simplex est, minime curiosa: habens enim uerbum dei, & sentiens intra conscientiam, non ambit admirabiles reuelationes, sed contenta est ministerio & organo humano diuinitus ostenso: non respicit personas, sed uerbum: propter doctorum uilitatem non contemnit uerbum dei: simpliciter uero fidei & operibus obsequium deo præstat, fide, inquam, uerborum dei, non hominum. Non enim fidei est credere omnium dictis, sed quæ uerbo dei claro probari possunt: non hominum opinionibus, sed solidæ scripturæ, quæ dicit, panem esse corpus Christi in cœna dominica, & uinum sanguinem. Corpus autem Christi præsentialiter adesse panem uel in pane corporaliter, ueraciter humana substantia, etiamsi id non naturaliter fiat, sed miraculose: id ubi scripturis sacris credendum probauerint hi qui nos Sacramentarios hoc in loco uocant, non solum credemus, sed gratias agemus docentibus. Interim credemus & confitemur doctissimo, cui nemo Scholasticorum quoque unquam ausus fuit contradicere, Corpus Christi humanum, & nunc immortale, finitum, sicut & Christi anima non manducari ab anima posse, nisi fide, non esse præsens cœnæ dominicæ nisi sacramentaliter, uirtute, gratia, consolatione spiritus, & ut cibus animæ fidelis ad uitam æternam, non minore fructu quam tum nobis profuit cum in cruce pendens moreretur corpus, & sanguis testamenti effunderetur in remissionem peccatorum. Pro his gratias agentes, & saluandos nos credentes & iustificatos, legitime Christi sacramenta colimus & tractamus. Non uenit in carnem Christifacere, Præsentia tali in cœna fidelibus præsens est Christus, qualis prodesse potest. Nolumus aliter solem nobis præsentem esse quam ut est in cœlo corporaliter, nobiscum autem usu & opera, salute & uita. Spero nihil horum etiam apud doctum & pium Brentium negari, quantumlibet nos Sacramentariorum titulo insignire credatur, qui de sacramentis iuxta scripturas loquimur & scribimus, & contra conscientiam nil docemus, nec fratres traducimus, sed ad charitatem augendam propensi sumus. Utinam non magis hominibus credatur in hisce dogmatibus quam uerbo dei, nos simplicitati studemus, curiosi non sumus, nec scripturis sacris increduli. Sed docere non possumus, quod uel probare scripturis uel ratione consequi non ualeamus, nec persuadere fidelibus.

Postera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret, circa horam sextam.

Hæc quæ prædicta sunt, facta sunt uesperis. Postero uero die profecti sunt legati Cornelij. Appropinquantibus autem ciuitati ascenderat Petrus in superiora domus, ut oraret circa horam sextam. Iterum oraturus fugit frequentiam, petit secretum, ut commodius fides & affectus pius sese ualeat explicare. Non nos

nos existimemus satis orasse, si publicæ orationi intersumus, sed sentiamus in ecclesia orationem hanc tantum doceri, ut postea eam priuatim & domi exerceamus. Quanquam & in publico orari possit, si mens sibi à distractionibus caueat, & clausis oculis corde sursum agatur: ad quod non prodest picturarum uanitas, & sacrilegium idolorum, quibus oratoria multorum hodie exornantur, ut habeant sensus lenocinia sua, quo minus penes se maneat cui personarum multitudo & uariis ornatus cum spectaculis ad uanitatem non sufficit.

Et cum esuriret, uoluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: & uidit cœlum apertum, & descendens uas quoddam uelut linteum magnū, quatuor inijs submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & serpentina terræ, & uolatilia cœli.

Quum Petrus ad sextam horam inter precādum esuriret, uoluit sumere cibum post longam inedia. Atq; interim dum paratur iussu Petri cibus, raptus est spiritu. Datur hoc potissimum orantibus & ieiunis. Saturis enim & oscitantibus non referantur arcana dei. Vidit autem cœlum apertum, atque inde uas quoddam ueluti linteum magnum, quatuor inijs alligatum, e cœlo demitti in terram. Nam in linteis olim apponebantur cibi. In uase erat omne genus quadrupedum & serpentium, quæ uiuunt in terra, ac uolatilium, quæ uiuunt in aère, immunda mundis admixta. Nimirum hic erat cibus Iudæis abominandus, sed quem Iesus esuriebat, quum discipulis adferētib; cibum diceret: Ego cibum habeo comedendum quem uos nescitis. Hæc, inquam, uisio altera erat, nō Cornelio ut prior, sed Petro ostensa, qua indicatur, gentes absq; professione totius Mosaicæ legis recipiendas esse. Quandoquidem apostoli quoq; ab initio sentiebant, quod gentes quidem impiæ & idololatræ ad Christum quidem & ad peccatorum remissionem per Christum recipiendæ essent, sed si prius circumcissione sanctificarentur, et legis munditia purificarentur. Tunc enim posse eos participes esse bonorum Christi & uitæ æternæ. Sed qui ante Christū iustitiam & sanctitatem per legem & opera habet, quid is opus habet Christo? Ut ergo monstraretur gentes absq; professione legalium recipiendas esse ad communionem Euangelij, primo reuelat hoc deus uisionibus, deinde scripturis. Esuriebat Petrus non solum corporaliter, sed & desyderabat salutem non solum Iudæorum, uerumetiam Gentium, omnium optabat felicitatem, id etiam precibus quotidie ambiebat. Inter orandum autē incidit in mentis excessum, in quo ostenditur quid agendum. Videt cœlum apertum descendensq; uas quoddam plenum animalibus mundis & immundis, prohibitis lege ab esu & concessis, significantibus Gentes multas impias & credentes.

Et facta est uox ad eum: Surge Petre: occide & manduca. Ait autem Petrus: Absit domine: quia nunquam manducaui omne commune & immundum.

Admirante Petro quid sibi uellet hoc spectaculum, insonuit uox quæ diceret illi: Surge macra & uescere. Quanquā autem dominus admonuerat suos, ut Euangelium impartirent omnibus Gentibus, tamē quo facerent id cum maiori fiducia, denuo monitus est uisione. Petrus itaq; tanquam Iudæus, adhuc abhorrens à cibis lege uetitis, ait: Absit domine, ut e cibis talibus uescar. Nam hæcenus mihi seruata est religiose maiorum lex: nec enim hæcenus comedi quicquid prophanum est aut impurum. Quod uero de ratione ciborum immundo rum sentiebat, hoc etiam sentiebat de recipiendis gentibus in religionē & com

munionem Euangelij, nisi prius abnegata gentilitate circumciderentur, & Mo-
sen quo ad ceremonialia etiam profiterentur, quando opinabantur Iudaei solos
se & circumcisos esse populum dei. Nesciebat adhuc Petrus cibos prohibitos
tantum ad tempus ob pedagogiam, donec Christus reuelaretur, nec necessariam
circumcisionem, nisi Abrahæ secundum carnem filijs, & his qui uelint in re-
publica Israelitica uersari. Cæterum posse & incircumcisas Gentes esse dei po-
pulum, si in deum crediderint: cuius rei exempla sunt plurima.

Et uox iterum secundo ad eum: Quod deus purificauit, tu comune ne
dixeris. Hoc factum est per ter. Et statim receptum est uas in coelum.

Eadem uox quæ prius sonuerat loquuta est: Quod deus purificauit, tu ho-
mo ne dixeris impurum. Hoc de cibis immundis dictum de Gentibus est intel-
ligendum: nam & de cibis Paulus dicit: Deus creauit cibos ad sumendum cum
gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem, quod quicquid
creauit deus bonum sit, & nihil reijciendum si cum gratiarum actione sumatur.
Sanctificatur enim per sermonem dei ac prædicationem. Gentes uero sanctifi-
cantur per fidem, sicut & Abraham, qui pater est fidei omnibus gentibus. Que
propriis quoque ciuiles leges habent secundum tempora & nationes, quas ut non
reijcit Christianismus, modo sint æquæ & iustæ, ita fidem requirit ex qua sola
iustificatur. Quo autem certior esset uisio, tertio idem uisum est & dictum, rur-
sum receptum est uas in coelum. Non repletur autem coelum his bestijs, nisi
prius purificatis. Quid autem aliud sunt peccatores quam animalia immunda:
purificantur autem ad coeleste tabernaculum transferenda per fidem in Iesum
Christum, ut fiant sancta.

Et dum intra se hæsitaret Petrus quidnam esset uisio quam uidisset,
ecce, uiri qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, asti-
terunt ad ianuam.

Dominus deus sinem uisionis Petri ad aduentum & præsentiam legatorum
Cornelij sic connectendo dispensat, ut uideatur altera manu Petro uisionem o-
stendisse, altera legatos ad domum Simonis duxisse. Omnia enim à domino re-
ctissimo ordine administrantur, quamlibet non raro præpostere & confuse geri
multa uideantur. Hic legati Cornelij mandata diligenter exequentur, stantes
ad ianuam Petri.

Et cum uocassent, interrogabant si Simon qui cognominatur Pe-
trus, illic haberet hospitium.

Stabant honesti & prudentes uiri, nimirum Ethnici, ad ostium Simonis Co-
rarij, nolentes irrumpere alienam domum subito, sed euocato quopiam famu-
lis, rogabant si illic diuersaretur aliquis Simon, cognomento Petrus. Nolebant
Iudæis habitantibus molesti esse, qui se existimabant congressu & familiaritate
Gentium contaminari. Disciplina quoque non est contemnenda, si quando exem-
plariter docetur in sacris, quamlibet humilis, quando & Christus dominus ali-
cubi docet, quomodo accumbendum prudenter ad cœnam, & Salomon huius
modi multa non dedignatus est tradere & Ecclesiasticus.

Petro autem cogitante de uisione, dixit spiritus ei: Ecce uiri tres quærunt
te. Surge itaque & descende, & uade cum eis, nihil dubitans: quia ego misi illos.

Priusque id esset Petro nunciatum, esse qui quærerent ipsum, sed tantum apud
se reputaret quid sibi uellet uisio, dixit illi spiritus: uarijs enim modis deus lo-
quitur sanctis: Ecce tres uiri ad ianuam stantes te quærunt. Surge itaque, & de-
scende,

scende, ac uade cum illis nihil hesitans: nam à me missi sunt, & intelliges quid tibi uelit uisio de qua miraris. Si hic Petrus fuisset curiosus, & parum resignatus deo, remurmurans respondisset: Ego uisionis interpretationem requiro, tu me uero mittis ad Ethnicos: num sunt tibi chariores quam tui apostoli, ut umbras apostolis nobis ostēdas, Ethnicis autem ueritatem? Nihil huiusmodi loquitur, sed ad uiros descendens alloquitur eos.

Descendens autem Petrus ad uiros, dixit: Ecce, ego sum quem quaeritis: quæ causa est propter quam uenistis?

Non iactat Petrus uisionem suam, sed exigit à gentibus confessionem. Nec enim Euangelij gratia debet obtrudi fastidientibus, nec auidis negari. Sicut Petrus de intelligentia uisionis sollicitus, priusq̃ illam assequeretur, iussus est à spiritu ut Ethnicos accederet, cum illis profecturus: ita si nos obsequamur manifestis dei præceptis re ipsa tandem omnium diuinorum mysteriorū cognitionem assequemur, & consiliorum dei. Videntur hic multa scriptoris Euangelici uerba & sententiæ, quæ potuissent, ut uideretur, paucissimis explicari potuisse. Porro spiritus sanctus author scripturæ sacræ non delectatur multiloquio non necessario uel inutili. Cū ergo in describenda hac historia de Cornelio loquax sit, apparet eam rem maxime seriam & necessariam tractare, quam operæpretium sit probe cognitam habere.

Qui dixerunt: Cornelius, centurio, uir iustus & timens deum, & testimonium habens ab uniuersa gente Iudeorum, responsum accepit ab angelo sancto accersire te in domum suam, & audire uerba abs te.

Describit Petrum exisse ad illos, ac aduētus causa explorata, hospitio eos recepisse. Cornelius, inquit, officio centurio, sed tamen uir integris moribus, ac metuens deum, spectatus ac probatus, non tantum apud suos, uerum etiam testimonio totius Iudaicæ gentis, monitus est oraculo sancti angeli, qui illi apparuit, ut te accerseret domum suam, & audiret te præscribentem quid esset faciendum, ut salutem assequatur. Ex quibus uerbis clare liquet, fideles fuisse pariterq̃ unius dei cultores hos tres bonos uiros. Siquidem laudi ducunt timere deum, placere melioribus, & unius dei cultoribus, quā ipsi Ethnici essent. Angelos autem loqui Ethnicis, satis probabat Petro, non esse discrimen deo in personis, neminem immundum, etiam in præputio, quē dominus emundasset, angelos habere suos & curatores etiam gentiles, & integra regna, ut & ex Daniele poterant didicisse Iudæi, nisi inuidia prohibuisset.

Introducens ergo eos recepit hospitio. Sequenti autem die surgens, profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum. Altera autem die introiuit Cæsaream.

Apparet Petrum iam primum uisionem intellexisse, & nunc incipere Gentium assumptionem: alioqui enim sicut antea Petrus abominatus fuerat cibos immundos, ita neq̃ Gentes hospitio recepisset, nimirum ne illorum conuictu uiolaret seniorum traditionem, & à Gentibus contaminaretur. Erat quoq̃ uespera. Hoc erat auspitium commertij Iudæorum cum Gentibus ad Euangelij consortium ultrò ingerentibus sese. Cæterum apostolorum hac in re contatio proficiebat in hoc, quo non temere sed planè iussu dei factum agnosceretur, quod Gentes ad Euangelij gratiam admitterentur. Inuitat Cornelius, sed angelii monitu. Descendit & occurrit Petrus, sed uisione monitus. Hinc auuiditas Euangelicæ gratiæ communicandæ, hinc alacritas & promptitudo sitientis salu-

tem omnium gentium. Petrus itaque postridie profectus est Caesaream, comitantibus aliquot Christianis ex ciuitate Ioppe, qui testes eorum essent quae gererentur: siquidem praesagebat illis animus nescio quid laetae rei futurum.

Cornelius uero expectabat illos, conuocatis cognatis suis & necessarijs amicis. Et factum est, cum introisset Petrus, obuius uenit ei Cornelius: & procidens ad pedes eius adorauit eum.

Cornelius interim auidus salutis expectabat reditum suorum cum Petro, conuocatis & cognatis suis & amicis praecipuis, quo simul & factum hoc plures haberet testes, & beneficium ad plures diffunderetur. Iam uero quum Centurionis domum accederet Petrus, Cornelius exhilaratus honoris gratia obuiam processit, ac procumbens ad pedes eius, adorauit eum, nescio quid maius homine sentiens de illo. Sic oportet Christum uenerari in ministris ipsius, sed ita ut ne dei gloria homini tribuatur. Qua autem re inuitatus est Cornelius, ut tanta ueneratione exciperet Petrum Iudaeum, piscatorem, proscriptum a Iudaeis. Non alia quam quod uerbis angeli fidem adhibuit, intelligens Petrum ministerio suo non solum principes huius saeculi, sed etiam angelos superare, uerbaque eius non tam humana esse quam diuina, non corporalia nunciaturum, sed aeterna. Proinde reuerentius eum excipit quam antea angelum: adorat autem non Ethnicorum more idola pro dijs adorantium, sed ut digniorem omnibus saeculi principibus dei summi ministrum.

Petrus uero eleuauit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum. Et loquens cum illo, intrauit, & inuenit multos qui conuenerant: dixitque ad illos:

Petrus exemplum praebens quam oporteat Christi dispensatores abesse ab omni ambitione, quamque nihil sibi uendicare laudis ob haec quae Christi uirtute et nomine gerunt, non passus est Centurionem prostratum humi adorare, multo minus pedes porrexisset deosculandos. Proh pudor in pontifice, & ignorantiam stultam, ne dicam Satanicam superbiam. Sed amplexus erexit illum, dicens: Surge, homo cum homine loqueris. Istuc honoris deo tribue, cuius ego nihil aliud sum quam minister. Iamque familiariter confabulantes, simul ingressi sunt. Vbi uentum est ad interiora domus, Petrus reperit illic multos congregatos. Iam hinc copiosioris fructus spes ostensa est auaro pastori. Vbi confedisset igitur, sic orsus est:

Vos scitis quomodo abominatum sit uiro Iudaeo coniungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit deus, neminem communem aut immundum dicere hominem: propter quod sine dubitatione ueni accesseritis. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me?

Euangelicus orator Petrus, statim simul & comitum suorum occurrens offensam, & Centurionis familiae fiduciam confirmans: Vos, inquit, scitis non esse fas homini Iudaeo adiungere sese in domesticam consuetudinem, aut etiam adire re alienigenas diuersae religionis & incircumcisos. Ego uero quanquam Iudaeus sum, non ueritus sum id facere, haudquaquam contempta gentis meae religione & consuetudine, sed dei sequutus auctoritatem, qui mihi per uisionem ostendit, non oportere quenquam hominem, cuiuscumque nationis sit, impurum aut abominandum ducere, quem deus non habeat pro impuro. Ille enim solus sanctificat omnia. Itaque dei iussu fretus, incontanter huc adueni per uos accesseritis.

situs. Vestrum igitur erit exponere, quam ob causam accersueritis me. Omnibus loquitur Petrus, ut omnes lucrifaciat, intelligens illos in hoc conuenisse, ut simul audirent sermonem Euangelicum. Vt scitè pastorè agit Petrus? Non impartit mysterium Euangelicæ doctrinæ nisi professis auiditatem discendi. Non erat per se malum, nec à deo prohibitum familiaritatem civilem habere cum Ethnicis, tamen quia conuictus Iudæorum cum Ethnicis multorum malorum occasio erat, statuerunt seniores, ut Iudæi Gentium familiaritatem fugerent, eratq; hoc statutum publica disciplina inter Iudæos, ne si familiarius cum Gentibus conuersarentur, impietatem, idololatriam, & turpes Gentium mores & colloquia impia imitarentur. Iam tunc autem Iudæi non uitabant Gentes easdem ob res, sed quia existimabant se populum sanctum, Gentes prorsus à deo abiectas, deumq; tantum esse Iudæorum deum, non item Gentium. Proinde metuebant, ne simplici ac civili societate à Gentibus sordidarentur. Quia superstitione tenebatur adhuc Petrus, adeò ut sentiret familiaritatē Gentium ita fugiendam esse, ut nec Euangelium ipsis prædicandum sit, nisi prius circumcissione purificentur. Sed quia hanc superstitionem correxit in eo oraculum diuinum, ideo nunc factum suum excusans, indicat se non temeritate quadam maiorum uiolare disciplinam, sed admonitione dei ostendentis nullum hominem communem aut immundum dicendum esse. Atq; hac excusatione subindicat consuetudines quidem bonas obseruandas esse, quatenus sunt disciplina: quod si esse desierint, & in superstitionem degenerare cœperint, tum uel citra peccatum uiolari possunt. Vnde & esus carniū ante pascha, & ante dominicam, disciplina olim existens, nunc uero superstitio facta, merito contemnitur. Interim tamen notandum, quod si quis sentit se uel piscibus, uel uino, aut speciebus sumptis ineptum fieri ad orationes & spiritalia sacra exercitia, huic consultum est, ut à talibus absteat: id quoq; de fabis & lentibus sentiendum, æque ut de carnibus, quæ temperate sumptæ modestiam & temperantiam habent magis quàm uenter distentus fabis, rapis, & caulibus, ut hætenus boni quoque monachi solebant, quum non tam quantum edas quàm quid expendendum sit Christianis omnibus.

Et Cornelius ait: Die ab hinc quarto, usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce uir stetit ante me in ueste candida, & ait: Corneli, exaudita est oratio tua, & elemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu dei.

Antea simpliciter admodum exceperat Petrum, nunc simpliciter & modestissime narrat ei causam uocationis, & gratias agit quod aduenerit, tacite interim excusans quod uocauerit eum, ac non potius ipse accesserit eundem. Dicit enim se ab oraculo admonitum esse, ut mittat legatos ad Ioppen, & accersat ipsum: alioqui enim se nō tam inciuilem, nec tam ignauū fuisse, quin ad ipsum profecturus fuerat. Ieiunium autē fatetur egisse & diuturnū ex affectu religionis, quo afficiebatur.

Mitte ergo in Ioppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare. Confestim ergo misi ad te, & tu bene fecisti ueniendo.

Quis fuerit tantus affectus qui permouerit ad tantopere ieiunandum, non quidem exprimitur uerbis, sed ex re gesta perspicitur. Nam cum angelus ei ap

paret, & iubet uocari Petrum, ut uerba dei audiat ab ipso, ut tandem intelligeret quæ religionum certior esset uel probatior deo, quãdo tunc alia erat religio Gentium, alia Iudæorum, alia inter Iudæos Phariseorum, alia Sadducæorum, alia Essenorum, alia nuper exorta Christi discipulorum, quarum unaquæque ueritatem & felicitatem pollicebatur. Sitientissimus igitur ueritatis Cornelius, ueram inquirat rationem religionis, non humana prudentia, sed spiritualibus precibus, idque consequutus est, ut angelum dominus illi miserit pariter & apostolum.

Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia que cunctis tibi præcepta sunt à domino.

Ego, inquit, nihil moratus, misi ad te meos, non ausurus facere, nisi ab angelo iussus. Et tuæ pietati gratiam habeo, qui non sis grauatus huc uenire. Nunc igitur omnes hic adsumus simplici ac sincero animo, cuius deum testem facimus, cupientes audire quæcunctis tibi sunt præcepta à domino, ut nobis exponeres. Id enim angelus mihi pollicitus est, qui præbuit hæc fiduciam, nec dubitamus quin id facturus sis, quando tu quoque diuino iussu non dedignatus es nos colloquio. Audiamus igitur et nos Petri contionem, ex qua discemus eam religionem ueram esse, quæ sentit Iesum esse Christum, & per illum solum remitti peccata credentibus.

Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In ueritate comperio, quia non est personarum acceptor deus; sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi.

Petrus cognita sinceritate illorum, & timorem dei aduertens, audiensque angelum domini id negotij inchoasse de domini uoluntate, uirumque Cornelium uere piuum & dei fidelem, aperuit os suum, ut loqueretur sacra ueneranda & diuina uerba: coepitque loqui in hunc modum: Re ipsa comperio quod apud deum non est respectus personarum, sed in quauis gente, quisquis timet ipsum & amplectitur iustitiam, hic acceptus est illi, posteaque uideo uos alienos à nostra lege, tamen uerum ac unicum deum nobiscum colere, sacris precibus quotidianas illi immolare uictimas, & subleuandis pauperibus illius fauorem ambire. Face re enim iustitiam plerumque in scripturis aliud non est quam largiri elemosynas, succurrere egentibus, adiuuare oppressos, uindicare pupillos & uiduas, alteri deferre quod nobis optamus fieri. Hæc est iustitia quam deus probat, & exigit ab omni gente, quamlibet fera & barbara. Ea qui caret, nihil habere potest unde de domino commendetur.

F Verbum misit deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum: hic est omnium dominus. Vos scitis quod factum est uerbum per uniuersam Iudæam, incipiens enim à Galilæa post baptismum quod prædicauit Ioannes: Iesum à Nazareth quomodo unxit eum deus spiritu sancto & uirtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam deus erat cum illo.

Hæc est omnium prima contio quæ post reuelationem Christi ad Gentes incircumcisas de fide in Iesum Christum habita est. In qua cum Petrus fidem in Christum doceat, eo ipso alias omnes omnium gentium religiones condemnat. Initio autem comprehendit Petrus paucissimis totius Christianæ religionis summam, cum ait: Quamquam deus olim pollicitus per ora prophetarum se missurum Messiam, hoc est Christum, nunc tandem præstitit quod promiserat, significans filijs Israel non iam per prophetam, sed per unicum filium suum Iesum Christum, offerens illis per

Deut. 10. d
2. Paral. 19. c
Iob 34. b
Sapient. 6. b
Eccli 35. b
Roma. 2. b
Gala. 2. b
Ephes. 6. b
Coloss. 3. d
1. Pet. 2. c

per fidem & obedientiã erga eum quem misit, abolitionem peccatorum, & reconciliationẽ erga ipsum; tamen quoniã idem est omniũ deus, non solũ Israeliticę gentis, uult hanc gratiã omnibus esse salutiferã, omnibus inquam quicũq; credunt Euangelio. Nec dubito quin huius rei fama per uniuersam Iudæã diuulgata, permanarit ad uos quoq;. De Iesu qui peragrauit omnes Iudæę regiones, hortans omnes ad pœnitentiã, testificãs adesse iam regnum dei. Auspicatus est autẽ potissimum Euangelij prædicationẽ à Galilæa, posteaq; baptizatus esset à Ioanne, qui præcursor eius fuit, ac palàm testimoniũ de illo perhibuit, quod Iesus Nazarenus esset agnus dei qui tolleret peccata mundi, quodq; deus Messia suum unxisset spiritu sancto, quem columbæ specie uelut e cœlis descendentem & manentem in illius uertice uiderat, quodq; is esset solus, qui baptizaturus esset omnes credentes, non aqua quemadmodũ ipse baptizabat, sed uirtute cœlesti. Hanc enim dominus Iesus ipsi factis declarauit, obambulans per omnes Iudæorum regiones opitulans omnibus, non solum docendo philosophiã Euangelicam per quã sanantur animi, uerũetiam sanandis ægrotis, eijciendis dæmonibus, mundandis leprosis, excitandis mortibus, deniq; subleuandis omnibus quos diabolus tenebat oppressos. Hic enim ut solus erat immunis ab omni peccato, ita solus potuit diaboli tyrannidem, qui regnum habet in eos qui peccato sunt obnoxij, frangere. Deus enim erat in Christo homine, uirtutem suam exrens, cui nulla potestas satanæ potest resistere.

Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à deo, nobis qui manducauimus & bibimus cũ illo postquam resurrexit à mortuis.

Hæc omnia quum sint uulgata per uniuersam Iudæam, non dubito quin uobis etiã audita sint et credita. Cæterum quo certior uobis sit harum rerum fides, nos qui cum illo quũ adhuc mortalis inter mortales uiueret, perpetuam ac domesticam consuetudinem egimus, testes sumus omnium quæ gessit in omnibus regionibus Iudæorum, atque etiã Hierosolymis. Quem summi pontifices scribæ & pharisæi, consentientibus primoribus & populo occiderunt, suffixum in crucem, pro tot beneficijs pessimam gratiam referentes. Sed deus cuius permisso hæc omnia facta sunt ad salutem humani generis, tertio ab obitu die reuocauit illum in uitam, ac donauit immortalitate. Ad confirmandam huius rei fidem, exhibuit semetipsum uiuum audiendum, conspiciendum, manibus contrectandum, non toti populo, quemadmodum fecerat ante mortem, sed certis testibus, quos ante deus in hoc selegerat, uidelicet nobis, quibus frequenter apparuit, posteaquam resurrexit à mortuis, quadraginta dies uersans in terris, quicq; comedimus ac bibimus cum illo comedente & bibente, ne qua dubitatio animis nostris hæere posset de ueritate corporis suscitati.

Et præcepit nobis prædicare populo & testificari quia ipse est qui constitutus est à deo iudex uiuorum & mortuorum.

Priusquam autem ascenderet in cœlum, præcepit nobis ad hoc munus selectis, ut palàm omnibus prædicaremus, testificantes quod ipse sit unus quem deus euexit in summam potestatem, ut in fine mundi sit iudex omnium uiuorum & mortuorum.

Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

Interim offertur omnibus certum ac facile remedium. Etenim quod nos de illo, idē de eodem magno consensu iam olim testificati sunt omnes prophetæ, quod hic unus sit & solus, per cuius nomen danda sit remissio omnium peccatorum, non solum Iudæis, uerumetiam omnibus per uniuersum orbem nationibus, non per opera, quibus fidunt Iudæi, sed per fidem, qua creditur Euangelio, & per Euangelium Christo. Hæc est summa totius prædicationis Euangelicæ, hæc est basis Christianæ religionis, uidelicet quod remissio peccatorum contingat credenti in Christum, non propter ulla opera hominum uel carnalem quamcunq; iustitiam, sed propter Iesum Christum per fidem.

Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant uerbum.

Nondum finierat hunc sermonem Petrus, ecce spiritus sanctus signo uisibili delapsus è cælo uenit super omnes, qui audiebant & credebant uerbis apostoli. Donis em̄ spiritus sancti multis & uarijs donati sunt omnes subito, sicut apostoli in die pentecostes, apparentibus dissectis linguis ueluti igneis, & sedentibus super singulos.

Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui uenerant cum Petro, quia & in nationes gratia spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes deum.

Ea res obstupescit Iudæos ad Euangelicam fidem conuersos, qui è ciuitate Ioppe cum Petro aduenerant comites, ut testes essent eorum quæ gererentur, admirantes quod in Gentes quoq; qui circumcisi non erant, effusa esset gratia spiritus sancti. Existimabant enim q̄ ad solos Israelitas pertineret promissio prophetarum, quum prophetæ nominatim prædixerint, dei spiritum effundendum in omnes, quicumq; inuocarent nomen domini. Signum autem quod oculis uidebant, res ipsa cōsequuta est: cœperunt enim omnibus audientibus loqui uarijs linguis, laudibus ferentes benignitatem dei. Hoc signum tam euidentem datum est circumcisis qui aderant, ne posthac dubitarent etiam incircumcisos uocare ad Christum: datum est & Cornelij familiaribus, ne quid dubitaret se per crepente deo, Catechumenis primum datur baptismus, deinde per impositionem manuum spiritus sanctus: hic absq; manuum impositione prius datus est spiritus sanctus, ne dubitaret apostolus quod leuius erat addere, posteaquam deus id quod maius est ultrò largitus esset. Vnde discamus iustificationem uerā nullo præiudicio bonorum operum merito, sed per fidem Christi donari. Agnoscamus quoq; clementiam dei, qui credentes in Christum ita fauore suo complectitur, ut reputet eos iustos, sanctificetq; donis spiritus sancti, perpetuamq; salutem cōferat.

Tunc respondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui spiritum sanctum acceperunt sicut & nos?

Tum Petrus uelut ex consensu Iudæorum facturum quod destinarat, ait cōmittibus suis: Num quis prohibere potest, quo minus aqua baptizentur hi, licet incircumcisi, qui iam spiritum sanctum receperunt, quemadmodum & nos? Baptismus enim ex institutione Christi interprete Paulo est lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti, & emundationis à peccatis, per quod deus uos saluos facit credentes. Gentes autem iam ante per fidem regeneratas, & per spiritum

spiritum sanctum renouatas esse, manifeste comprobatur donum spiritus sancti mirabiliter in ipsas illapsum. Proinde nullo iure poterant à baptismo excludi. Qui enim iam possidet potiorem & præstantiorē partem sacramenti, cur à participatione uilioris partis excluderetur?

Et iussit eos baptizari in nomine domini Iesu Christi.

Assentientibus illis iussit eos baptizari in nomine Iesu Christi. Nō quidem necesse habebant iam baptizari, ut regenerarentur spiritu sancto, necessarium tamen erat ordinationi dei parere, qui præceperat apostolis, ut baptizarēt omnes gentes, & omnes credentes baptismo subiecerat, dicens: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, quando & baptismus symbolum est populi dei, & quo uarijs afflictionibus tentati in fide Christi regenerantis confirmantur. Vide autem mirum Gentium ardorem in Euangelium de Iesu Christo.

Tunc rogauerunt eum, ut maneret apud eos aliquot diebus.

Quum his rebus feliciter peractis Petrus adornaret redire Ioppen, rogauerunt eum, ut apud ipsos diebus aliquot commoraretur, cupientes plenius edoceri de præceptis Euangelicis. Obtemperauit Petrus sed rogatus. Nouerat enim Iudæos uix laturos domesticam consuetudinē actam cum incircūcisis. Quamquam autem magno fidei spiritu donatus quispiam sit, tamen propter uarias tentationes quæ subinde oriuntur, necessarium est externum Euangelij ministerium, ut huius irrigatione fides conseruetur, & tentationes suffocentur.

CAPVT XI.

AUdierunt autē apostoli & fratres qui erant in Iudæa, quoniam **A** & gentes receperunt uerbum dei. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersus illum qui erant ex circuncisione, dicentes: Quare introisti ad uiros præputium habentes, & manducasti cum illis?

Huius facti rumor permanuit ad ceteros apostolos, qui manserant Hierosolymis, & ad fratres qui erant in Iudæa, quod Gentes quoque recepissent sermonem dei. Id enim eo minus latere potuit, uel quod Centurio ipsa muneris dignitate nobilis erat, uel quod multi simul baptizati sunt, uel quod Iudæis testibus id factum esset (nam Eunuchus solus sine teste baptizatus est in uia, ueluti suffragatus Euangelij gratiam à Iudæis) uel quod in ciuitate celebri Palæstinæ. Petrus autem nō ignarus futurum, ut res hæc diuulgaretur, nec defuturos Iudæos qui factum reprehenderent, cauit omnibus modis, ne iure posset reprehendi. Deo quoque huius animo subseruiente, in quo ne quid hereret scrupuli, uisio ter exhibita est. Rursus per spiritum discit adesse legationem à Cornelio. Eam non statim admittit in ædes, ne Iudæus uideretur affectasse commercium cum Ethnicis, sed pro foribus compellat, & adhibitis testibus rogat, cur uenissent. Iudæis qui aderant hoc sciscitatur potius quam sibi. Deinde ubi cognouit utrinque respondere uisiones, non proficiscitur illo nisi adiunctis sibi Iudæis aliquot probatæ fidei, quibus testibus & quorum cōsensu res gereretur, quo post ex testibus fierent aduersus obmurmurantes patroni. Rursum ubi uentū est ad ædes Cornelij, non statim ingressus est uelut auidus colloquij, sed misit qui denunciarēt ad esse Petrum, ut per occurrentē Cornelium induceretur, non ignarus quanto studio fuerat excipiendus. Procidit ad pedes, adorauit Petrum. Hæc Iudæis qui aderant arguebāt admirandā animi promptitudinē. Rursus iisdem præsentibus ro-

gat, quā ob rē esset accersitus, ut plus haberet fidei apud Iudæos comites narratio ex ore Cornelij audita. Postremo spiritus sanctus ultrò missus est, nõdū effusa precatone, nec impositis manibus, nec dato baptismo. Ac ne sic quidē baptizauit illos, nisi compellatis qui aderant circumcisis, ac testificatus, non esse integrum illis negare baptismum, quibus deus impartisset spiritum sanctum. Hæc nimirum erat Petri illa pastoris Euangelica prudētia. Nouerat ingenium Iudæorum quā sibi placebant ob recisam pelliculam, quā auersarentur incircumcisos. Proinde nihil non facit quo uitaret offendiculum. Cupiebat Gentes uenire in Euangelij consortium; cæterum absque dispendio gentis Iudaicæ si fieri posset. Itaque cum accidisset, ut Petrus rediret Hierosolyam, quo iam rumor de baptizato Cornelio præcesserat, disceptabant aduersus illum hi qui ex circumcissione fuerant amplexi doctrinam Euangelicam, dicentes: Cur ingressus es ædes incircumcisorum præter instituta maiorum, nec hoc contentus, etiam mensam habuisti cum illis communem, qui tibi uescuntur lege Moysis uetitis?

Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordinem, dicens: Ego eram in ciuitate loppe orans, & uidi in excessu mentis meæ uisionem, descendens uas quoddam uelut linteum magnum, quatuor inijs summitti de cælo, & uenit usque ad me. In quod intuens, consyderabam & uidi quadrupedia terræ & bestias & reptilia & uolatilia cæli.

Hic non decebat Petrum esse mutum, sed ab initio repetens ordine rem omnem, ut habebat, exposuit, dicens: Equidem non ausim uiolare legem à maioribus traditam, sed eius authoritatem sequutus sum qui maior est lege. Ego eram in ciuitate loppe ieiunus, ac precatoni uacans, ne quis inane somnium fuisse suspicetur. Quumq̄ stimulante fame iussissem apparare cibum, interim rapus sum, & in extasi uidi uisionem huiusmodi. Vas quoddam instar magni linte, à quatuor angulis alligatum è cælo demittebatur, ac ueniebat usque ad me. In quod cum intendissem oculis famelicus, consyderabam quid esset cibi. Atq̄ ibi uidi quadrupedum uaria genera, tum noxias bestias, præterea uolatilium ac reptilium diuersas species, à quarum esu lex iubet nos abstinere.

Audiui autem & uocem dicentem mihi: Surge Petre, occide & manduca. Dixi autem: Nequaquam domine: quia commune aut immundum nunquā introiuit in os meum. Respondit autem uox secundo de cælo: Quæ deus mundauit, tu ne commune dixeris. Hoc autem factum est per ter: & recepta sunt omnia rursus in cælum.

Hæc contemplanti uox etiam insonuit, contantem ad edendum exhortās, quæ diceret mihi, Surge Petre, macta ac uescere. Cui tum respōdi: Absit domine: nam hætenus nihil impurum aut immundum ingressum est in os meum. Hic uox iterum audita, ita respondit: Quæ deus purificauit, tu homo cum sis, ne dixeris communia. Ea uisio ter exhibita est ad confirmationem animi Petri, ut contra conscientiam assuetæ legis auderet uerbo domini per reuelationem audito credere, idq̄ sequi & prædicare ecclesiæ contra legem, ut uidebatur. De inde recepta sunt in cælū omnia illa, quæ mihi uidebantur abominanda. Hanc uisionem commemorat Petrus coram fratribus, ut probet diuinitus sibi ostensum esse, Gentes non esse reputandas immundas, si in Christum credant, etiā si non

non circūcidantur. Si autem non sunt immundæ, quid uetat cum illis congregari? quid prohibet quo minus pro filijs dei per Christum agnoscantur?

Et ecce uiri tres confestim astiterūt in domo in qua eram, missi à Cæsarea ad me. Dixit autem spiritus mihi ut irem cum illis, nihil hæsitans.

Venerunt autē mecū & sex fratres isti: & ingressi sumus in domū uiri.

Uisioni subiūgit mandatum spiritus. Ecce, inquit, reuersus ad me, dū meo cum animo uersarē, quid sibi uellet hæc uisio toties exhibita, me statim submouet spiritus, adesse pro foribus domus in qua diuersabar, tres uiros è Cæsarea missos ad me. Iussit autem idem spiritus, ut irem cum illis nihil hæsitās. Obtemperauit uisioni, & iussis spiritus sancti, profectus sum Cæsaream, non solus, sed comitantibus hisce sex fratribus, ut essent testes omnī quæ gereretur uolūtate dei. Quid em̄ facerem? an non obedirē mandato spiritus? potiorē me iudicārē traditionē maiorū nostrorū, quæ uetat congressum cum Ethnicis, quæ præceptum spiritus, qui mandabat, ut cum Gentibus congregarer? Certe deo obediēdum magis est quā hominibus.

Narrauit autem nobis quomodo uidisset angelū in domo sua, stantem & dicentem sibi: Mitte in loppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi uerba in quibus saluus eris tu, & uersa domus tua. Cum autem cœpissē loqui, cecidit spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio.

Post mandatum spiritus recēset Petrus apparitionem angeli, qui apparuit Cornelio, iubens ut ad ipsum se uocet. Is, inquit, omnibus audientibus narrauit Cornelius, quomodo paucis ante diebus quum ieiunans & orans esset domi suæ, uidisset angelum clara luce astantem sibi ueste præfulgida, dicentē ipsi: Corneli, mitte è tuis loppen, qui accersant tuo nomine Simonem, cognomento Petrum, is loquetur tibi, per quæ salutem assequaris, & tu & tota domus tua. Ego uidens hinc & hinc consentire uisiones, tum animaduertens illorum synceram audiatem, exorsus sum illis exponere, quæ dominus Iesus per nos uoluit prædicari. Nondum finieram sermonem, & ecce spiritus sanctus delapsus est è coelis in illos, quemadmodum delapsus est in nos: et cœperunt loqui uarijs linguis, quemadmodum nos tum loquebamur. Quia uero angelus prædixerat Cornelium à Petro auditurum illud per quod seruetur & ipse & familia eius, aliud nihil intelligimus quā Euangelium de Iesu Christo. Non enim mandauerat angelus apostolis, ut Mosen prædicarent, sed ut Euangelion annunciarent omni creaturæ, ut qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus fiat: qui uero non crediderit, condemnetur.

Recordatus sum autē uerbi domini sicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto. Si ergo eandem gratiā dedit illis deus, sicut & nobis qui credidimus in dominum Iesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere deum?

Hoc signum Centurioni & suis factum de spiritu sancto illapso, palam arguebat illorum fidem approbari deo. Iamquæ res ipsa me docuit, quid sibi uellet uisionis ænigma, quod uideram. Hæc nimirum erant illa quadrupedia, reptilia & uolatilia, quæ nos circumcisi abominamur, sed deus per fidem purificare decreuit, nec uult quicquam à nobis haberi pro immundo, quod per fidem Euangelicam sanctificatum est. Simulquæ recordatus sum uerbi, quod dominus nobis

Supra 1. a

Math. 3. c

Marc. 1. b

Luce 3. c

Ioan. 1. d

Infra 19. d

dixit ascensurus in cœlum: Ioannes quidem baptizabat aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto. Et nos quidem tingimus corpus aqua, sed aqua non confert salutem, nisi fides impetret à deo baptismum igneum. Quum igitur res ipsa loqueretur, illos iam baptizatos esse eo baptismo quem promiserat dominus Iesus, quum eandem gratiam esse collatam incircumcisis per fidem, quam nos accepimus, non ob merita legis obseruatam, sed ob credulitatem, qua confisi sumus domino Iesu, ego quis eram qui possem uetare dominum? An iam à domino spiritu baptizatis negare debui baptismum aquæ, quæ nihil aliud est quam signum gratiæ diuinitus conferendæ? Atq; iam gratia præcesserat citra nostram operam: itaq; negare baptismum aquæ quid aliud fuisset quam improbare quod fecisset deus? Atq; hæc est apologia Petri plena efficacissimis argumentis, quibus probauit ex re gesta per deum iustum fuisse ut gentes etiã absq; circumcisione reciperentur ad communionem Euangelij, plena item mansuetudine ac modestia.

His auditis tacuerunt: & glorificauerunt deum, dicentes: Ergo & gentibus poenitentiam dedit deus ad uitam.

Recte per Salomonem dictum est, Mollis respõsio frangit iram. Quia enim Petrus factum suum ita argumentis defendit, ut interim non obliuiscatur committatis & modestiæ, non solum frangit morositatem eorũ qui aduersus ipsum disceptabant, sed efficit etiã, ut glorificent deum, & diuinam clementiã commendent, dicentes: Igitur ipsa res docet quod deus non Israelitis tantum, sed et Gentibus concessit poenitentiam, ut uitam assequantur æternam. Atq; has quidem Euangelij primitias ex Gentibus Petrus adiunxit ecclesiæ. Nam antehac nullus id ausus est præter unum Philippum, idq; angelo monitore.

Et illi quidem qui dispersi fuerat à tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt usq; Phœnicen & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes uerbum, nisi solis Iudæis.

Iam illi quos persecutionis tempestas à Stephani morte orta disperferat, peragrarunt uicos & urbes usq; ad Phœnicen, & huic oppositam insulam Cyprum, præterea Antiochiam, quæ Phœnicen à Cilicia dirimit, apud omnes prædicantes sermonem Euangelicum ab apostolis acceptum, nemini tamen ausi prædicare nisi solis Iudæicæ gentis, non id quidem inuidentiã, sed religione, putantes esse nephas sanctum dare canibus, quod dominus uetuerat fieri. Et uix est res ulla quæ nobis tum sententijs tum exemplis in scripturis frequentius inculcatur quam nullam calamitatem tam magnam posse populo dei accidere, quæ non sit causa alicuius maioris boni, quod dominus per calamitatem perficit. Tali autem nos sumus ingenio præditi, ut quàm primũ oritur afflictio, mox animum despondeamus, & eam sinistro oculo aspiciamus timentes exitium. Videamus potius hic Euangelium una ciuitate eiectum, à maximis regionibus excipi.

Erant autem quidam ex eis uiri Cyprij & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annunciantes dominum Iesum. Et erat manus domini cum eis: multusq; numerus credentium conuersus est ad dominum.

Obserua ab initio tunc uarias fuisse opiniones inter eos qui Euangelium annunciant. Aliqui tantum Iudæis prædicandum Christum censebant, circumcisis scilicet, & legem agnoscentibus & prophetas, qui Christum promiserant.

serant. Alij Cyprij & Cyrenenses, etiam Græcis & circumcisis prædicandum Christum affirmabant. Hæc dissensio parui ab initio momēti fuit habita, quando tam inter Iudæos quàm Gentes magnus numerus diuina prouidētia & gratia ad dominum conuertebatur, sed postea exardescētibz studijs, & quibusdam præfracte docentibus, nisi circumcidamini Christus uobis non prodest, tanta seditio erupit, ut apostolis magnū negotium exhibuerit, donec eam contentionem publico concilio sopirent. Paulus quoq; hanc quæstionem in omnibus serē suis epistolis tractat. Cauendum ergo in omnibus doctrinis ecclesiasticis, ne uel leuissime uerbis contendamus. Veritas enim contendendo amittitur, non inuenitur. Et contentio parit contentionem, unde nascitur inuidia, maledicentia, & malæ suspitiones. Charitas ergo operiat dissensionem, ne in contentionem erumpat.

Peruenit autem sermo ad aures ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, super istis: & miserunt Barnabam usq; ad Antiochiam.

Fortiter apostolicis uiris Christi nomen prædicantibus cupiosior quoq; hominum numerus credens Euangelio conuersus est ad dominum. Cuius rei rumor peruenit ad aures ecclesiæ quæ erat Hierosolymis. Hac de causa per apostolos missus est eò uir apostolicæ synceritatis, Barnabas leuites, genere Cyprius, qui præsens dispiceret quid illic ageretur. Et si ex uoluntate dei factum esse comperisset, autoritate apostolorum comprobaret. Tanta erat cautio in recipiendis in Euangelium Gentibus, non quod id non magnopere cuperent apostoli, sed ne uel ut temere factum, in posterum à Iudæis rescinderetur, uel sibi parum fiderent Gentes, quasi legis opus haberent præsidio.

Qui cum peruenisset, & uidisset gratiam dei, gauisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in domino: quia erat uir bonus, & plenus spiritu sancto & fide. Et apposita est multa turba domino.

Barnabas ubi peruenisset Antiochiam, comperissetq; per fidem absq; legis professione Græcos eandem dei gratiam consequutos quam Iudæi acceperāt, magnopere gauisus est, augeri munerū credentium, & adhortatus est omnes, ut constantes in eo proposito perseverarent adherere domino. Erat enim uir bonus, ac plenus spiritu sancto fideq;. Itaq; factum est huius prædicatione, ut ingens præterea multitudo adiungeret se priori numero profitentium dominum. Audis Barnaban credentes tam ex Iudæis quàm ex Græcis ad perseverantiam non ad circumcisionem & ad legales ceremonias exhortatum esse. Non sufficit feliciter incepisse, nisi & in fide perseveraueris. Perseuerantia autē est, non in errore, sed in ueritate, quæ alia non est quàm Christum esse iustitiam fidelium.

Profectus est autem Tharsum ut quæreret Saulum: quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conuersati sunt ibi in ecclesia: & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani.

Quandoquidem Antiochia uicina est Ciliciæ, inuitauit eum ipsa loci propinquitas, ut quæreret Paulum, ad hoc negotium præ cæteris idoneum, uidelicet à Christo delectum, ut nomen illius illustraret apud Gentes & reges terræ. Nam hunc Hierosolymis fugientem deduxerant discipuli Casaream Phœnicæ, unde profectus est Tharsum. Quem cum illic inuenisset, perduxit Antio-

chiam, quod in ciuitate frequēti & celebri, sed ex Græcis Iudæisq̄ confusa, speraret fructum copiosorem per apostolum, ad hoc munus præcipue à Christo delectum. Simul itaq̄ uersati sunt Antiochiæ totum annum in ecclesia creditum, quæ illic ex Græcis & Iudæis satis numerosa confluerat: cui ex doctrina amborum uidelicet Pauli & Barnabæ, accessit etiam magna uis hominū, adeo ut qui prius dicebantur discipuli, suppresso ob inuidiam Christi nomine, primum Antiochiæ ex authoris uocabulo dici cœperint Christiani, nomine quidem amplissimo & plenissimo consolationis in omnibus aduersis. Christus enim Græcis est, Messias Hebræis, unctus autem nobis. Vngebantur autem reges & sacerdotes, & ab initio spiritu sancto inungebantur uisibiliter omnes in ita ti Christo, cuius eo ipso fratres efficimur & consortes regni eius, quandoquidē & membra sumus Christi, Ei Christo domino & regi qui seruit, non seruit, sed dominatur, & regem agit in Christo. Proinde Christianis conuenit, ut satanæ fugiant seruitutē, sectentur regiam Christi uitam, id quod non est aliud quàm libere in iustitia ambulare & pietate.

In his autem diebus superuenerunt ab Hierosolymis propheta Antiochiam: & surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in uniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.

Temporibus illis uenerunt Antiochiam ex urbe Hierosolymorum propheta quidam, è quibus unus nomine Agabus, qui surgens in congregatione significauit illis ex afflatu spiritus magnam famem futuram in uniuerso terrarum orbe. Ea accidit sub Claudio Cæsare, qui successit Caligulæ. Exornauit ecclesiam suam Christus, & uenerabilem fecit multis & clarissimis donis, non tantum apostolos dando, sed & prophetas non uulgares, qui ex priuatis reuelationibus futura prædicerent, ut Esaias & Ieremias & similes, iuxta illud Pauli ad Corinthios: Alios quidem posuit deus in ecclesia, primū apostolos, deinde prophetas, tertio doctores &c. Sic nunc in ecclesia Agabus prædicit de fame, admodum memorabili etiam in prophanis scriptoribus. Est autem huiusmodi famemes uulgare impietatis supplitium.

Discipuli autē prout quisq̄ habebat, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli.

Quoniam qui Hierosolymis agebant, partim tenues uenerant ad Euangelij professionem, partim quod habebant erogauerāt in commune, partim ob fidei in Christum professionem per sacerdotes fuerant spoliati bonis suis, ideo apostoli constituerunt, ut ex collatione eorum quibus suppetebat præcipue, qui ex Gentibus acceperant Euangelium, collecta pecunia mitteretur in subsidium Christianis in Iudæa habitantibus, sic tamē ut nemo cogere ad conferendum, sed ut quisq̄ uolens ac lubens pro modo facultatū suarū largiretur: idē factum est, ut fuerat constitutum. Ea pecunia missa est Hierosolymam per Paulum & Barnabam ad seniores, ut illorū arbitrio distribuere quibus erat opus. Hoc deum pium & Christianū est propositum, nō auarorū more coaceruare frumenta, ut famis ea tempore carissime extrudant, & alienis malis ditescant, sed pio more pauperes uelle p uirili iuuare. Quam uero in hac re fidelis fuerit Paulus satis patet ex epistolis suis ad Romanos & Corinthios, ubi nūc rationibus hortatur, nunc scripturis, nunc exemplis. Vt si Iudæi Gentibus communicarint spiri-

spiritualia, non grauentur uicissim illis ministrare carnalia,

CAPVT XII.

Idem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret A quosdam de ecclesia.

Dum in exteris Gentium regionibus Christi nomen & religio augetur et agit feliciter, domi hoc est in Iudæa noua persecutio inchoatur. Videbatur Christiana fides post Stephani mortem pacem assequuta, breui tempore incrementa plurima accepisse. Sed ecce oboritur obstaculum non leue, nõ iam à pontificibus & præsidibus uel pharisæis, sed ab Herode rege, qui cognomine Agrippa, filius Aristobuli, qui à Claudio impetrauit ut esset rex Samariæ & Iudææ, qui & Ioannem decollauerat, & Christum alba ueste amictũ ludibrii causa Pilato remiserat. Dolens hominum hoc genus indies increfcere, & nomẽ Iesu regis Iudæorũ per multas regiones inclarescere, existimauit illud sua quoq; referre, ut ea factio gliscens extingueret, nimirum satana per organa sua moliente quod antea fuerat molitus, sed ad nihil aliud proficiens, nisi ut Iesu nomen redderet gloriosius. Herodes igitur regaliter & crudeliter agens, misit armatos satellites suos, ut affligeret aliquot de ecclesia, ex congregatione profitentium nomen domini Iesu Christi, rerum omnium domini.

Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum.

Qui autem Ioanne decollato didicerat amputare ceruices piorũ hominum, ac libere ueritatem profitentium, iniecit manus in Iacobum apostolum Ioannis fratrem, quod is tum inter apostolos præcipuæ autoritatis haberetur, hunc quoq; constantem in prædicatione nominis Iesu, gladio plecti iubet. Hanc crudelitatem ubi uidit esse non ingratham genti Iudæicæ, adiecit facinori facinus, ac Petrum quoq; inter apostolos præcipuum iussit apprehendi, sperans fore, ut sub moto pastore grex facile dissiparetur, quo nimirum consilio Iudæi dominum Iesum prius occiderant, abstinentes ab apostolis. Quo minus tamen & hunc statim occideret, obstitit tum quidem dies azymorum, apud Iudæos eximie religiosus, quo tempore Iesum etiam ueriti fuerant Iudæi occidere. Atq; hæc est Iudæica religio in obseruandis diebus festis. Non uerentur litare populo innocens hominis sanguine, sed ueretur uiolare festum diem, quasi purus sit ab homicidio qui iam decreuit occidere.

Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradensq; quatuor quaternionibus militum ad custodiendum, uolens post pascha producere eum populo.

Quis existimasset tunc Euangelium Christi diutius duraturum, occiso Iacobobo illo, cuius uerba erant uelut tonitrua, & comprehenso Petro inter apostolos primario, cui oues pascendæ fuerant commendatæ? Non poterat humano ingenio liberari de manibus & carcere potentissimi regis, uinctus duabus catenis, duobus accubantibus militibus prope eum, quatuor quoq; militum quaternionibus, hoc est sedecim militibus, carcerem undiq; custodiētibus, iam damnatus regis sententia ad mortem: nihil autem obstabat quo minus plecteretur præter dies azymorum, in quibus nephas erat occidere quenquam. Et uidetur quidẽ ecclesia cum Euangelio peritura his duobus pereuntibus, sed melius quiddam dominus prospicit. Sanguis enim Iacobi gladio Herodis effusus,

irrigatio est ecclesiae, quae refrigeratur sanguine martyrum; sic & captiuitas Petri illustratio est nominis Christi. Non permisit deus ut ambo apostoli primarij unà occiderentur, ne ecclesia nimis tentaretur, & hostes nimium sibi gratularentur, & fideles imbecilliores scandali quippiam paterentur. Decreuerat Herodes exactis festis diebus hanc uictimam producere populo sitienti sanguinem innoxiorum. Qualis populus talis rex. Interea nec Petrus recusat carcerem, praemonitus à domino hanc euentura, ne discipuli tumultuarentur aduersus impiam tyranni uiolentiam, memores dominum praecipisse ut bene precarentur etiam ipsos persequentibus. Non sufficiebat Herodi carcer, non geminae catenae, nec unus militum armatorum quaternio, uidelicet ut crudelis impij regis diligentia proficeret ad cumulandam Christi redemptoris gloriam.

Et Petrus quidem seruabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deum pro eo.

Ac Petrus quidem sic asseruatus, diem festum agebat in carcere, interim ecclesia discipulorum sollicita de suo pastore, non desinebat diurnis ac nocturnis precibus rogare dominum pro salute Petri. Hae sunt fidelium arma, hi gladij, quos Christiani parauerunt ad liberandum suum apostolum, oratio ex fide, quae nubes penetrat, & animum omnipotentis expugnat. Sic pugnat Moses, sic Samuel. Non est mirabile discipulorum preces coelum recludere potuisse, quae Petri carcerem recluserunt, ac liberatum libere eduxerunt.

Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, uinctus catenis duabus; & custodes ante ostium custodiebant carcerem.

Cum peractis diebus festis Herodes esset illum producturus ad populum, commodum ea nocte quae diem educendi praecedebat, Petrus dormiebat inter duos milites, uinctus duabus catenis; ceteri milites obsidebant ostium carceris, excubias agentes. Quae omnia faciebant ad magnitudinem miraculi, quod occlusis undique ianuis angelus domini omnibus inscijs & impotentibus, & perterritis Petrum eduxit. Sic enim potens est Christus fideles suos in media morte seruare, & per mortem ducere in uitam perpetuam, id quod multo maius est educere.

Et ecce angelus domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussit eum, & ceciderunt catenae de manibus eius.

Discussa caligine tam carceris quam noctis, admirando lumine angelus illustrauit habitaculum. Comprobaturque hoc signo quod tametsi carcer obscuritate sua formidabilis sit, tamen credentibus in eum per Iesum Christum semper astant angeli dei, & illuminant tenebras anxietatum, eo splendore quem oculi fidei cernere possunt. Cum ipso sum, inquit dominus, in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum; & alibi: Immittit dominus angelum in circuitu timendum eum, & eripiet eos. Si quis igitur in carcere fuerit pro ueritate uerbi dei et Christo, fidei oculis has promissiones inspiciat, profecto clarissimum coeli lumen in obscurissimis carceris tenebris uidebit. Nec minus miraculum est ex una angeli percussione catenas excidere de manibus Petri. Quae enim ulla humana potentia tam efficax est, ut queat uno motu ferrea uincula sic confringere, uinctumque liberum reddere? Voluit hoc factio deus ostendere quam fragilis sit omnis

nis humana potentia contra uoluntatem dei.

Dixit autem angelus ad eum: *Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dicit illi: Circunda tibi uestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia uerum est quod fiebat per angelum: existimabat autem se uisum uidere.*

Miracula mox maiora sequuntur, ut Petrus angelo per omnia obsequens, ueluti in somnis præ anxietate mentis pedibus subligatis soleis, indutoq; pallio angelum sequitur, carceremq; euadit firmissimis munitū obicibus. Cumq; nondum intelligeret hæc uere fieri quæ fiebant per angelum, sed existimans se uide re uisionem, quemadmodum antea aliquoties uiderat, certior statim fit per uerba angeli & per potentiam per miraculum eximentis à tanto periculo. Quod hic dicitur, *Caliga te caligas tuas, uerius dicitur, Subliga sandalia tua.*

Transeuntes autem primam & secundam custodiam, uenerunt ad portam Ferream quæ ducit ad ciuitatē, quæ ultrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt uicum unum: & continuo discessit angelus ab eo.

Falluntur non solum custodes carceris, sed & uigiles urbis. Portæ enim angelica uirtute sponte patent, quamlibet seris & obicibus munitæ. Tam stupenda hæc sunt dei miracula, ut nec Petro coram illa cernente, & per portas proficiscente credibilia uideantur. Nesciebat, inquit, uerum esse quod fiebat per angelum, sed putabat se uisum uidere. Mirabile Petro erat, quod hoc tēpore Christus uellet ipsum tam stupēdo miraculo de manibus hominum liberare. Declaratur hoc factō q̄ ingens et inæstimabilis sit clementia diuina erga fideles suos: potest enim deus cumulate facere ultra omnia quæ petimus aut cogitamus.

Et Petrus ad se reuersus, dixit: *Nunc scio uere quia misit dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.*

Angelus euanescens reliquit Petrum in uico ciuitatis liberatum, quemadmodum & subito adstiterat. Circumspiciens autem Petrus, ac noscicans ciuitatis partem in qua erat, reuersus ad se, dixit: *Nunc uideo tandem non esse somnium quod geritur, sed dominus misertus suorum misit angelum suum, & eripuit me de crudelitate Herodis, qui me Iudæis immolare decreuerat, & plebis auidam expectationem elusit. Liberauit autem deus Petrum, non statim carceri mancipatum, sed dum diutius squalores tulisset: iam enim extrema nox erat, postquam ad supplitium capitale fuerat producēdus, adeoq; liberatio eius præforibus est, cum altum somnum dormitaret, nihilq; minus quàm liberationem tam sero cogitaret. Qua re declarauit dominus, tum maxime adesse auxiliū diuinum, dum desperatur de humano.*

Consyderansq; uenit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati & orantes.

Quum deliberaret Petrus in uico pauidus quò potissimum sese reciperet in tutum, huius rei lætitiā discipulis suis impartiturus, petijt domum Mariæ, quæ erat mater Ioannis, non eius qui frater erat Iacobi, sed qui cognomento dictus est Marcus, in cuius ædibus erant multi congregati simul orantes pro liberatione pastoris. Præsentium enim rerum calamitas cogebat pios, ut & noctu ad orationem in unam domum conuenirent. Nam eo tempore ecclesia in angustijs erat, ut prorsus peritura uideretur. Proinde quod unum Christiani in tam affli-

etis rebus possunt, hoc agunt, ad orationem conueniunt, dominūq; precantur, ut siquidem ipse ecclesiam suam supra firmam petram Iesum Christum filium suum fundauerit, non tantum licentiæ tyrannis permittat, ne ædificium ecclesiæ penitus excindant.

C Pulsante autem eo ad ostium ianuæ, processit puella ad uidendum, nomine Rhode. Et ut cognouit uocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens nunciauit stare Petrum ante ianuam.

Pulsus hic Petri haud dubie discipulis alijs in domo orantibus ab initio afflictionis & terroris argumentum erat. Quando enim primarius apostolus captiuus erat ad mortē, alter autem iam occisus, quid aliud quouis momento in mentem ueniebat q̄ expectanda captiuitas & capitale supplitiū? Existimabant iam adesse carnificem cum licitoribus, ut ad unū omnes trucidentur. Reliquis ergo omnibus summo in timore & mortis expectatione confidentibus, prodijt puella, ut subauscultaret quid esset rei. Quā ut Petrus sensit uenisse ad ostium, admonuit ut celeriter aperiret. Illa simul ut cognouit uocem Petri, stupefacta insperato gaudio, non aperuit ostium, sed intrò recurrens nunciauit Petrū stare pro foribus. Illi uero non ignari quā diligenter Herodes curasset Petrum asseruandum, responderunt puellæ: Erras.

At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus eius est.

Puella constanter asseuerante rem sic se habere, quidam dicebant: Non est Petrus, sed angelus eius, qui uocē illius exprimit. Persuasum em̄ erat suū cuiq; angelum esse custodem & affectatorē, qui nonnuncq; ipsius hominis imaginem repræsenteret. Admonet, defendit, præseruat à periculis, ab exitio, à demonijs, à casibus aduersis, dum uult dominus misereri. Cui seruiūt, & administratorij spiritus sunt propter electos, à quorū præsentia sicut & à diuina uerecūdari debet homo, ne uel superbiat uel libidinetur corde aut corpore, præsentibus & inuentibus angelis: unde & Iacob patriarcha: Angelus qui eruit me de cunctis malis: & Christus: Angeli eorum &c. Similia in Daniele, Tobia, & Iudicibus.

Petrus autem perseuerabat pulsans. Cum autē aperuissent ostium, uiderunt eum: & obstupuerunt. Annuens autem eis manu ut tacerent, narrauit quomodo dominus eduxisset eū de carcere: dixitq;: Nunciante Iacobo & fratribus hæc.

Quum non desisteret Petrus pulsare fores, aperiuūt ostiū. Ingressum Petrum uiderunt & obstupuerunt. Et ecce subito summus timor in summum conuertitur gaudium, extrema tristitia in summam letitiā repente mutatur. Sic deus potest cumulate benefacere ultra omnia quæ petimus, aut cogitamus. Tanta est clementia domini nostri, quod non solum suos à morte seruat, & Euangeliū Christi defendit, sed restituit etiā ipsum Petrum liberū & incolumem. Cum itaq; domus perstreperet gratulantiū uocibus, Petrus manu innuit illis ut silerēt, & auscultarēt taciti, ne quis ex insolito gaudentiū strepitu nō deprehenderet quod acciderat. Vbi uero conticuisent, exposuit illis ordine rem omnē, quomodo dominus per angelū suum eduxisset ipsum è carcere. Hęc, inquit, facite, ut sciat Iacobus frater domini (Is erat episcopus Hierosolymorū) ceteriq; fratres, ut huius gaudij nobiscum participes sint. Sic deus optimus lætis tristia, & tristibus læta temperat, ne deiciamur animo. Hęc uero Petrus uult fieri, ut nomen diuinæ clementiæ & potentiæ omnibus cōmendetur, & ut omnes Gentes sciāt quā propē

propè sit dñs omnibus extrema necessitate laborantibus, & ipsum in ueritate inuocantibus, utq; ex ipsius liberatione consolationē recipiāt fratres, & ceteri discipuli dñi. Sic em̄ decet, ut amici prospera & aduersa communia habeant.

Et egressus, abiit in alium locum. Facta autem die, erat non parua turbatio inter milites quidnam factum esset de Petro.

Nota erat omnibus Herodis crudelitas, ideo Petrus miraculose liberatus dominū tentare non debuit, etiam si de hac re angelus nihil monuisset. Non sunt irritandi tyranni, fuga consulat sibi quisq; ubi nihil sperare potest boni qui patitur psequutiones, donec à domini spiritu aliud doceatur. Humana sunt captanda media ad salutem, dum exitium nostrum nihil promouere potest ad gloriam dei. Alio in loco deus æque suos habet electos ut hic. Verum unctio hæc docet et fides in dominū, non deserit spiritus Christi fideliter dño seruire cupientes.

Herodes autem cum requisisset eum, et non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci: descendensq; à ludæa in Cæsaream, ibi commoratus est.

Quum diluxisset, milites quibus erat delegata custodia uidentes catenis integris et foribus clausis elapsū esse captiuū, nō mediocriter turbati sunt, admirantes quid actum esset de Petro. Herodes autem quum requisuisset Petrum, producturus illum ut condēnaretur, nec esset repertus in carcere, examinatis custodibus iussit illos duci in carcerē, sumpturus de illis supplitiū, ubi uacaret. Verum Herodis rabiem deus suorum misertus coercuit, simul & apostolorum incolumitati consulens & militū. Non em̄ decebat ut Petri salus occasione exitij præberet innoxijs. Si tamē fuerūt innoxij, & non more militū crudeles, & sollicitatores principū ad apostolorū diuersionē. Alioqui si pœnas dederunt suæ negligentiae, quā non admiserūt, saltē alijs in criminibus rei impietatis tandem à deo iudiciū tulerūt. Vt unq; em̄ potest credi, ut et maxima sua culpa impium regē adiuuerint, ut innocens occideret; & ut impius Herodes impeditus fuerit ne faceret de militibus quod uoluisset, præuētus iudicio domini, de quo sequit̄.

Erat autem iratus Tyrijs & Sidonijs. At illi unanimes uenerunt ad Deum, & persuaso Blaſto, qui erat super cubiculum regis, postulabāt pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo.

Incidit interea causa cur Herodes proficisceretur Cæsaream Palæstine. Erat enim insensus Tyrijs Sidonijs, iamq; destinabat bellum inferre eis. Verum illi hac re cognita consentientibus animis ueniunt ad eum, & persuaso Blaſto, qui præfectus erat cubiculo regio petebant pacem, eo quod necessariam sibi ducebant uicini regis amicitiam, propterea quod quum Tyriorum & Sidoniorum opulentia potissimum esset ex negotiatorum commertijs, plurimum compendij capiebant ex pacatis regionibus finitimis. Nec sine graui iactura bellum suscipere poterant, intermissa libertate exportandi & importandi. Audis quæ res interdum cogat uicinos uelint nolint pacem habere. Alia siquidem regio alterius auxilio eget, & quod alteri deest altera supplet, alioquin nunquam nō bella essent inter finitimos magistratus. Nos uero proximos diligamus, non tam ob uentrem quàm ob Christi charitatem.

Statuto autem die Herodes uestitus ueste regia, sedit pro tribunali, et contionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei uoces, et non hominis.

His sic rebus compositis quū in solenni quodam festo quod uotiuum cele-

brabatur ob Cæsaris aliquã fortunam, uel alia de causa, si nõ ob pacem initam iam præscriptam, & eodem die, saltẽ festi gratia conuenerant totius prouintiaæ procures secundo die spectaculorũ, quẽ multa ædebantur. Herodes igitur dum e sublimi contionaretur ad populum, indutus ueste miro artificio ex argẽto aurorũ contexta, postq̃ solis fulgor exceptus sinu regia uestis, ex repercussu ueluti fulgur quoddam minitans perstrinxerat omnium oculos, acclamatũ est ab adulatrice multitudĩne; Dei uox nõ hominis, quasi uiderent in illo aliquid homine maius. Hæc adulatio populi sæpe facit, ut pro regibus habeat tyrannos, dum illis tribuunt diuinitatem, qui uix hominis uocabulo digni sunt. Atq̃ illi uicissim adulantur populo spectaculis, ludis obscœnis, nonnunq̃ & cæde bonorum uirorum, quemadmodum ante in cæde Iacobi commendarat se populo, & festum natalis sui consecrauerat cæde sanctissimi Baptistæ.

Confestim autem percussit eum angelus domini: eo quod non desisset honorem deo: & consumptus à uermibus, expirauit.

Adulationem hanc tam impiam Herodes non respuit, non est execratus, sed homo miserabilis & mox periturus deus haberi gaudebat. Aderat autem mox ultio diuina. Protinus enim in ipsa cõtione percussit illum angelus domini, quem respiciẽs uidit à tergo astantem, eo quod homo sibi uendicasset honorem nulli creaturæ communicabilẽ. Subitoq̃ dolore morbi correptus, quo uix alius uel fœdior uel cruciabilior, uermibus corpus illius erodentibus intra paucos dies cruciatus uel mortem obiit. Alij tyranni plerunq̃ à seditiosis & impijs seruis suis occiduntur. Et quanq̃ id supplitij crudelibus tyrannis iuste accidat, tamẽ illegitime infertur. Hic aut tyrannus quo inclarescat diuinitus illatũ iudicium, ab angelo dñi percutitur. Alij mortui à uermibus absumentur, hic adhuc uiuus arroditur. Id uero non est semel mori, sed mori toties quoties nouus uermis enascitur.

Verbum autem domini crescebat & multiplicabatur.

Ad hunc modũ sublato dominici gregis persequutore Euangelicus sermo crescebat ac multiplicabatur. Vetus dei iudiciũ est & usitatũ, ut populi sui rem fortunet, tyrannos autem et persequutores populi sui internetioni tradat. Id uidet in Pharaone & Israelitis, in Babylonijs & Iudæis, in pharisæis & Christo, in Antiochis & Machabæis, in Gentibus & Christianis. Quid ergo tyranni persequẽdo ecclesiã aliud agunt q̃ ut foueam fodentes incidant in eam? Caueãt sibi principes hoc exẽplo ab adulatorũ uocibus, nõ est illis capitalior pestis q̃ adulator,

Barnabas autẽ & Saulus reuersi sunt ab Hierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.

Barnabas autem & Paulus defuncti his quæ receperant à fratribus curanda, traditaq̃ & per apostolos distributa pecunia, quæ missa fuerat in subsidium egentium, reliquerunt Hierosolymam, ac repetunt Antiochiam, adiuncto sibi comite Ioanne, cui cognomen erat Marcus.

CAPVT XIII.

ARant autẽ in ecclesia, quæ erat Antiochiæ, propheta & doctores, in quibus Barnabas & Simon qui uocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, & Manahem qui erat Herodis tetrarchæ colactaneus, & Saulus.

Quanto magis Iudæi tuebantur suam religionem Iudaicam, hoc est superstiosam, & Christianam persequebantur, eo magis Iudaica unã cum suis cultoribus

toribus deficiebat, Christianismus autem promouebat inter Iudeos & Gentes. Ut enim inundantium aquarum moles magno impetu progrediens, si obstaculum occurrat uiolentiùs irrumpit, aut si paululum cohibeatur impetu maiori progreditur; sic Euangelij cursus diuina pluuia increfcens late se spargit per omnes fines terre, & quo magis cursum eius impedire uolueris hoc latius diffundetur. Hoc ergo capite apostolatus Gentium describitur, quem Petrus priuata spiritus reuelatione inceperat, uiaq; patefecerat. Effluxerat iam Antiochena ecclesia, sic ut haberet aliquam multos prophetiæ dono pollentes, rursus alios docendi gratia præditos, inter quos erat Barnabas & Simon, qui Latina uoce dictus est Niger, præterea Lucius, patria Cyrenensis, & Manahen, qui fuerat simul à puero enutritus cum Herode Tetrarcha, à cuius familiaritate defecerat ad Christum. Sed inter hos præcipuus erat Saulus, omnibus apostolicis dotibus excellens unus.

Ministrantibus autem illis domino, & ieiunantibus, dixit illis spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.

Porro cum omnes hi magno studio seruirent ecclesiæ commodis, dotes suas ad omnium salutem & Christi gratiam fideliter impartientes, quo non aliud sacrificium est deo gratius, ieiunantes interim, ut puris etiam precibus adiuuarent ecclesiæ profectum non solum officio, spiritus sanctus motus illorum uotis per prophetas significauit quid fieri uellet, dicēs: Segregate mihi Barnabam & Saulum, duos ex omnibus præcipuos, ut incipiāt eo fungi munere ad quod illos potissimum accersui, uidelicet ut doctores sint Gentium, lateq; per hos disseminem sermonem Euangelicum. Factum est quod iussit spiritus, separati sunt ab alijs Barnabas & Saulus, ut omnibus esset conspicuum qui deligerentur. De sacrificandi uerbo hoc loco notandum, Epaphroditum à Paulo dici Liturgon, hoc est ministrum suæ necessitatis. Vnde ministeria ecclesiastica quæ tunc fuerint clare patet. Colligebantur eleemosynæ, dispensabantur legitime indigentibus per diaconos. Interpretabantur scripturæ diuinæ, de Christo contionabantur. Cœna quoq; dominica peragebatur iuxta institutionem Christi. Publicæ orationes ad deum effundebant prout ratio tēporis postulabat. Hæc erant ministeria sacra, et cultus ecclesiasticus, hoc dicitur sacrificasse prophetas & doctores in ecclesia Antiochena, quod trāslatio uetus recte dixit Ministrantibus.

Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à spiritu sancto, abierunt Seleuciā, & inde nauigauerunt Cyprum.

Ieiunio suo non uolebant expiare peccata, sed aptiores esse & fieri cupiebāt ad doctrinam sacram percipiendam, & ad cœnam dominicam, & ad fundēdas preces, ut percipi possint motus spiritus diuini; unde & hic dicitur, illis ieiunantibus & orantibus spiritus sancti impulsu manus impositas. Cum enim concordia preceatione fauorem domini implorassent, ut munus quod aggrederebantur feliciter uerteret ecclesiæ, qui præminebant inter illos autoritate imposuerunt illis manus, ac dimiserunt quocunq; spiritus sanctus illos ageret profecturos. Primum itaq; impulsu spiritus Barnabas & Paulus abierunt Seleuciam, id est Antiochiæ promontorium; atq; hinc nauigauerunt in insulam Cyprum. Est autem Seleucia hæc Pieria cognominata. Hic uero notandum ut publice sibi nemo usurpet Euangelizandi officium, ecclesiasticumq; ministerium, nisi prius

authoritate publica cōprobetur & mittatur. Exemplo quoq; Saulis qui etiam electus regnum non sibi usurpauit, nisi populi consensu assumptus. Et David non temere arripuit etiam inunctus, sed domini dispensationem expectauit.

Et cum uenissent Salaminam, prædicabant uerbum dei in synagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem in ministerio.

Cyprum celeberrimam insulam peruenientes apostoli, cum appulissent Salaminem (ea est celebris eius insulæ ciuitas, quæ primū occurrit ab oriente) ibi prædicarunt, non fabulas humanas, sed sermonem dei, nec id furtim, sed in synagogis Iudæorum, quorū ibi magna uis erat ob Syriam uicinam. Habebat autem huius muneris consortem Ioannē cognomento Marcum, quem secum adduxerant ex Hierosolymis. Hoc honoris ubiq; tributum est Iudæis iuxta Christi mandatū, ut primū illis deferretur Euangelium, ne gens querula & morosa clamitaret se despectam, quum ipsa perpetuo ueritatem & Christum despiciat, ad fabulas autē suas arrectas teneat aures, & traditiunculis suis mordicus adhæreat, in quibus mire sibi placent, & religiosi putantur.

Et cum perambulassent uniuersam insulam usq; ad Paphum, inuenerunt quendam uirum magum pseudopphetam Iudæum, cui nomen erat Barieu, qui erat cum proconsule Sergio Paulo uiro prudēte.

Euangelizando Iudæis & Gentibus totam insulam peragrarūt, donec peruenirent ad Paphum ciuitatem Veneri sacram, nam hæc est ad occidentale latus Cyprī postrema. Hic inuenerunt magum quendam nomine Bariesum, quasi dicas Iesu filium, natione & religionis professione Iudæum, & huius prætextu sibi falso uendicantem prophetiæ spiritum. Is adhærebat eius insulæ proconsuli Sergio Paulo, uiro alioqui prudenti. Nam hoc hominum genus sese in magnam amicitiam solet insinuare, quo corruptis illis grauiorem perniciem inuehant rebus mortalium.

B Hic accersitis Barnaba & Paulo, desyderabat audire uerbum dei. Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen eius) quærens auertere proconsulem à fide.

Ecclesiam prius persequutus fuerat rex Hærodes gladio et carceribus, nūc pseudopphetarum dolis mendacijs & imposturis impetitur, circūdata lupis crudelibus, & simul astutissimis uulpibus. Cum accepisset proconsul Euangelicam doctrinam disseminari per Cyprū, non solū non obstitit illi, uerū etiam Barnabam & Paulum accersiuit ad se, cupiens ab illis discere doctrinā cœlestem. Sed Euangelio proficienti resistere conabatur Bariesus, Iesu seruatoris inimicus, ac ueritati sese proferenti obnitebatur, falsitatis artifex: & apostolis ueris prophetis repugnabat Elymas, quæ uox etiam magum sonat & pseudopphetam. Videns enim proconsulem auidum cognoscendi sermonis Euangelici, & intelligens posthac non fore locum fucatis artibus apud eos, qui solidam ueritatem didicissent, conabatur proconsulem auertere, ne fidem haberet dictis apostolorum, ut hoc genus impostorum insinuat sese præcipue principibus, ut principibus deceptis potentia fulciatur, & faciliorem decipiendi aditū habeat ad uulgus. Veri autē prophætæ & apostoli, tametsi non tam subditis quàm principibus sese offerāt, nō tamē adeo imbecillis est ueritas, ut ad sui defensionē querat gladiū principū, sed salutem potius ipsorū. Ut autē cognoscatur quæ potentia præstatio prædicatio uerbi dei innitatur, sequitur miraculum Pauli circa magum.

Saulus autem qui & Paulus, repletus spiritu sancto, intuens in eum, dixit:

dixit: O plene omni dolo & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere uias domini rectas. Et nunc ecce manus domini super te, & eris cæcus, non uidens solem usq; ad tempus.

Saulus qui idem dictus est Paulus, non tulit hominē spiritu satanę plenum, malitiosis artibus pugnantem aduersus simplicem ueritatem, sed toto pectore concepto diuini spiritus impetu, defixis in magum oculis, ait illi: O plene omni dolo omniq; uerfutiā, referens patrem tuum diabolum, qui prius fraudulentia sua mendacijsq; pellexit hominem in exitium, ô omnis iustitiæ & synceritatis hostis, & in hoc declarans te esse filium diaboli, siquidem ille primus ademit innocentiam homini, tu renascenti iustitiæ bellum indicis. Nec tibi satis est hactenus illulisse fraudulentis artibus tuis hominum simplicitati, quin nunc etiam posteaquam deus uult per uniuersum orbem ueritatem Euangelicam, quæ fucum nescit, illucescere, tu tamen in tua malitiā pertinax non desinis reluctari uoluntati diuinæ, magis tuæ falsæ gloriæ ac turpi questui consulens quàm multorum tuæq; salutē. Vt autem intelligas aduersus Euangelicam ueritatem nihil ualere dæmonum artes, ecce iam nunc senties illius potentiam, cuius uoluntati repugnas. Prophetam & uidentem te iactas, quum sis cæcus animo. Hic uerba dedisti hominibus, qui iudicant ex his quæ uident, Deus autem qui nouit cecitatem cordis tui, mox eripiet tibi oculos corporis, ut omnes te uideant uere cæcum, & indignū qui uideas hunc solem, qui Euangelicæ ueritati nunc mundo exorienti bellum institueris. Hæc erit ultio diuina donec resipiscas.

Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebatur qui ei manū daret. Tunc proconsul cum uidisset factum, credidit, admirans super doctrina domini.

Vix ea dixerat Paulus, quin subito corripit magum profunda cæcitas, ac nox oculorum, adeo ut attonitus aberraret, quarens aliquem qui ipsum porrecta manu duceret. Hæc acta sunt teste ac spectante proconsule. Qui quum admiraretur præsentaneam uirtutem doctrinæ cœlestis, cuius uis tam facile prostruisset fumos magicos, credit, & Christi nomen professus est, proq; falso propheta Bar Iesu, uel dei Messia, quod Elimasa significat, amplexus est ueros Iesu Christi discipulos, & Christum domini. Erudierat ab initio Paulus in uia ueritatis Christiana mansuetudine tam Sergium proconsulem quàm Elimam, sed erant auditores dissimiles. Sergius quo plura audiebat, eo reddebatur fidelior: magus autem tanto fiebat obstinatio, ut uere apostolus dixerit, ueritatē Euangelicam his quidem esse odorem uitæ ad uitam, illis autem odorem mortis ad mortem. Sed nihil in mago Paulus proficere se uidēs, tandem exemit gladium spiritus. Arma militiæ apostolicæ potentia deo ad demolitionem munitionum &c. Quod autem magus non perpetua, sed ad aliquod tempus duratura cæcitate afficitur, declarat supplitia corporalia, non esse perditiones sed admonitiones ad pœnitentiam.

Et cum à Papho nauigasset Paulus & qui cum eo erant, uenerunt Pergen Pamphiliæ. Ioannes autem discedens ab eis, reuersus est Hierosolymam.

Hæc acta sunt Paphi, à qua ciuitate quum nauigationem instituisset Paulus cum suis comitibus in Asiam minorem, uenerunt ad Pergen, ea ciuitas est Pamphiliæ. Non est, inquit Vadianus noster, ut persuadeamus nobis aut hūc

Lucae aut cōsimiles alios scripturæ locos recte accipi aut intelligi doceriue posse sine pertinente regionum cognitione, quam tamen ex diligenti demonstratione, & apto Cartarum usu discere paucis mensibus studiosi haud multo labore possint, modo huic diligentia accesserit. Sic & aliæ disciplinæ humanae negligi debent à studiosis sacrarum rerum discipulis, ut est arithmetica, & sphaeræ coelestis intelligentia, cum linguarum peritia & rhetorica. Quæ omnia præsupponuntur in his nostris commentarijs & aliorum, minime tamen studiosis negligenda.

Illi uero pertranseuntes Pergen, uenerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt.

Paulus & Barnabas cum dimisissent Marcum, uolentem matris uetulae & uiduae curam non negligere Hierosolymis, & redire, nihilo secius quàm Iusirafent Pamphiliam peruenerunt Antiochiam Pisidiæ ciuitatē, quod dicitur propter Antiochiam Syriæ, quæ cognominata est Epidaphne, in qua nomē Christiani primum exortum est. Hæc autem Pisidiæ Antiochia alio nomine dicta est Romanorum Cæsarea. Hæc uero Pisidia olim dicta est Lycaonia & Phrygia. Confunduntur enim plerumque et regionum fines cum nominibus. Propter Antiochos autem quorum multis annis florentissimum in Asia regnum fuisse constat multæ passim Antiochiæ extiterunt.

C Post lectionem autem legis & prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in uobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.

Honesti erant Iudæorum mores in synagogis suis, nihil cum confusione fiebat, illic legebatur, nihil cantabatur. Sedebant quidam audientes taciti, alij legebant, alij lectionem interpretabantur, & plebem e lectione exhortabantur, nec quisquam nõ uocatus aut iniussus ad id muneris irrumpebat. Qui aliquid dicturus erat, expectabat uocationem principum synagogæ. Vnde quum Paulus de ordinationibus ecclesiæ scribit ad Corinthios, dicit: Si alij fuerit reuelatum assidenti, prior taceat. Maxima autem esset confusio in ecclesia, si cuiquam pro sua libidine liceret publici doctoris sermonem interrumpere. Docet ergo decetem & honestum ordinē inter doctores & interpretes. Intelligimus quoque hoc loco quid in synagogis Iudæi publice legerint. Post lectionem, inquit, legis & prophetarum, id quod postea Paulus testatur, dicens: Voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, unde etiam ecclesia hunc morem in primis habuit, ut legem & prophetas legerent in ecclesijs. Post æditionem autē Euangeliorum & epistolarum cœptum est lectiones duas haberi, unam ex ueteri lege aut prophetis, aliã ex Euangelijs & epistolis apostolicis, donec peruentum est ad cantum, responsoria, legendas, & organa, & aucupia. In hanc ergo synagogam ingressi Barnabas & Paulus, confederunt cum cæteris audituri lectionem legis & prophetarum. Ea quum esset recitata, neque quisquam assurgeret, priores mores synagogæ uidentes ex cultu Iudaicæ gentis esse hospites qui aduenerant, et ipsa specie probitatem præ se ferentes, per uiatores denunciauerunt, quando quidem essent Iudaicæ gentes, si quid haberet quisquam illorum quod docendi aut exhortandi causa uellet loqui populo, loqueretur.

Surgens autem Paulus, & manu silentium indicans, ait: Viri Israelitæ, & qui timetis deum, audite.

Paulus coelestis orator dicturus assurrexit, manuque mota silentium indicens multitudinī,

multitudinē, sic exorsus est dicere: Viri Israelitæ, quiq̄ iuxta progenitorum uestrorum exemplū timetis deum, audite me, uoluntatem dei uobis explicantē, & huius lectionis mysterium enarrantem. Captatio erat beneuolentiæ epitheton hoc, quod uiros Israelitas uocat, & timentes deum: quod audire Iudæis sane est quam gratissimum & iucundissimum, quando nullus quoq̄ uoluit contemptor dei haberi. Nemo autē uerus est Israelita, nisi qui credit in Iesum Christum, Israelii promissum, Paulus itaq̄ Iudæis Christum explicaturus eo ipso docet, quomodo uere Israelitæ & timentes dei efficiantur.

Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltauit cum essent incolæ in terra Aegypti, & in brachio excello eduxit eos ex ea, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.

Narratio sequitur paulò plixior, & altius pro more repetita, donec ad propositionē perueniatur. Deus, inquit, gētis Israeliticæ protector, patres nostros & hunc populum sibi præ cæteris elegit, adeò, ut quum in Aegypto duram seruirent seruitutem, agente Pharaone ne crescerēt, & qui superessent laboribus opprimerentur, prodigiosis miraculis exaltarit illos aduersus opprimentem tyrannū, eosq̄ à seruitute eduxerit, non dolis aut præsidijs humanis, sed brachio suo sublimi, ut omnes intelligerent eam gentem esse charā deo. Quumq̄ eduxisset eos, magna lenitate pertulit mores illorum in deserto, annis ferme quadraginta, subinde rebellantium & obmurmurantium Mosi. Nec tamen extremam ultionem exercuit in eos, ut posteris illorum præstaret aliquādo quod patriarchis erat pollicitus. Ut enim uerax deus inueniretur in suis sermonibus, maluit immeritis benefacere, & peccatoribus ignoscere, q̄ pollicitis suis nec satisfacere nec fidem seruare.

Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit iudices, usq̄ ad Samuel prophetam.

Post annos quadraginta ab exitu Israel de Aegypto deduxit eos in terram promissionis, ac deletis septem gentibus in terra Chanaan, sorte distribuit illis terram Chananeorum, idēq̄ post annos ferme quadringētos & quinquaginta. Dixerat ad Abraham dominus: Erit semen tuum accola in terra non sua, &c. Et item ait Gen. 21. In Isaac uocabitur tibi semē. Ab exortu ergo huius seminis usq̄ ad exitū Israel de Aegypto fuerunt iuxta Exodū anni quadringētiquinq̄, his adde quadraginta annos in deserto, & quinque in terra Chanaan, quibus peractis uidetur terra quieuisse à prælijs, & fors missa tribuum hæreditatibus terra diuisa, ut inuenias annos quinquaginta. Quanquam numeri huiusmodi allegati non sint semper cum præcisione accipiendī, unde & non ubiq̄ adamusim quadrāt huiusmodi supputationes, uulgarī enim modo loquunt̄ sancti. Tot quoq̄ ferme anni numerant̄ à ducatu Mosi usq̄ ad Samuelē pphetā, sub quo regē postulare cœperunt, de quo subditur. Hoc autē argumentū erat animi diuini, uehementer erga nostrā gentē propensi. Itaq̄ parta rerū tranquillitate, dedit illis iudices, quorū moderatione tranquille uiuerent, usq̄ ad Samuelē prophetā, qui fuit iudicū ultimus. Huiusmodi autē beneficijs pædagogiam quandā instituit deus in hac gēte usq̄ ad Christū. Quemadmodum aliās Paulus scribit, manifestum esse Israelii propter Christum benefactū esse, ut ea gens incolumis ad generationem Messiae secundum carnem seruaretur. Postremo quo Paulus commode à narratione ad propositionem descendat, addit de Dauide, dicens:

1. Regum 8. d

1. Reg. 9. c. 10. d

Et exinde postulauerunt regem: & dedit illis Saul filium Cis, uirum de tribu Benjamin annis quadraginta.

Sub hoc Samuele postulauerunt à deo regem, disuadente propheta: quòs persistenter efflagitare, dedit illis Saulem filium Cis, è tribu Benjamin, què ob superbiam & inobedientiam dominus repudiavit, ne succederent in regno illius filij, sed ad tribum Iuda deuolueretur: quemadmodum Iacob moriturus benedicendo Iudæ prædixerat. Sic enim diuina prouidentia fuerat ordinatum ab initio. Itaq; sub Samuele iudice integerrimo, & sub Saule tandem deprauato egerunt Israelitæ annis circiter quadraginta. Cæterum qua causa Saul regno amotus sit, quomodo Dauid electus, quomodo regnum administrauerit, quomodo dicatur omnes uoluntates fecisse, grauius & toties peccans, non est huius loci differere, suo loco tractata sunt, quando & Paulus ideo tantum eius nunc mentionem facit, ut ostendat Messiam iuxta promissionem Dauidi dictam iam uenisse, & non alium hinc expectandum Iudæis Messiam.

Psalm. 88. b.

1. Reg. 15. c.

D Et amoto illo, suscitauit illis Dauid regem: cui testimonium perhibens, dixit, Inueni Dauid filium Iesse, uirum secundum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas.

Non hic alienatus est animus clementissimi dei à gente sua, quam semel delegerat, sed pro malo rege què flagitationibus impijs extorserant, excitauit illis regem Dauid, cuius pietati deus ipse testimonium perhibuit, dicens: Inueni Dauid filium Iesse, uirum secundum cor meum, qui meæ uoluntati parebit in omnibus. Quemadmodum enim deus iratus pro grauissima uindicta dat populo stultum & impium principem: ita propitius ac reconciliatus pro submoto malo rege dat pium, deoq; morigerum. De cuius semine decreuerat Messiam nasciturum, non ex tribu Benjamin, uel de posteritate Saulis, sed Dauidis.

Isa. 11. d

Matth. 3. a

Marc. 1. a

Lucæ 3. d

Huius ex semine deus secundum promissionem, eduxit Israeli saluatorem Iesum, prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius, baptismumque poenitentiae omni populo Israel.

Dauidi promiserat deus filium, qui capefferet regnum Israel, cuius regni statim regnum diuisum est sub Roboam filio, nuncq; quoq; reductum secundum carnem. Nunc quod prophetarum oraculis sæpe diuicq; promissum est exhibitum est nostris temporibus. Ex Dauid enim stirpe quemadmodum illi pollicitus erat, produxit saluatorem Israeliticæ gentis, Iesum nomine respondente rei. Hic Iesus seruator quemadmodum promissus erat à prophetis, quemadmodum designatus est typis ac figuris legis, ita priusq; aperiret sese mundo, prædicatus ac demonstratus est à Ioanne Baptista, qui & ipse iuxta uaticinium Esaiæ præcessit aduentum eius, inuitans totum populum Israeliticum ad baptismum, ac poenitentiam prioris uitæ, palam clamans iam instare regnum dei. Potuisset Paulus testimonia ducere à miraculis quæ adidit Christus, quæ & à Christo adæda antea prædicta sunt à prophetis, sed maluit uti testimonio Ioannis Baptiste. Vnde apparet Paulum orationem habuisse apud eos quoq; Iudæos, qui Ioannem Baptistam ut prophetam suspiciebant.

Iodan. 1. c

Mar. 1. d

Cum impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse non sum ego: sed ecce uenit post me, cuius non sum dignus calcamenta pedum soluere.

Cæterum ubi Ioannes impleisset propemodum cursum suum, in hoc tantum à deo missus,

missus, ut præuius esset uenturo seruatori, & in huius aduentū animos hominum prepararet, atq; ob insignē uitæ sanctimoniam à multis crederetur esse Christus, palàm hunc titulū à sese depulit, & illi cui debebatur transcripsit, dicens: Quid me putatis esse Christū? Nihil aliud quàm nuncius illius sum: & tamen is quem uos per errorē me esse creditis haud procul abest. Nam is mihi succedet, tempore posterior, sed potentia dignitateq; tanto maior, ut ego sim indignus qui uel soleas soluam à pedibus illius, quod inter homines infimi ministerij creditur esse. Quod enim in illo infimum est, hoc sublimius est eo quod in me maximum est. Non igitur rem subitam uobis annunciamus, sed seruatore[m] tot sæculis promissum generis nostri principibus, tot ætatibus à maioribus atq; etiā à uobis expectatum, à Ioanne, cuius summa fuit apud Iudæos authoritas, agnitum, ac testimonio publico Iudæis omnibus commendatum, ut etiam protensa manu ad Iesum diceret: Ecce agnus ille dei, qui tollit peccatum mundi, &c. Et postea: Super quem uideris spiritū descendente[m] ac manente[m] super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Quibus & alijs uerbis testificatus est Ioānes, Iesum esse uerū illum Messiam, per prophetas de semine Dauid promissum. Tantę autem fuit authoritatis Ioānes inter omnes Iudæos, ut nō solū propheta, sed et ipse Christus existimatus sit. Nec quisquā unq; inuētus est, qui probabiliter potuisset uerbo Ioannis contradicere, quanquam id inuidi pharisæi sæpe tentarint.

Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in uobis timent deum, uobis uerbum salutis huius missum est. Qui enim habitabant Ierusalem, et principes eius hunc ignorantes, & uoces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt: & nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato ut interficerent eum.

Vos igitur uiri fratres, qui legem amplectimini, qui prophetas ueneramini, quiq; genus ducitis ex Abraham, cui deus promisit semen, per quod benedictionem consequentur omnes gentes, si uere estis filij Abraham, si uere timetis deū, Abrahamæ patris uestri pietatem in hoc referentes, agnoscite salutiferū hunc sermonem, quem uobis adferimus, & amplectamini iam exhibitum, quod patriarchę sibi gaudebant promissum. Hęc salus per Iesum defertur omnibus, sed uobis omnium primis offertur, ad quos proditæ sunt prophetiæ, & ex quorū genere prodijt Christus. Ne uos moueat exemplū Hierosolymitarū, ac principū eius urbis, qui non agnoscetes Messiam à deo missum, nec intelligentes uoces prophetarum, quæ tamen apud illos per omne sabbatum leguntur, cōdemnato Iesu, per imprudentiam impleuerūt quod erat à prophetis prædictum. Sic enim definitum erat diuino consilio, sic omnium prophetarum uocibus prædictum erat, ut unus immunis ab omni labe peccati, uelut agnus immaculatus pro peccatis omnium immolaretur. Itaq; quum sacerdotes, pharisæi, scribæ, populiq; primores, unā cum ipso populo tentatis omnibus, nullam in eo causam inuenirent, cur occidi deberet, tamen improbīs clamoribus flagitarunt à Pilato, ut occideret eum. Sicq; factum est, ut Iudæi uel Hierosolymitæ minime ea bona contulerint, quibus tamē maxime & promissa fuerant & deputata, utq; fiant primi nouissimi, & nouissimi primi. Nobis curandū ut aliena insania fruamur, & præsentia dei beneficia non fastidiamus, sed grato animo suscipiamus, ne ob ingratitudinem à nobis ablata ad alienos transferantur.

Cumq; consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento, Deus autē suscitauit eū à

E
Matth. 27.6
Marc. 5.6

Luc. 23. e
Ioan. 19. c
Matth. 28.
Marci. 16.
Luc. 24.
Ioan. 20.

mortuis tertia die: qui uisus est per dies multos his qui simul ascenderāt cū eo de Galilæa in Ierusalē, qui usq; nunc sunt testes eius ad plebem.

Quumq; imprudentes populi maiores consummassent omnia quæ de illo prædicta fuerant à prophetis, depositū de cruce posuerunt in monumento. Porro quæ uolentē hominū malitia neci dedit, hunc eiusdē dei potentia iuxta prophetarū oracula suscitauit à mortuis tertio die. Ac ne putetis esse somnū quod narro, uisus est, auditus, contrectatus, & agnitus est corpore rediuiuo per dies quadraginta discipulis suis, qui ipsum proficiscentem Hierosolymam, ut more retur comitati fuerunt à Galilæa, qui ferē omnes adhuc superstites sunt, ferētes apud populū fidele testimoniū, de his quæ uiderūt oculis, quæ audierūt auribus, quæ cōtrectauerūt manibus. Hæc probatio cōuenit cū eo, qua aliās uirū Petrus.

Et nos uobis annūciamus eā, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniā hanc deus adimpleuit filijs uestris resuscitās Iesum, sicut & in Psalmo secundo scriptū est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Psal. 2. b
Hebr. 1. b

Addit huic Paulus suū ac Barnabæ testimoniū, dicens: Nos quoq; fungētes ex ipsius iussu seruatoris apostolico munere, testificamur, quod pmissione quæ olim deus fecit Abraham ac Dauidi patribus uestris pfecte impleuit excitato Iesu à mortuis. Hic est enim ille filius dei natus ex uirgine Maria iuxta corpus humane, de quo pater ipse testificatur in primo Psalmo mystico, dicens: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Qua uoce quid aliud nobis deus pmissit, quam quod uelit mittere filium suum in carnē, in quo patri ita complacitū est, ut per ipsum habeamus iustitiā, sanctificationē, et redemptionē? Et quid ea uox aliud est, q̄ quod baptizato Iesu de cœlo auditum est à patre: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacitū est, hūc audite? Quod igit patribus quondā promissum est, hoc adnunciamus nunc in Iesu Christo resuscitato impletum esse.

Quod autē suscitauit eum à mortuis, amplius iam non reuersurū in corruptionē, ita dixit: Quia dabo uobis sancta Dauid fidelia. Ideoq; & aliās dicit: Non dabis sanctum tuum uidere corruptionem.

Isa. 55. b
Psal. 130. d

Quod autē suscitauit eum à mortuis, posthac non rediturū ad corruptionē, sed immortalē futurū, ita promissit olim per Esaiam prophetā: Dabo uobis sancta fidelia. Non fuisset autē seruata pacto fides, si Iesum non reuocasset ad immortalitatē. Sic enim promiserat Dauid: Semel iurauit in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in sempiternū manebit, & thronus illius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternū, & testis in cœlo fidelis. Videtis autē iam neminē à stirpe Dauid progenitū, tenere solium eius, sed Christū designabat hæc prophetia, qui dexter assidet patri, sortitus regnū, cuius non erit finis. Atq; hæc ipsa de re loquitur & Psalmus 130. Non pmisses ut sanctus tuus uideat corruptionē, alioqui quomodo in æternum regnaret? Quod Psalmi testimoniū nō potest de Dauide ipso intelligi, sicut et Petrus mōstrat in prima sua cōcione.

2. Reg. 2. b

Dauid enim in sua generatione cū administrasset uoluntati dei, dorso deus suscitauit à mortuis, non uidit corruptionem. Quem uerum uisum, & appositus est ad patres suos, & uidit corruptionem. Quem uerum

De Dauide, inquit, non potest intelligi hæc prophetia, quæ constat expletis uitæ suæ annis, regnoq; simul ac uita pro portione temporis à deo præscripti transacta, uolente deo mortuū, & additum numero maiorum, qui omnes similiter mortui sunt. Quod si corruptionē uidet qui moritur, sepulchrū eius quod in hodiernum diem apud nos extat, continens illius ossa, clamitat eum passum corruptionem.

corruptionem. Non igitur in hunc competit uaticinium, sed in eum quē uobis prædicamus, quem deus priusquā corpus sentiret corruptionem, excitatū à mortuis, donauit immortalitate.

Notum igitur sit uobis uiri fratres, quod per hunc uobis remissio peccatorū annunciatur, ab omnibus quibus nō potuistis in lege Moyse si iustificari. In hoc omnis qui credit, iustificatur.

Lex enim imperfecta erat iuxta carnē, nec poterat abolere omnia crimina, sed quædā puniebat, nec omnibus gentibus subueniebat. Per hunc autē Iesum citra discrimen personarū aut criminū offertur omnibus iustitia & innocentia, si modo credant euangelij promissis. De ipso enim scriptū est: Iustificabit ipse iustus seruos multos, & iniquitates eorū ipse portabit. Et paulò ante: Ipse uulneratus est, ppter iniquitates nostras, attritus est, &c. Vnde discimus quod Christus pro peccatis nostris sua passione satisfecerit, & peccata remiserit: remissio autē peccatorū iustitia est credentiū. Proinde credentes per Christū iustificantur, quos per legem iustificari impossibile erat. Nullum enim opus humanū siue ceremoniale siue politicum siue morale tanti meriti est, ut propter ipsum peccata remittantur, hoc est, homines iustificentur, sed tantum si credamus in Christum.

Videte ergo ne superueniat uobis quod dictū est in prophetis: *Vi* Abacuc. 1. 6
de contēptores, & admiramini & disperdimini: quia opus operor ego in diebus uestris, opus quod non credetis si quis enarrauerit uobis.

Posterior pars continet comminationem. Cauete, inquit, ne in uos incidat, quod per Habacuc prophetā incredulis & rebellibus euangelico sermōni comminatur deus: Videte contēptores & obstupescite ac disperite, quoniā opus ego operor, &c. Quis hactenus credidit hominē nasciturum ex uirgine? Quis credidisset per mortem unius cūctis gentibus parandam immortalitatē? Quis credidisset occisum & sepultū, intra tridū reuicturū ad immortalitatem? Hoc opus incredibile, deus quemadmodū promiserat, operatus est his uestris tēporibus. Nolite esse contēptores, nolite disperdi per obstinatā incredulitatem, sed credentes amplectamini uobis gratis oblatā salutē. Alioqui licet credatis urbē sanctam Ierusalē, nequaq̄ posse uastari per exterarū gentes, minime tamen ego uanus uates, uaticinor per gentes in circuncisas de longinquo uenientes cum magno impetu urbem eam solo æquandam, templum domini comburendū, ac uos captiuos abducendos ad extremos terminos terræ. Hæc est autē sententia Habacuc, quā Paulus applicat ad suum institutum, hortando Iudæos, ut Christum fide amplectantur, alioqui similia & maiora passuros.

Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi uerba hæc. Cumq̄ dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Iudæorum, & colentium deum aduenarū, Paulum & Barnabam: qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia dei.

Paulus misso prædicationis suæ uerriculo in mare synagogæ Antiochenæ, ad quā cōfluxerant nō Iudæi solū, sed & Gentes, quibus alioqui cū Iudæorū synagoga nihil erat cōmune, contrahit ad se primū Iudæos aliquot pios ac profelytos, hoc est, Iudæos nō natos, sed ē Gentibus factos, qui postq̄ solutus est cœtus, secuti sunt Paulum & Barnabam, Iesum Christum agnoscētes & confitentes, ad fidē in Christū conuertuntur. Gentes quoq̄ contrahit ad fidē uerriculo suo Paulus. Egressis enim ē cœtu Iudæis rogabant Gentes Paulū & Barnabā, ut interim dum sequens sabbatum adueniret, sibi uerba loquerentur. Hæc autē

tem Gentium petitio quid aliud declarat, quàm ingens desiderium audiendi euangelium: Tale enim post se dulcedinis & uoluptatis desiderium reliquit ueritas prædicationis euangelicæ, sicut sub nomine sapientiæ dicitur: Qui ædunt me adhuc esuriunt, & qui bibunt me adhuc sitient. Quamquam & qui ex fide euangelium audiunt omnium diuinorum bonorum participes & hæredes fiunt, interim tamen audire desiderant uerbum euangelij, per quod tanta bona eius promittuntur. Quare postquam hic Gentes semel gustauerunt dulcedinem bonorum Christi, è concione Pauli, implentur quidem bonis coelestibus, sed quo maiora & gratiora sunt illa bona, eo ardentius petunt & audiunt uerbum.

G dei. Sequenti uero sabbato penè uniuersa ciuitas conuenit audire uerbum his quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.

Proximo sabbato iam non Iudæi tantum & profelyti, sed tota ciuitas conuenit in synagogâ, ut audiret sermonem euangelicum. Cæterum Iudæi plerique existimantes apostolorum gloriam suam esse ignominiam & infamiam, quicquid sibi persuaserant hanc euangelij gratiam non esse promissam nisi solis his qui iuxta carnem essent filij Abrahamæ, ut uiderunt confluisse promiscuam multitudinem Iudæorum, Profelytorum ac Gentium, stimulante animi liuore uehementer indignati sunt, contradicentes his quæ dicebantur à Paulo, nec à blasphemis interim uerbis temperantes.

Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui uerbum dei: sed quoniã repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ: ecce conuertimur ad Gentes, sic enim præcepit nobis dominus, Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.

Act. 13. b
Horum obstinatam malitiam ubi perspexissent Paulus & Barnabas, memores quod dominus mandasset apostolis, ut sicubi reperissent qui reijcerent oblatam euangelij gratiam, exirent eam ciuitatem, etiam puluere pedum in contumaces excusso, libere dixerunt: Functi sumus officio nostro: nam iuxta præceptum domini Iesu uobis omnium primis annunciandus erat sermo euangelicus: hoc honoris habitum est uobis à Christo. Cæterum quoniã ipsi tantam gratiam ultro gratisque delatam reijcitis, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad Gentes: nec id facimus autoritate priuata, sic suis præcepit dominus Iesus, ut euangelio prædicato per Iudæam, deinceps prædicaretur omnibus gentibus, usque ad extremos fines orbis terrarum. Prædictum est & hoc olim per Esaiam prophetam, Fore, ut Iesus Messias promissus non tantum adferret salutem genti Iudæorum, sed uniuersis mundi nationibus. Sic enim in prophetia pater locutus est filio: Posui te in lucem Gentium, ut sis salus usque ad extremum terræ. Christus enim fuit non solum assumpturus Iudæos, sed etiam illuminaturus & saluaturus Gentes. Nemo autem illuminatur ac saluatur nisi per euangelium: si quidem est potentia dei ad salutem omni credenti.

Audientes autem Gentes, gauisæ sunt, & glorificabant uerbum domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad uitam æternam.

His auditis gauisæ sunt Gentes, non quod gauderent de Iudæorum interitu, sed quod misericordiam diuinam gratias agerent, qui Iudæorum incredulitatem uerteret in ipsorum salutem. Iudæi blasphemis incessabant doctrinam salutiferam, Gentes subito mutatae promptissimis animis amplectabantur & glorificabant sermonem domini. Cui crediderunt ex gentibus, non quidem omnes, sed quotquot diuina misericordia destinauerat ad uitam æternam. Ad quam nemo pergit

pertingit nisi à deo uocatus uel electus. Hæc est autē præcipua gratitudo quã dominus propter beneficia sua oblata requirit, ut credamus euãgelio Iesu Christi, per quod beneficia fidelibus offeruntur, per quod etiã bona fama de nomine dei spargatur, unde etiam increduli conuertantur ad dominum.

Disseminabatur autem uerbum domini per uniuersam regionem. Iudæi autem concitauerunt mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum & Barnabam: & eicerunt eos de finibus suis. At illi excusso puluere pedũ in eos, uenerunt Iconium. Discipuli quoq; replebantur gaudio & spiritu sancto.

Math. 10. 6
Marc. 6. 6
Lucæ 9. 4

Diuulgabatur sermo dominicus per uniuersam illam regionē. Porro Iudæi Gentibus inuidentes, concitauerunt mulieres religiosas (nã his facilius imponitur simulata specie pietatis) & honestas, quo maior esset authoritas: tũ primos uiros illius ciuitatis, ac per hoc cõmouerunt persecutionē in Paulũ & Barnabam, & expulerũt illos à finibus suis. Hic obiter animaduerte Lector Iudæicam artē excitandæ seditionis in eos qui synceriter prædicant Iesum. Liuor primus incitat fidei religiosos: mox dolor erũpit in conuitia: deinde per matronas graues ac religioni deditas suscitatur seditio, per matronas excitantur primores. Sic eijciuntur apostoli. Paulus autem & Barnabas excusso puluere pedum in illos, profecti sunt Iconium, Lycaoniæ ciuitatem. Discipuli quoq; læti de successu euangelij replebantur gaudio & spiritu sancto. Euangelij potentia dei est, salutem conferens credenti: ubi illud repellitur, ibi omnis benedictio cessat & salus: ubi recipitur, ibi felicitas & gaudium in spiritu sancto subsequitur.

CAPVT XIII.

Actum est autem in Iconio ut simul introirent synagogam Iudæorum, & loquerentur ita, ut crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo.

Quamuis ab Antiochia apostoli eiectione essent, non tamen euangelij Christi collapsum est & cõculcatũ: apostoli quoq; uno loco expulsi, nõ mox desperauerunt, sed fortius insteterunt & felicius p̄fecerũt, longius p̄ferentes pomeria in regno Christi, ad quod deus abutitur inuidia Iudæorũ, & persecutione fidelũ. Quũ enim puenissent Iconiũ, ex more simul ingressi sunt synagogã Iudæorũ, atq; ibi quoq; quẽadmodũ fecerant Antiochiæ prædicabãt euangelij Iesu Christi, sic ut copiosa multitudo crederet, tum Iudæorũ, tum Græcorũ. Et hic rursus Iudæicus liuor seditionis extitit author: quanto enim apostoli magis p̄gunt consulere Iudæis, & toties male excepti, tamẽ redeuntẽs p̄desse cupiunt: pergunt tamen illi pro ingenio suo persequi, quibus non cedit apostolorum quoq; ingenium, nihil de successu uocationis suæ desperant, nec Iudæos omnes propter admixtos malos odio persequuntur uel fugiunt, sed in Iconio ingrediuntur synagogam pro suo more, & ibi Christum adnunciant. Sic quisquis legitimã habet uocationem, etiamsi non sentiat felicem successum, tamen non desperet de successu, sed quod sui officij est fideliter urgeat.

Qui uero increduli fuerunt Iudæi, suscitauerunt & ad iracundiam concitauerunt animas gentium aduersus fratres.

Iudæi nolentes obtemperare sermoni euangelico, non satis habebant si ipsi perirent, uerum ut plurimos secum pertraherent in exitium, concitauerunt & corruerũt animos Gentium aduersus eos qui crediderãt: sed euangelij negotiũ & p̄ aduersa & p̄sp̄era crescebat & inualescebat, magis autẽ per aduersa à Christũ

sto apostolis prædicta. Ego, inquit, emitto uos uelut oues inter medios lupos, ut multa patiamini pro euangelij sorte. Quæ tamen nõ eidem soli accidit, uerum etiam omnibus bonis consilijs conatibus & operibus. Semper enim satan incûbit, ut bona impediât, mala fortunet. Proinde quicquid boni te facturũ decreueris, prius para te ad persecutionẽ, ne te illa intuitũ & negligentẽ adoriatur, & è bono mentis statu deturbet, ut hic quoque apostoli redduntur animosiores ex persecutionibus.

Multo igitur tempore demorati sunt fiducialiter agẽtes in domino, testimonium perhibente uerbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum.

In hac lucta persecutionis Iudaicæ Paulus & Barnabas diu cõmorati sunt Iconij, fortiter rem gerentes præsidio domini, qui gratuito beneficio, quod per euangelium omnibus offerebat, testimonium phibebat maius humano testimonio. Dabat enim hoc obscuris & infirmis euangelij prædicatoribus, ut per manus illorũ æderentur signa & prodigia, quæ declararent rem ex diuina uoluntate geri. Quo enim magis Iudæi sermonem gratiæ dei extinctum cupiunt, eo illius striorem reddit illum Christus ministerio apostolorum ædendo miracula, ut se se deus tanto confirmet præsentiorẽ esse auxiliatorem, quo maior & grauior est afflictio, & impiorum iniqua æmulatio.

Diuisa est autem multitudo ciuitatis: & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam uero cum apostolis.

Nostra quoq; tempestate similis euangelistarũ fors est, ut homines diffidere faciat iuxta uerbũ Christi, & turbas maximas excitet in rebus humanis, ut fide imbecillibus ingens præbeatur offendiculum, & aduersarijs ualde idonea causa calumniandi euangelium, quasi in regno Christi & pacis perpetuo huiusmodi inimicitia locũ habere non debeant. Et certe author seditionũ & dissidiorũ nõ est Christus, sed satan, quæ exoriunt in mundo ex euangelij annunciatione, domino tamen permittente ut electi pbentur. Nec tamen intermittenda est doctrinæ Christi disseminatio: nullũ enim incommodũ tam perniciosum est, quod nõ à maximis euangelij cõmodis superet, nec tanti momenti debet haberi pax & tranquillitas, quãlibet pijs sit continuo optanda, ut ad illam retinendam euangelij prædicatio sit intermittenda. Proinde siue fractus illabatur orbis, in confessione Christi nominis est perseuerandum.

Cum autẽ factus esset impetus Gentilium & Iudæorum cum principibus suis, ut cõtumelijs afficerent & lapidarent eos, intelligentes confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ Lystram & Derben, & uniuersam in circumitu regionem, & ibi euangelizantes erant. Et commota est omnis multitudo in doctrina eorum.

Quũ ij qui erant ex Gentibus iuncti Iudæis ac primoribus ciuitatis impetũ facerẽt in apostolos, ut uim illis adferrẽt ac lapidarẽt eos, illi re cognita pferunt Lystrã ciuitatẽ Lycaoniæ, quæ Pamphilię pars est. Hęc autẽ apostolorũ fuga nõ est inobedienciæ, sed obedienciæ, quando Christus dixit: Si uos psecuti fuerint in ciuitate hac, fugite in aliã. Sic autẽ fugere nõ est pauere mortẽ, sed cauere; nec timidi uocandi sunt, sed cauti. Quemadmodũ enim in bello fugere interim turpissimũ est, si nondũ debellatũ est, & uictoria nondũ stet ab hoste: interim prudentissimum si nulla spes uictoriæ à tua parte reliqua sit. Ita in certamine euangelici negotij impium est fugere, si euangelicam ueritatẽ abnegaueris.

Prudens

Prudentissimum autem est fugere, si nondum comprehensus manifesto & certo discrimini te absq; impietate subtrahas, ne deum tentes, teq; ad peragendū ministerium à deo commissum usq; ad suum tempus reserues.

Paulus autem & Barnabas morabantur Lystris. Et quidam uir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ: qui nunquam ambulauerat. Hic audiuit Paulum loquentem.

Peragrantes interim finitimā undiq; regionē, ubiq; seminantes sermonem euangelicū, ut hac fuga non tā consultū sit incolumitati apostolorū, quā euangelio propagando. Prædicauerūt autē Lystris euangeliū Christi, utq; mortuus sit pro peccatis mundi, resurrexerit autē propter iustificationē credentiū, & ut contingat per hunc Christū remissio peccatorū, non per opera legis. Paulo autem uere annuncianti apud Lystras euangelium de Iesu Christo, cōmode offeratur auditor quidam debilis pedibus, claudus ab utero matris, qui nunq; ambulauerat. Docebat autem Paulus Lycaones, quomodo nos natura debiliores ad ambulandum in uia pietatis, expiare peccata possimus, & salutem consequi nō nostra iustitia, propositum autem habeamus Christum, in quem & per quē credentes iustificentur omnes, & perpetua salute donentur.

Qui intuitus eum, & uidens quia fidē haberet ut saluus fieret, dixit magna uoce: Surge super pedes tuos rectus. Et exiit: & ambulabat.

Audiebat hic claudus Paulū loquentē de Christo. Paulus uero intuitus hominē, & ex ipso uultu perspicuus ardorē & uotum illius, quod cōsideret se per nomen Iesu prædicati mēbrorum integritatē assequi posse, dixit clara uoce: Erige te in pedes, simulq; cū dicto exiit claudus & ambulauit. Miracula huiusmodi per nomen Christi adita sigilla sunt & confirmationes ueritatis euangelij de remissione peccatorum: id quod Christus perspicue significat dum dicit ad phariseos: Vt sciatis quod potestatem habeat filius hominis in terra remittēdi peccata, tibi dico paralytico, surge, &c.

Turbæ autē cū uidissent quod fecerat Paulus, leuauerūt uocē suam, Lycaonice dicentes: Dij similes facti hoibus, descenderūt ad nos. Et uocabāt Barnabā, Iouē: Paulū uero Mercuriū, quoniā ipse erat dux uerbi.

Prodita est in homine sanato dei clemētia & potentia, in ciuibus autem Lystris hominū cæcitas & incitiā. Quum enim hominū illorum multitudo uidissent rem tam prodigiosam, nam claudus erat omnibus notus, & simplici uerbo subito restitutus est sanitati perfectæ, sublati in altū uocibus, Lycaonice dicebant: Dij sumpta hominū specie descenderunt ad nos. Ea persuasio magis infederat animis Lycaonū ob fabulam de Ioue & Mercurio, quū homines esse uiderentur à Lycaone exceptis hospitio, unde nomen sortiti uidentur Lycaones. Barnabam itaq; qui singularē quandā autoritatē præ se ferebat appellabāt Iouem, Paulū uero Mercuriū, quod is esset dux sermonis: propterea quod Gentēs crederent Mercurium esse deorum nuncium, & eloquentiæ præsidē. Inepte quidem homines isti apostolis ob miraculū diuinitatis honorē adscripserūt: longe uero ineptius, & impietate maiore nos in sanctis hæsimus, & propter miracula à sanctis adita adhuc in terra uiuentibus, sanctos inuocare, sanctis sese deuouere, & in sanctos tanquam in liberatores confidere. Et quid uulgo familiarius fuit, q̄ ad hunc modum sanctos uenerari, aras erigere, statuas fingere, sacrificia offerre, adorare & colere, timere illorū uindictas, et pro intercessoribus conuenire, tanq; clementioribus quā de deo nostro nobis persuadere potui-

mus. Cum sint nobis à deo propositi sancti, nō ut ipsos colamus & inuocemus, sed ut exempla pietatis imitemur, quibus et affectū dei erga nos cognoscamus, & ad sequendum uocationē dei inuitemur. Vnde & Paulus ait: Ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Christus omnem clementiā, &c. Et alibi: Estote imitatores mei sicut & ego Christi. Qui ergo sic sanctos suspiciunt, ut in ipsis misericordiam & clementiam dei agnoscant, & ipsos in pietate imitentur, hi præstant cultū, tam deo quā sanctis gratissimum. Fabula de Ioue & Lycaone notior est quā ut adscribatur, suo loco ab ignorantibus inuenitur.

Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis uolebat sacrificare.

Sacerdos quoque Iouis qui habitabat in suburbano ciuitatis Lystrensis, tauros & coronas adferebat ad fores adium, in quibus erant apostoli ut illis sacrificaret. Nam taurorū cade credebant potissimum delectari Iouem. Coronis autem sacris solent ornari tum sacrifici tum uictimæ. Comitabatur autem promiscua hominum multitudo. Hic satis clare uidemus stultitiā populi unde succreuerit, nimirum à sacerdotum ignorantia, stultitiā, auaritiā, adulatione & superstitione quæstuosa: quando & nostris temporibus mira uidimus sacerdotū stultitiā in promouenda idololatriā, in fingendis miraculis, in fabulis prædicandis, in populo decipiēdo, in contemptu uerbi dei, in otio inerti, & in cōmiserandis aucupijs per fas & nefas, ex quibus libidinose uiterent.

Quod ubi audierunt apostoli Barnabas & Paulus, conscissis tunicis suis, exilierūt in turbas, clamantes & dicentes: Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes uobis homines, annunciantes uobis ab his uanis conuerti ad deum uiuum qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt,

Paulus itaque & Barnabas ubi rei causam sciscitati didicissent, quod ipsis pro dijs habitis diuini honores pararentur, non tulerunt tantā impietatē, ut honor deo debitus transferretur ad homines, sed conscissis ex Iudæorū more tunicis profilierunt ad multitudinem, clamantes ac dicentes: Viri, cur ista facitis? Nos non sumus dij, sed homines uobis similes mortales, iisdem miserijs quibus uos obnoxij, adeo non expetentes à uobis hunc honorem, ut potius in hoc uenerimus ad uos, quo nobis authoribus ab istis falsis dijs, quos profanis sacris hæc tenoxij, qui uel homines sunt uita defuncti, uel stature inanes, uel damones quicquid cœlo, terra, marique continetur. Et quidem homines impij diuinū honorem sibi tribui non solum patienter ferunt, sed & ardentè ambiunt, id quod indicant reges quidam & imperatores Ethnici, certe multis adhuc uiuis, tanquam dijs sacrificatū est. Eiusdem insanitiæ est, si quis dei beneficia suo ipsius merito, iustitiæ, sapientiæ & fortitudini adscribat, ut ferè plena sit uita mortalium idololatriæ. Nihil autē pium animū magis terret & obstupescit, quam si sentiat honorē diuinitatis aut creatoris creaturæ tribui, aut post fata ab hominibus in diuos referri cupere, uel canonizari Romano more, quod est sacrilegium deo & hominibus abominandum.

qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi uias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiā corda eorum. Et hæc dicentes, uix sedauerunt turbas ne sibi immolarent.

Vnus

Psal. 145. d

Apoc. 14. b

Psal. 80. c

Vnus est deus omnium conditor & gubernator, is nunc postulat cognosci, coliq; ab uniuersis orbis nationibus, ut omnes per illum salutē æternam consequantur. Nam superioribus sæculis ueluti dissimulans, passus est omnes gētes suo quāq; more uiuere, ut posteaq; cognitum esset homines suis ipsorū præsidijs non posse saluos fieri, omnes per fiduciam in deum ac per euangeliū filij ipsius seruariētur. Quāq; autem pleriq; mortales essent à uero deo per errorē alieni, uaria errorum simulachra pro deo, aut res conditas pro conditore colentes, tamen non statim exeruit in illos iustam ultionem, nec destitit illos perpetua sua beneficentiā ad sui cognitionē & amorem prouocare. Nam qui mundum condidit in usum hominum, idem ē cœlo demissa pluuia fecundat terram, facitq; ut annuus prouētus uberem copiam omnium rerum ad uitam hominū faciendum profundat, ut affatim ciborū uario nos genere reficiat, & uiniliquore exhilaret corda nostra. Nec enim benefici adolebitis dijs uestris, quos hactenus colitis, Ioui, Cereri ac Libero, sed deo illi quem uobis prædicamus. Docent his uerbis suis apostoli, ne sibi sed deo gloria defera, cultus & adoratio, qui solus sit auxiliator in necessitatibus, neq; quēquam pro deo hominem colamus, hoc est, ne confidamus in alicuius sancti gratiam uel uirtutem, intercessionem uel reconciliationem. Adhuc hodie clamant sancti qui adorantur & inuocantur: Viri quid facitis? nos dū miserī uiueremus non sanctos aliquos inuocabamus, sed solum uerum deum, hunc uos quoq; inuocate, in hunc solum credite, ille solus placatum uobis patrem reddet. Docent quoq; humiliationē cordis, ne quid per arrogantiam agamus, ut sentiamus nos iisdem malis quibus alij obnoxios esse, æque ut alij homines carnis nos fragilitate circundatos. Docēt quoq; nos, quod sit apostolicum munus, annunciare uidelicet, ut à creaturarū cultu conuertatur mundus ad deum uiuum omnium creatorem. Cæterū Paulus & Barnabas non meminerunt in hac cōcione Iesu Christi, sed tantū dei. Ineptū enim fuisset illis unius dei filiū inculcare, quibus nondū persuasum erat unū solū uerū & uiuū deum esse. Per gradus ergo à principio ducunt illos in cognitionē unius domini nostri Iesu Christi, quando ad beatitudinē uerā p̄tinet, ut nō solū deus pater, sed etiā filius eius Iesus Christus cognoscatur. Hac cōcione apostoli tametsi difficulter admodū, compescuerunt tamē turbas, ne ipsis immolarent.

Superuenerunt autem quidā ab Antiochia & Iconio Iudæi: & per suas turbas lapidantes Paulum, traxerunt extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse. 2. Cor. 11. f

Discimus irrequietum & indefessum satanæ conatū contra euangelium & apostolicos uiros, quomodo insidiatur euāgelio Christi. Item inconstantissimā uulgi mobilitatem, ut quouis doctrinæ uento circuducatur: uariam humanæ gloriæ fortunam: rerum humanarū uices. Paulo antē pro deo habito parabantur hostiæ, nunc lapidatur, abiicitur: ob id autem huic erant infensores, quod eloquentia sua plurimos alliceret ad Christum. Similia exempla nobis proponit scriptura uniuersa, maxime in Dauid, Daniele, Christoq; domino.

Circundantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem: & postera die profectus est cum Barnaba in Derben. Act. 14. 2

Clementia dei erga sperantes in ipsum quomodo melius ostendi posset, q̄ sic seruando Paulū. Lapidibus obruitur, tot mortiferos ictus sustinet quot lapides excipit. Quæ quid aliud sunt, quàm Paulum bis morte afficere? semel lapidibus, & iterum uiolenta extractione faucij. Inter hæc tamen extrema uitæ

pericula, imò inter has mortes seruetur Paulus incolumis. Quis non admoneatur hoc exemplo, ut in rerum periculoso discrimine, de clementi bonitate dei & auxilio bene speret? Liberat enim deus suos de omnibus necessitatibus eorum. Vnde & Paulus Timotheo scribens, has suas afflictiones producit in exemplum, concludens; Sed & omnes qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu persecutionem patientur. Paulus ergo reuersus per dei gratiam & miraculum ad se surrexit, & clam ingressus est ciuitatē, ac postridie profectus est unā cum Barnaba in Derben, quò primum ire decreuerat.

Cūq; euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram & Iconium, & Antiochiam, cōfirmantes animas discipulorū, exhortantesq; ut permanerent in fide, & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei.

Quumq; in Derben ciuitate euangelium predicassent, multaq; docuissent, ueluti facti semine sermonis euangelici, reuersi sunt Lystram, Iconium, & Antiochiam, confirmantes animos discipulorum, quos ubiq; multos conuerterāt ad Christum, exhortantes ut perseverarent in fide, nec ullis terroribus adderentur à fiducia, quā semel collocassent in domino Iesu, nec offenderent quod audissent Paulum Lystris esse lapidatum, quoniam hanc uiam suis ostendisset Christus, ut per multas afflictiones intrarent in regnum cœlorum. Adeo magis sollicitus erat Paulus, ne per occasionem malorum, quæ ipse patiebatur ab impijs, imbecilles alienarentur à Christo, quàm doleret sua causa. Exemplum interim exhibens episcopis, ut gnaros agricolas imitando, nō sat habeant plantasse aut seminasse, sed aduigilent etiam, ut quod prouenire cœpit, feliciter adulescat. Exhortatur autem fideles ad perseverantiam in fide. Per multas, inquit, tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum, quæ damna non sunt sed lucra, & ad cœlum compendia, non impedimenta. Merces, inquit, uestra multa est in cœlis, quam Christus uiam dedicauit perueniendi ad regnum.

Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunijs commendauerunt eos domino in quem crediderunt.

Quoniam euāgelij profectus id postulabat, ut apostoli per uarias regiones uagarentur, delectos populi suffragijs per singulas ciuitates presbyteros praefecerunt illis, ut absentium apostolorum uices gererent, factaq; communi deprecatione cum ieiunio commendauerunt illos domino, ut in illo proficerent quem semel essent professi. Hæc acta sunt Antiochiæ quæ est in Pisidia. Vbi discimus morem initiandi presbyteros, quos aliàs scriptura episcopos, aliàs pastores uocat, non aliter quàm orando, eligendo, & ieiunando publice in ecclesia cōcorditer & attente. Nulla hic mentio fit unctionis, nulla indelibilis characteris, sed ardentium precum, minimis ceremonijs adhibitis. Nunc multi sunt episcopi in ceremonijs, nulli in orationibus, nisi hypocriticis & uerbis conceptis sine spiritu.

Transeuntesq; Pisidiam, uenerunt in Pamphiliā, & loquentes uerbum domini in Perge, descenderūt in Attaliam, & inde nauigauerunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ dei in opus quod compleuerunt.

Peragrata ea regione simili modo, & Pamphiliam peragrarunt, ubiq; seminantes euangelium, ubi seminatum non fuerat, & confirmantes eos qui semel crediderant, donec redirent Pergam. Et hic rebus ordinatis peruenerunt Attaliam, ea ciuitas est Pamphiliæ littoralis. Hinc soluerūt rursus Antiochiā Syriæ, unde

unde primum soluerant, delegato à senioribus munere prædicandi Euangelij inter Gentes, ac per impositionem manuum precationem & ieiunium commendati fuerant gratiæ dei, ut illius præsidio feliciter cederet quod auspiciabantur.

Cum autem uenissent & congregassent ecclesiam, retulerunt quanta fecisset deus cum illis, quia aperuisset gentibus ostium fidei. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

Cum sese recepissent in Antiochiam uelut rationem eorum quæ gesserant reddituri, conuocata congregatione credentium retulerunt omnia quæ deus cum ipsis egisset, ostendentes quomodo dei fauor adfuisset ipsorum conatibus, qui Gentibus aperuisset ostium fidei, per quam absq; legis onere salutem assequantur. Videmus ergo apostolos nihil tribuere suæ diligentiae industriæ & sanctitati uel uiribus, sed totius boni officij sui prouentum domino & diuinæ gratiæ retulerunt acceptum.

CAPVT. XV.

ET quidam descendentes de Iudæa, docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundum morem Moyse, non potestis saluari. A
Gala. 5. 2

Commorati sunt autem Paulus & Barnabas multo tempore cum discipulis Antiochiæ, quod in urbe celeberrima esset numerosa congregatio credentium ex uarijs hominum generibus conflata, quæ indies reddebatur numerosior. Illic autem apostoli gaudebant commorari diutius, ubi fructus erat copiosior. Quoniam Hierosolymitæ ceteriq; qui eam Syriæ partem incolunt, quæ proprie Iudæa dicitur, tenaciores erant legis Mosaicæ quàm ceteri, quod longius abessent à commercio Gentium, quodq; templo uiciniores minus ferebāt Gentes ad Euangelij consortium recipi sine legis obseruatione, quam non intelligebant prodita luce ueritatis suo modo abrogandam, quod ad umbras figuras et ceremonias attinebat. Huius generis erant circumcisio, sabbatorum otia, delectus ciborum, festi dies, uestium discrimina, uota, ieiunia, fuga morticinarum, quæ omnia crasso populo erant ad tempus indicta, ut assuecerent obedire deo, donec Euangelio prodita ueritatis clarissima luce rerum umbræ cederent, & idolatria eliminaretur ex mundo, uel amplius Iudæos non alliceret ad sui sequelam, ut olim & semper eisdē placuerat, à qua cancellis legis Mosaicæ arcebantur uel inuiti. Proinde qui non intelligebant legem esse spiritualem, contendebant id quod erat à deo præscriptum, à patribus traditum, à maioribus tot sæculis obseruatum, perpetuum esse debere. Hæc persuasio nō tam nascebatur ex malitia quàm ex superstitione legis, quæ dum ualde student seruare, subuertunt. Nam hic zelus primum instigarat & Paulum aduersus Christianos. Itaq; quum rumor eorum quæ gerebantur Antiochiæ, ubi ex publico consensu Paulus & Barnabas profecti in Cyprium, & inde in Pamphiliam palam sine delectu prædicassent Euangelium & Iudæis & profelytis & Gentibus, nullam exigentes legis obseruationem, permanasset Hierosolymam usq; quidam è Iudæa uenerunt Antiochiam, nouam inuehentes doctrinā à Pauli Barnabæq; doctrina diuersam: dicebant enim his qui ex Gentibus crediderant: Nisi circumcidamini iuxta ritum à Mose præscriptum, non potestis salui fieri.

Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos,

statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas & quidam alij ex alijs ad apostolos & presbyteros in Ierusalem, super hac quaestione.

Hoc erat initium pugnae, legis carnem mordicus tenentium aduersus eos, qui synceram ac spiritualem Euangelij libertatem sequebantur, quae contentio nunquam non est inter Christianos futura. Et ideo deus hanc exoriri passus est, quo magis intelligerent omnes Christi discipuli quam exitialis res sit, ceremonijs nixa religio. Horum doctrinae in speciem religiosae, re ipsa perniciosissimae, quum Paulus & Barnabas uelut Euangelicae libertatis strenui propugnatores fortiter resisterent, orta est uehemens seditio, dum apostoli synceritatem Euangelicae doctrinae, quae spiritualis est, testimonijs prophetarum fortiter tuentur aduersus supersticiosos legis assertores, dumque hi contra studio legis a maioribus traditae conantur Gentes sub idem iugum trahere, nescientes interim quanta contumelia Christum afficerent, cuius gratiam crederent praesidio legis egere. Etenim qui legis erat auctor, idem poterat abrogare legem, tametsi non abigat qui perficit. Hoc bellum multo perniciosius erat Euangelio quam Herodis aut aliorum principum saeuitia, propterea quod ueram pietatem falsa pietatis imagine oppugnabat. Itaque ne discordiae bellum glisceret, conuocato discipulorum concilio uisum est ut Paulus & Barnabas alijque ex discipulorum numero nonnulli proficiscerentur Hierosolymam ad Petrum, aliosque apostolos & presbyteros, qui tum ueluti metropolim ecclesiarum Hierosolymam moderabantur, ut illo rum auctoritate quaestio nata dissolueretur. Nam adhuc auctoritas praecipua manebat in eo loco, unde prodierat Euangelica doctrina, & penes eos qui ex delegatione Iesu Christi praedicationem primi fuerant auspiciati.

Illi ergo deducti ab ecclesia, pertransibant Phoenicem & Samariam, narrantes conuersionem gentium; & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

Paulus & Barnabas profecti sunt honoris gratia deducente illos discipulorum multitudine. Cumque facerent iter per Phoenicem ac Samariam, narrant ubique quomodo se Gentes conuertissent ad deum, adeo non diffidebant factis suis apostoli, ut ultrò passim commemorarent. Nec hoc animo proficiscebantur Hierosolymam, ut ex apostolis discerent, recte fecissent haec an secus, sed ut maiorum auctoritate tumultus infirmorum compesceretur. Quotquot autem in his regionibus crediderant Euangelio, magno afficiebantur gaudio, tantum aberat ut Iudaeorum exemplo mouerent seditionem. Reijcitur autem haec quaestio de circuncisione, adeoque de legis totius obseruantia ad apostolos et presbyteros in Ierusalem, non ut de ea iuxta humanam prudentiam, iuxta longam consuetudinem, iuxta rationes carnales, uel iuxta potestatis amplitudinem & uoluntatis apostolicam auctoritatem, sed iuxta uerbum domini, & testimonia sacrae scripturae cognoscant. Habebant enim testimonium spiritus sancti, donati conuersione rerum spiritualium, & sacrae scripturae, adeoque diuina auctoritate muniti praedicandi Euangelij & interpretandi fungebantur. Vnde & non iudicant apostoli in hoc concilio iuxta humanam sapientiam, sed secundum testimonia spiritus sancti, & sacram canonicam scripturam. Proinde nec Paulus nec alij Christiani decreta huiusmodi concilij detrectarunt. Quo exemplo admonemur, ut quaecumque testimonijs spiritus & scripturae nobis a maioribus proponuntur, ea tanquam diuina oracula excipiamus.

Cum autem uenissent Hierosolymam, suscepti sunt ab ecclesia & ab apostolis

apostolis & senioribus, annunciantes quanta deus fecisset cum illis.

Porro ubi peruentum esset Hierosolymam, Paulus & Barnabas unâ cum suis comitibus humaniter excepti sunt à cōgregatione quę erat Hierosolymis, similiter & ab apostolis ac senioribus, quibus congregatis exponebant quomodo Gentes Euangeliū recepissent, q̄ Christus Gentes amplecteret absq̄ obseruantia legalium & circumcissione, ut suum quoq̄ populum, idēq̄ multis miraculis confirmasset & ostendisset; addentes quoq̄ de dissidio oborto in ecclesia Antiochen. contendere quosdam de obseruatia Mosaicę legis, necessaria ad remissionem peccatorum, iustificationem & salutem. Seseq̄ ob hanc causam ab ecclesia ista legatos uenisse ad apostolos & presbyteros in Ierusalem, ut cum illis de ista quæstione dispicerent. Quid ergo sit; dissidium Antiochię excitatū maiore pietatis specie Hierosolymis fouetur à pharisæis.

Surrexerunt autem quidam de hæresi pharisæorum, qui crediderūt, **B** dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoq̄ seruare legem Moysi. Conueneruntq̄ apostoli & seniores uidere de uerbo hoc.

Ea relatio quum plerēq̄ multitudini probaretur, exorti sunt quidam e secta pharisaica qui iam crediderant Euangelio, sed sic, ut arbitrarentur Euangelij gratiam absq̄ legis adminiculo non conferre salutem, proinde neminem Gentium ad Euangelij consortium admittendum, nisi prius imposito legis Mosaicę iugo, à quo Gentes uehementer abhorrebant. Cæterū pharisæi præ cæteris uideri studebant legis tenaciores, hi ueluti legis doctores asseuerabāt eos qui Gentibus erant recepti circumcidendos esse, atq̄ eisdem præcipiendum, ut seruari legem Moysi, non intelligentes legē à nullis æque uiolari atq̄ ab his qui studio carnis negligunt spiritum legis. Hic rursus orto tumultu (quã seditiosa res est superstitio) conuenerunt apostoli simul cum senioribus, consulturi quid hac in re statuendum esset. Quum enim essent auidissimi lucri dominici, metuebant ne pleriq̄ ex Gentibus odio legis alienarentur à Christo. Rursus non arbitrabātur probabilem causam esse dandam Iudæis, qui legis uenerationem à maioribus traditam altius imbiberant quã ut subito posset reuelli, ut ab Euangelio desciscerēt, quasi pugnante cum lege sancta. Hic quoq̄ uidemus eos, qui maiorem ueritatis speciem habebant falsa sentire & à ueritate longe abesse: qui autem uere sentiebant, uidebantur procul abesse.

Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: **Viri fratres, uos scitis quoniam ab antiquis diebus deus in nobis elegit** *Supra 10.* **per os meum audire gentes uerbum Euangelij, & credere.**

Quū hinc atq̄ illinc prolatis testimonijs & argumentis incanduisset discussio, num obseruatio legis Mosaicę quo ad ceremonialia & pure legalia omnibus modis obseruanda sit à credentibus se saluari per Christum, et peccata remitti, et à Christo iustificari: Petrus assurgens hūc in modum loquutus est: **Viri fratres, quid uos disceptatis ueluti de re dubia, quasi penderet ab hominū arbitrio probare uel improbare quod iam deus ipse probauit. Vos ipsi scitis quod ante aliquot annos hoc idem mihi accidit in Iudæa, quod nunc in Gentium regione factū calumniāmini. Quū enim ob Cornelium cū sua familia baptizatum simile murmur esset natum inter uos, exposui uobis rem omnē, quomodo non auctoritate priuata, sed iussu dei adierim Cæsaream, ut Gentibus etiam prædicarem Euangelium dei, cui credentes salutem assequerentur.**

Et qui nouit corda deus, testimonium perhibuit, dans illis spiritum

sanctum sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificās corda eorum.

Quum autē essent incircuncisi, qui tum audiebant sermonē Euangelicum, & ab obseruatione Mosaica legis alieni, tamen deus qui nō aestimat hominem ex habitu corporis, sed ex affectu cordis, quod ille solus nouit, manifesto testimo- nio declarauit sibi probari fidem illorū inter audiendū effuso in illos spiritu sancto, sic ut linguis loqueretur, quemadmodū & nos, etiam anteq̄ a nobis baptizarentur, nihil discriminis faciens, quod ad Euangelij gratiam attinet, inter illos incircuncisos & nos Iudaeos. Nam fide purificauit illorū corda, palām de- clarans nobis hanc gratiam non esse collatam praesidio legis, sed commendatio- ne fidei. Nec enim deus infundit spiritum suum impuris. At illi nihil habebāt praeter simplicem fidem, sed ueram, quum in illos ueniret spiritus sanctus, non dum circuncisos, nec alijs legis operibus paratos, ex quibus iustitiam non sunt consequuti, sed per gratiam dei; ut uideamus nullū esse apud deum discrimen in credentibus circuncisis uel incircuncisis, quando aequē per fidem purifica- tur neglector legis, ut obseruans & circuncisus.

Nunc ergo quid tentatis deum, imponere iugum super ceruices disci- pulorum: quod neq̄ nos, neq̄ patres nostri portare potuimus: Sed per gratiam domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodū & illi.

Quum igitur palām deus declararit uoluntatem suam, ut Gentes absq̄ le- gis onere per solam fidem reciperentur ad Euangelij consortium, cur uos deum tentantes prouocatis illum, dum praeter illius uoluntatem conamini tam graue legis iugum imponere ceruicibus discipulorum, qui hactenus huiusmodi legi non assueuerunt, quod neq̄ patres nostri neq̄ nos sub lege nati portare ualui- mus? Quis enim nostrum legem seruauit ad unguem? Non igitur est quod ex obseruatione legis speremus salutem, sed confidimus nos fore saluos per gra- tiam domini nostri Iesu Christi, hac in parte nihilo potiores Gentibus, quibus idem donum uoluit impartiri gratis, fide purificādo corda, quo placeant domi- no, & ex qua prompti fiant obseruare legem & uoluntarij, studium adhibētes adimplendū ex eadem fide pro omni uirili sua. Quod si non succedat, sciunt ta- men per fidem se non suis meritis, sed per Christi gratiam & merita saluandos. Non interim ignorantes, ceremonialia legis, & quae temporarij, loco, personisq̄ tantum alligata sunt, non esse aeterna, nec omnibus imposita Gentibus. Quin & sancti ueteris Testamenti libertate fidei freti, in talibus frequenter dispensa- se leguntur. Non sic autem in his dei mandatis, quae fidem & charitatem respi- ciunt, & naturae legem sequuntur, in quibus nulla dispensatio uel abrogatio lo- cum habet.

Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabā & Paulum narrantes quanta deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos.

Petri sententiam diuinam comprobauerunt omnes auditores, uenerando silentio suo, qua & coercita est tumultuosa disceptatio inter pharisaeos, & diuer- sa sentientes. Itaq̄ multitudo iam quieta audiuit aequanimiter Barnabā & Pau- lum, exponentes quot miraculis ac prodigijs per ipsos inter Gentes aeditis de- us testificatus esset sibi placere, ut Gentes ad Euangelij consortium absq̄ lega- lium & ceremonialium onere reciperentur, quemadmodum & ante Petro in Cornelij domo Christum praedicante, misso spiritu sancto declararat animum suum. Quin & ex reliquis operibus legis omnibus iustitia nulli contingit, sed tantum

tantum ex fide propter Iesum Christum, qui & propitiatio pro peccatis nostris & cordium purificatio. Vnde & narrant apostoli, qualia deus prodigia adiderit inter Gentes per ipsos. Quibus apostolicam doctrinam approbavit de gratuita remissione peccatorum per gratiam Iesu Christi, declarando Gentes tam acceptas esse ipsi per Christum extra circuncisionē quā sunt accepti fideles Iudei in circuncisione. Qua ergo necessitate essent Gentes ad circuncisionē cogēdi, & ad alia legis onera peculiariter Israelitis tradita, nō Gentibus, propter priuatis quibusdam causis multis, quas satis constat in Gentibus conuersis causam non habere uel locum?

Et postquā tacuerunt, respondit Iacobus, dicens: Viri fratres, audite me, Simon narrauit quemadmodum primum deus uisitauit sumere ex gentibus populū nomini suo. Et huic concordāt uerba prophetarum, sicut scriptū est: Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculū Dauid, Amos 90 e
quod decidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud, ut requirant cæteri hominum dominum: & omnes gentes super quas inuocatū est nomen meum, dicit dominus faciens hæc. D

Hi cum finem dicendi fecissent, Iacobus cognomento Iustus & frater domini dictus, in quem apostoli tum præcipuam Hierosolymis autoritatē transtulerant, assurgens illorum orationem approbavit, hunc in morem uerba faciens: Viri fratres, quoniam cæteris qui dixerant præbuitis silentium, præbete & mihi dicturo, quod factum uidetur optimum. Simon Petrus narrauit modo, quod nos omnes scimus esse uerissimum, quemadmodum per ipsum primū deus miseratus humani generis, respexerit calamitatem Gentium idolorum cultui deditarum, ut ex his quoque qui uidebantur non esse populus, sumeret sibi populum acceptum unā nobiscum inuocantem nomen eius. Quod per Petrū coepit deus, id per Paulum & Barnabam latius prouexit. Quod autem ab his factum audimus, id olim futurum prædictum est uaticinijs prophetarum, quorum Amos ita loquitur sub persona dei: Post hæc reuertar & instaurabo tabernaculum Dauid quod collapsum est, ac ruinas eius ædificabo denuo, & erigam illud, ut requirant qui reliqui sunt homines dominum, omnesque Gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus, faciens hæc. Huius loci expositionem quære Amos cap. 9.

Notum à seculo est domino opus suum. Propter quod ego iudico, non inquietari eos qui ex gentibus conuertuntur ad deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.

Quicquid deus pollicetur se facturum, hoc absque dubio perquam amplissime facit. Antequā enim mundus esset conditus, illi definitum erat quid quo tempore factururus esset. Non potest autem nō esse optimum quicquid ille statuerit. Quoniam autem uidemus hæc nunc clarissime inchoari & fieri quod ipse promissit, ego censeo non esse repugnandum uoluntati diuinæ, nec obstrependum his esse, qui ex Gentibus conuertuntur ad cultum ueri dei Israel, ut uno humerocolatur dominus in uniuerso orbe terrarum, in & sub regno Messiae promissidudum, & nunc quod scimus & fatemur exhibiti. Nec eis imponendū onus legis, quum Euangelica fides omnibus sufficiat ad salutem. Tantum admoneantur, ut ob imbecilles quibus nondum persuaderi potest idolum nihil esse &

idolis immolatam carnem nihil differre à carne qualibet quæ uenditur in macello, & ob quosdam, qui scortationem ideo non credunt esse peccatum, quod uulgo fiat, nec legibus humanis durius puniatur, abstineant ab inquinamētis simulachrorum, nec immolantes nec uescentes ex his quæ sunt immolata, abstineant à scortatione. Rursus ob Iudæos quosdā superstitioniosiores, quibus nondum persuaderi potest omnia munda esse mundis, abstineant ab animante suffocato & sanguine. Non quod hæc res faciant ad salutē animæ, sed quod charitas ad id hortetur, ut ad tempus mos geratur imbecillitati fratrum quorundā, donec proficiant ad perfectiora. Itaque mutuis obsequiis alatis inuicem fraternam concordiam. Loquitur autē hic Iacobus de non uescēda carne immolatiua. Vt autem nulli licet colere idola, ita Iudæis prohibitum erat ne uescerentur his carnibus, quæ idolis aut dijs alienis fuerant immolata: quin & in Deut. cap. 7. dicit: Sculpilia deorum igne combures. Non concupisces argentum & aurum quod in eis est, nec assumes ex eis tibi quicquid, ne offendas, propterea quia abominatio est domini dei tui &c. Carnes uero idolis immolatae non ideo prohibentur edi, quia impuræ sint, sed quia hoc obstat concordia & mutua charitati. Iudicabantur enim uescentes idololatrae esse, & nondum uere conuersos ad Christum. Hoc igitur decretum tantisper ualuit, dum infirmitas scientiæ proximi id exegit. Idē quoque de suffocato & sanguine accipiendū. Horum esum lex Moysi grauissime uetuit multis in locis. Apostoli autem charitatis tantum causa & ad tempus interdicerent, ne si Gentes coram infirmis Iudæis uescantur sanguine aut suffocato, offendantur fratres in Christo, & aut unā edant Iudæi aduersante conscientia, aut ad discordiam prouocentur. Scortatio quoque seueriter prohibita est: Ne sit meretrix de filiabus Israel nec scortator. Quantum autem spiritus sanctus scortationi aduersetur, perspicue explicat Paulus 1. Corint. 6. Ideo nulla ratione uel occasione potuit licita haberi uel honesta.

Moyse enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus quem prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

Hæc uero ait Iacobus Gentibus scribenda iudico, ut fidei & charitatis rationem habeant, & ex fraterna condescensione abstineant à talibus. Non est autem opus, ut Iudæis scribamus de talibus, & quid ipsi seruare debeant. Nam illi habent Moysen, qui in singulis ciuitatibus legitur, quem & audiunt, & possunt, debentque obseruare, si tamen iustificationis medium non talibus tribuant obseruantibus, sed fidei in Christum.

Tunc placuit apostolis & senioribus cum omni ecclesia, eligere uiros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam uiros primos in fratribus, scribentes per manus eorum.

In hanc sententiam quæ ab omnibus itum esset pedibus, uisum est apostolis ac senioribus, simulque toti congregationi, ut ex eo numero deligantur aliquot, qui Paulum & Barnabam Antiochiam comitarentur. Delecti sunt autem duo spectatae probitatis, Iudas cui ob morum sanctimoniam cognomentum additum est Iusti, & Silas, ambo primariam integritatis laudem obtinentes inter fratres. Quamquam autem Paulus & Barnabas multæ authoritatis essent, quia tamen aduersarij eorum & ipsi præcipui erant, soli ipsi ueluti accusati impietatis parum fideliter & collegis sententiam apostolorum recitassent. Hæc huius gerendi negotij

gotij prudentia seruit etiam digne sapientiae spiritus, & est dei donum, quod & seruit oportune uerbo dei. Quamquam non eguit Pauli doctrina ullo hominum etiam sanctissimorum apostolorum testimonio. Qui Euangelium praedicauit uerbis non secundum hominem, nec ab homine acceptum, sed per reuelationem Iesu Christi. Accipit autem hic legatorum testimonium propter aduersarios, & propter infirmos in fide, ut illi auctoritate apostolorum, quorum doctrinam iactabant, compescerentur, & pii in uera fidei doctrina confirmarentur: sic Christus quoque non reiecit testimonium Ioannis Baptistae.

Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochiae & Syriae & Ciliciae fratribus ex gentibus, salutem. Quonia audiimus quod quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt uos uerbis, euerrentes animas uestras, quibus non mandauimus: placuit nobis collectis in unum, eligere uiros, & mittere ad uos cum charissimis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine domini nostri Iesu Christi.

Hae epistola est apostolorum & seniorum ecclesiae Hierosolymitanae ad Antiochenos, in qua fraternitatis epitheton Christianos admonet fidei suae in Christum, & charitatis in proximum. Sunt enim Christiani omnes fratres in Christo, ut & se amore fraterno complectantur, & cohaeredes se Christi credant, qui est natura filius dei. Perstringunt autem in suis literis pseudapostolos, qui false doctrinae nomen & auctoritatem apostolicam praetexunt. Ex nobis, inquiunt, exeuntes, quibus non mandauimus, dum praedicant falso opera legis iustificare, & necessaria esse ad placandum deum. Videbant enim ueros apostolos legem Moysis diligenter obseruare inter Iudaeos, pueros circumcidere, & legis opera non obmittere, unde colligebant uera esse quae praedicabant: quum id apostoli nunc docuerint. Non minore impietate hypocritae quoque in Christianismo docuerunt ab exemplis sanctorum operum iustificationem. Qui cum opera bona multa pro ratione temporis & loci egissent, non tamen iustificationem posuerunt in talibus. Et operis cuiuscumque boni uis & anima, non est specie externa, sed ex gratia dei per Christum & ab animo operantis pendet. Omnium autem sanctorum scientia et opinio non alia fuit, nec aliud docuerunt quam quod benedictio dei non contingat nobis propter opera nostra, sed propter seminem Abrahamae promissum propter Christum per fidem. Et quod huic qui credit in eum qui iustificat impium, imputetur fides sua ad iustitiam. Obseruauerunt autem apostoli legalia quaedam: primum, ne uiolandis publicis ritibus gentis Iudaicae in qua uidebant, pacem turbarent, & legem factis improbae testari uiderentur, utque diuinae uocationi seruirent, & uocationi obsequerentur. Fructum autem impiae doctrinae dicunt esse turbationem, laesam benefactionem, et destructionem conscientiarum bene institutarum in uerbo domini. Recto quoque ordine scribit: Visum est spiritui sancto & nobis. Nostra enim sententia non debet spiritui sancto praere, sed ipsum sequi. Certi autem fuerunt de spiritu sancto, non tantum ex oratione praemissa, sed & ex scripturae intellectu, quae est ipsius sancti spiritus certissima dictatura. Secundum quam si quid definitur in ecclesia, quod habeat causam charitatis, aut aliam piam rationem, non est detrectandum. Nunc autem ecclesiasticae quaedam obseruationes, ut maxime initio pijs rationibus fuerint institutae, tamen cum tempore degenerarunt in abominabiles abusus multos & intolerabiles, pietate tota conuersa in questum, cultu dei uerso in pompam, disciplina autem ecclesiastica in luxum: quin & huiusmodi multa & grauius exiguntur a tyrannis impijs, tanquam satisfactiones pro peccatis, quarum obseruantia necessaria sit ad salutem, transgressio sit peccatum mortale.

Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi uobis uerbis referent eadem. Visum est enim spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere uobis oneris quàm hæc necessaria: ut abstineatis uos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes uos, bene agetis. Valet.

Summa est epistolæ, Visum est enim spiritui sancto, & huius instinctu nobis consentientibus, ne quid oneris uobis addatur præter hæc quæ uisa sunt necessaria: primum uidelicet, ut abstineatis ab his quæ sunt simulachris immolata, ne uescentes uideamini superstitioni consentire, quam semel abnegastis: deinde ut temperetis à sanguine animatis, & à pecude suffocata, quibus lex uel sci prohibet: postremo ut abstineatis à scortatione, quam Gentes sibi putant esse felicitam &c.

Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam: & congregata multitudine tradiderunt epistolam. Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione. Iudas autem & Silas, & ipsi cum essent prophetae, uerbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt.

Non est alia doctrina quæ conscientiam nostram pacificat quàm Euangelium de Iesu Christo, in quo apostoli tradiderunt quod consequamur remissionem peccatorum & salutem, non propter opera legis, aut merita operum quamlibet bonorum, sed propter Iesum Christum per fidem. Gratissimæ igitur fuerunt literæ apostolicæ fratribus Antiochenis antea per impiam pseudapostolorum doctrinam turbatis, & magnam ex his consolationem acceperunt. Iudas autem & Silas quum essent & ipsi prophetae, periti sacrarum literarum, quod deerat epistolæ iuxta mandatum apostolorum suppleuerunt, copiosoque sermone exhortati sunt fratres, & confirmauerunt animos illorum, ut in bene coeptis persisterent.

Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus ad eos qui miserant illos. Visum est autem Silæ ibi remanere: Iudas autem solus abiit Ierusalem:

Non subito redierunt, sed insteterunt diligenter priuatim & publice, ut conscientia labefacta ad plenum consolidarentur, & crederent uerbis apostolorum, & conuiescerent in doctrina sacra & sana. Id uero non uno & altero die fieri potuit. Dimissi dicuntur à fratribus, qui eosdem ad aliquot tempus uelut renitentes tenuerant auidi doctrinarum. Cum pace dimiserunt, pacificatis utrinque fratribus in spiritu Christi, & ueritatis agnitione. Silæ uisum est spiritu sancto sollicitante, remanere Antiochia: Iudas uero solus rediit Hierosolimam.

Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & euangelizantes cum alijs pluribus, uerbum domini.

Nihil hic otio ignauia uel delictis datur, non inutiliter terunt apostoli tempus apud Antiochenam ecclesiam, docent & euangelizant uerbum dei, obeunt graue & laboriosam prouidentiam, sed utile & necessariam, deoque gratissimam. Huiusmodi doctrina clauis est, qua portæ regni caelorum aperiuntur, ut quisquis huic fide adhibeat, perpetuam felicitatem ingrediatur. Nihil ergo potius ducunt apostoli quam eam doctrinam non frigide docere, sed instare, urgere & inculcare. Nec hoc agunt tantum Antiochiæ, uerum etiam in omnibus alijs ecclesijs, docendo promiscue Iudeos & Gentes, omnibus annunciando salutem, quæ gratis offertur credentibus. Euangelio, hoc est sermoni dei.

Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes uisitemus fratres per uniuersas ciuitates in quibus prædicauimus uerbum domini, quomodo se habeant.

Hoc illud est quod Paulus ad Corinthios dicit: Incumbit, inquit, mihi quotidiana cura omnium ecclesiarum, quis infirmatur & ego non infirmor: quis offenditur & ego non uror: Exemplo igitur Pauli unusquisque suæ uocationi diligenter seruiat, sciens eam seruitutem cultum esse deo gratissimam. Quanquam autem hoc quod de sectanda sua uocatione dicimus, in Paulo imitandum sit, illud tamen quod nunc sequitur, non nobis imitandum proponitur, neque etiam exaggerandum nimis, dissentiunt etiam amici, & irritantur mutuum, & nunquam ad tempus prouocantur. Cum discipulos quos in Cypro & Pamphilia reliquerat reuidere destinasset in animo per singulas ciuitates in quibus prædicauerat sermonem dei, idcirco Barnabæ indicaret factum utile. Placuit hoc consilium Barnabæ, sed eius profectiois comitem esse uolebat Ioannem cognomento Marcum, de quo dicitur

Barnabas autem uolebat secum assumere et Ioannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphilia, & non esset cum eis in opus) non debere recipi. Facta est autem dissensio, ita ut discederent abinuicem,

Dissentiēs in hac re Paulus à Barnaba, existimabat eum Marcum non esse recipiendum in eius negotij consortium, qui pridem sua sponte defecisset ab ipsis, nondum expleto negotio quod instituerant, & à Pamphilia nauigasset Antiochiam. Hæc disceptatio usque ad eum inter eos incaluit, ut quum neuter alteri uellet concedere, uterque ab altero seingeretur. Non quod inter tantos apostolos ulla intercederet amarulentia, sed uterque contendeat obtinere quod arbitrabatur expedire negotio Euangelico. Atque interim non nobis exemplum paratur, ne statim existimemus damnandum quod à nostra dissidet sententia. Non obest sententiæ uarietas, modo concors sit animus ad prouehendum Euangelium. Ex apostolorum autem dissidio deus illud procurabat, ut segregatis duobus duobus latius etiā proferretur Euangelium quæ si perseverassent in pristino collegio.

& Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum: Paulus uero electo Sila profectus est, traditus gratiæ dei à fratribus.

Barnabas adiuncto sibi Marco in Cyprum nauigauit, ubi & natus erat: Paulus uero adiuncto sibi Sila (qui deo uolente & ordinante sancta dissensione & prouocatione quæ inciderat, iustis utrinque intentionibus, in hoc refederat Antiochiæ, ne Paulo deesset collega sanctus, & propheta graui quoque authoritate præditus) dimissus à fratribus & commendatus gratiæ dei profectus est quocumque uocaret spes ostensa profectus Euangelici.

Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias: præcipiens custodire præcepta apostolorum & seniorum.

Paulus quoque Ciliciam peragrabat, in qua & ipse natus fuerat, & proximam Syriam, ubique confirmans cœtus discipulorum, quos illic parauerat, & augens quod instituerat, præcipiens illis, ut quod apostoli senioresque statuissent Hierosolymis de fugienda simulachrorum communiōe, de scortatione, suffocato, & sanguine seruarent, alioqui liberi à Mosaicæ legis ceremonialibus oneribus. His in Cilicia peractis rursum peruenit Derben, deinde Lystram,

A Eruenit autem in Derben & Lystram. Et ecce, discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ fidelis, patre gentili. Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant & Iconio fratres. Hunc uoluit Paulus secum proficisci: & assumens circumcidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater eius erat gentilis.

Erat in Lystris discipulus quidam ex re nomen habens, dictus Timotheus, quasi dicas, deo pretiosus, natus ex impari matrimonio. Nam matrem habebat uiduam, quæ ex Iudaismo uenerat ad Christum, patrem habuerat Ethnicum. Huius Timothei probitas omnium fratrum testimonio prædicabatur, qui Lystris agebant & item Iconij. Paulus itaque nihil aliud sitiens quam per omnem occasionem indies latius proferri regnum Euangelicum, unde quaque uenabatur huic idoneos negotio, non aliter quam ambitiosi reges, in hoc intenti, ut ditiosis terminos proferant, nihil magis habent curæ quam ut duces et præfectos rebus gerendis aptos asciscant. Porro non satis est ducem Euangelicum mediocribus bonorum omnium testimonio commendatum esse, ne rumor malus etiam si uanus sit officiat Euangelico negotio. Timotheum igitur & insigniter probum & omnium probatorum testimonio comprobatum, Paulus cupiebat habere suæ professionis comitem. Atque hunc sibi adiunctum circumcidit, non quod crederet circumcisionem conferre salutem, quam sola fides adferebat, sed ne quid turbitus oriretur à Iudæis, quorum in illis regionibus erat magna multitudo. Maluit in Timotheo admittere iacturam pelliculæ, quæ nec addita facit sanctiorem nec detracta peiorem, quam hac occasione Iudæos, quorum pertinaciam nouerat alieniores reddi ab Euangelio. Decretum apostolorum quod Hierosolymis præsentem Paulo factum erat, liberabat Gentes ab onere legis. Totius autem legis professio quasi quædam symbolum quoddam erat circumcisio. Iudæi uero nondum quam legem huiusmodi oportebat paulatim & non subito aboleri, quando adhuc uidebatur consistere templum, sacrificium, sacerdotium, & Hierosolyma.

Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab apostolis & senioribus qui erant Hierosolymis. Et ecclesiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.

Quoniam autem omnibus constabat Timotheum matre Iudæa esse natum, patre Ethnico, & ex patris autoritate non fuisse circumcisum, perspiciebat Paulus utrumque probabili de causa tumultuatos Iudæos, si Timotheus semiludæus natus absque circumcisione, non solum admissus esset ad Euangelij consortium, uerumetiam ad doctoris Euangelici munus ascisceretur. Hoc Euangelij prouehendi studio sacro & laudabili quin & necessario ei tempore dedit Paulus, tranquillitati consulens omnium, qui Christum pacificum fuerant amplexi. Nec hoc solum fecit, uerumetiam per quasque ciuitates faceret iter, ne quid offenderetur Iudæi, tradebat istis, qui paganismo uenerant ad Christum, ut seruarent ea quæ Hierosolymis erant decreta ab apostolis ac senioribus, cuius rei gratia legati fuerant Antiochiam Iudas & Silas. Aderat Pauli conatibus fauor diuinus. Nam ecclesiæ discipulorum & confirmabantur in fide Euangelica, & indies augebantur,

tur, accrescente numero credentium. Et huius modestiæ fructum uide. Timotheus paulò ante circuncisus, nunc prædicat cum Paulo Gentibus circuncisionem non esse necessariã, atq; ita sua circuncisione abrogat circuncisionẽ quantum in se est. Expeditissima itaq; ratio liberandi homines à superstitiosis opinionibus est, si doceatur res liberas iuxta charitatis amissim dirigendas esse, non autem remissionem peccatorum & iustitiam in earũ obseruatione ponendam.

Transeuntes autem Phrygiã & Galatiã regionẽ, uerati sunt à spiritu sancto loqui uerbum dei in Asia.

Quum peragrassent Phrygiã & Galatiã regionẽ non sine magno fructu, tamen gens esset magnopere crassa barbaraq; cuperentq; proficisci in eã partem quæ proprie dicitur Asia, uerati sunt à spiritu sancto ibi loqui sermonẽ Euangelicum. Atq; illi paruereunt occulto dei iudicio, cui non decet hominẽ reluctari. Miseretur enim dominus cuiuscunq; miseretur &c. Omnes autẽ homines filij iræ sunt, & digni morte. Ideo si dominus aliquot ex hoc damnatorũ hominũ genere clementer liberat, & donat salute, non est hominis meritũ, sed dei misericordia: si reliquos perire sinat nõ est crudelis iniustitia, sed dei prouidentia et iustitia, qui nihil inique dispensat, sed sancte omnia. Agnoscimus ergo dei clementiã, qui cum optimo iure damnare possit homines, saluat tamen, & misericorditer seruat. Vbi uero agnoscitur misericordia dei, ibi augetur fides in dominũ, qui si iniquitates obseruet, quis sustineret? Huius ergo dispensationis diuinæ agnitio hortat ad obsequiũ dei & ad gratiarũ actionẽ, ad timorẽ quoq; et reuerentiã.

Cum uenissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniã; & non permisit eos spiritus Iesu.

Mutato cõsilio flexerũt iter ad Mysiam, cui proxima est Asia proprie dicta: inde tentabãt proficisci in Bithyniã, reflectentes ad Septentrionẽ. Erat enim celebris Romanorũ prouintia, & ideo sperabant illic amplum lucrũ, sed nõ passus est spiritus Iesu illuc proficisci. Quid autem Asia et Bithynia sceleris cõmiseret, ut indigni sint prædicatione Euãgelij? Quid Macedonia boni fecit, ut digna Euangelio fuerit iudicata? Si harum Gentiũ spectes uel religionem uel mores, inuenies ubiq; idololatriã & turpissimã uitã. Et fortassis atrociora scelera in Macedonia reperies, qui olim inuaserunt et uastauerunt totum orbem bellis sub Alexandro. Quid autẽ in bellis discitur, nisi impietas omnis generis? Non est ergo causa alia inquirenda quàm sacrosancta domini dei uoluntas, sancta qui dem & sanctissima, etiã si nobis sint occulta uoluntatis suæ instituta, qui nihil mali uult, nihil boni non facit & promouet. Cuius uoluntatis est imperscrutabilis ratio, certa est autem iustitia eiusdem, & summa in omnibus uolitis æquitas. Nostrum est, ut quæ æqua scimus uelimus & precemur, & ab omni iniquitate abhorreamus, si summo bono placere uolumus.

Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem: & uisio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos.

Reflectentes ad occasum, peragrata prius Mysia, uenerunt Troadem. Ea ciuitas est littoralis Phrygiæ, eadem dicta Antigonía. Ibi Paulo per quietẽ ostensa est uisio, quæ doceret quò deberet proficisci. Visio uero talis erat. Adstabat illi uir quidam specie cultuq; Macedonis, qui deprecabatur illum, dicens: Proficiscere in Macedoniam, ac nobis succurre. Quis uir ille alius esse potuit quàm angelus illius regionis protector? Deus enim administrat regna huius sæculi

per angelos suos administratorios spiritus; unde & in Daniele, angeli pro regionibus suis aduersus satanam pugnant. Curat enim deus pro eis quos diligit, etiam nescientibus, & non requirētibus. Nam Macedones idololatræ ne nomen quidem Euangelij aut Christi audierant adhuc, tantum abest ut requisierint. Quia tamen deus dilexit illos, ideo angelum mittit, qui procuret illorum salutem, proque illis sollicitus est, ut Euangelium audiant, idque per Paulum prædicatorem egregium, non per angelos. Qui non proficiscitur, nisi per reuelationem acceptam certior redditus. Nihil enim conandum nobis publice uel priuatim, nisi de uocatione domini redditis certiores.

Vt autem uisum uidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniã, certi facti quod uocasset nos deus euangelizare eis.

Uisionem huiusmodi simulatque uidit Paulus, qui iam semel atque iterum prohibitus fuerat à spiritu sancto prædicare sermonem Euangelicum, gauisi sunt illius comites Silas & Timotheus cum reliquis. Inter quos & Lucas hæc scribens erat; non enim paucos comites habebat uir talis ac tantus. Statim ergo curatum est, ut Macedoniã proficiscerentur, certi quod eò uocasset dominus, ut Euangelium illis prædicaretur, ac rem deo fortunante successuram minime dubitabant.

Nauigantes autem à Troade, recto cursu uenimus Samothracen, & sequenti die Neapolim: & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas colonia.

Soluentes à Troade prædicta urbe littorali Phrygiæ, atque præternauigata Chersoneso peruenimus ad insulam Samothracen, Thraciæ oppositam: atque hinc proximo die Neapolim, quæ ciuitas est maritima in confinio Thraciæ & Macedoniæ; hinc Philippos. Ea ciuitas colonia prima occurrit à Neapoli petentibus Macedoniã

C Eramus autem in hac urbe diebus aliquot consistentes. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, ubi uidebatur oratio esse: & sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant.

Commorati sumus in hac ciuitate dies aliquot, expectantes occasionem aut spicandæ negotij, cuius gratia ueneramus: nihil enim importune tentandum. Die autem sabbati egressi sumus ciuitatem, in locum qui erat extra portas, uicini fluminis, ubi solebat esse conuentus hominum ad precandum. Vbi uideamus Paulum & comites cum Iudæis Iudæos agere. Sabbatizantibus enim Iudæis sabbatizant & ipsi, Iudæis publicas preces obseruātibus obseruant & ipsi, interim tamen procul abfuerunt à Iudaica superstitione uel incredulitate. Opus quidem sabbati & precationis cum Iudæis obseruare licuit, non autem licet impie cum ipsis sentire de sabbato. Non autem alia ratione Paulus sabbatum agit cum Iudæis quam ut ea occasione prædicaret illis, & Christum prædicaret. Dicit etiam: Sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant. Neque id colloquium male cessit: erat enim non de rebus uanis, quod bonos mores corrumpere solet, sed de rebus pietatis, de Iesu Christo, quod hic sit iustitia & redemptio fidelium.

Et quædam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirorum, colens deum, audiuit: cuius dominus aperuit cor, intèdere his quæ dicebantur à Paulo.

Euangelium illic maxime omnium fructum proferre solet, ubi omnium minime sperabatur. Hæc Lydia quæ hic euangelio renascitur erat purpurarum uenditrix ciuitatis Thyatirorum, diues quidem, sed tamen per dei gratiam fit non inepta regno cœlorum. Quod uero dicitur, Colens deum et religiosa, uidebatur potius causa ob quam persecutura erat euangelium, ad cuius exemplum Paulus est à religiosis foeminis electus ex Antiochia, nimirum zelum dei habentibus, sed non iuxta scientiam. Hæc tamen præcipua mulier & mercatrix agnoscit euangelium, & respiscit. Fit autem hæc respiscencia non ex natura, sed gratia. Cuius, inquit, cor dominus aperuit, ut intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Nemo enim euangelio fidem adhibere potest suis ipsius uiribus, sed dono spiritus sancti, non præsumptione nostra. Audientes ergo euangelij promissiones, desperemus de carnis uiribus: precemur autem dominum ut aperiat cor nostrum, tribuat donum spiritus, ad corde credendum, & factum implendum, quod agendum audimus.

Cum autem baptizata esset, & domus eius, deprecata est, dicens: Si iudicatis me fidelem domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos.

Postquam baptizata est una cum sua familia, deprecata est Paulum, & illius comites, dicens: Si me iudicatis hoc honore dignam, ut per baptismum ac doctrinam uestram in euangelij consortium reciperetis, habete mihi quoque uicissim hoc honoris, ut diuertatis in domum meam, nec aestimetis me ut Ethnicam, qualis modo fui, sed qualis nunc per fidem euangelicam uestro ministerio facta sum. His precibus coegit apostolos, ut apud ipsam aliquandiu diuersarent. Interim uero doctoribus euangelicis exemplum præbitum est, ut nec refugiant officium ultro delatum ab his qui nuper conuersi sunt ad Christum, si prompte & perseveranter offerant, ne uideantur illos parum pro suis agnoscere, nec rursus ingerant sese illis, ne uideantur pro comunicata doctrina euangelica præmiu[m] reposcere. Sed qui spirituale beneficium accepit, debet benemeritos ad corporale beneficium recipiendum, si forsitan opus sit, compellere. Liqueat hic fidei efficacia in muliere, quæ periculo suo et rerum Christianismum amplectitur, familiam curat deo colligendam simili fide, magnis precibus obtinet, ut non tantum Paulus, sed multi cum eo comites sustententur inuitis maleuolis.

Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam **D** habentem spiritum pythonem obuiare nobis: quæ questum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat, dicens: Isti homines, serui dei excelsi sunt, qui annunciant uobis uiam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus.

Pythonicus hic spiritus est mera satanae impostura, ludetis uanas gentium mentes, unde ferè aut obscura erant aut captiosa oraculorum huiusmodi responsa data consulentibus. Sunt qui huiusmodi uates uentriloquos nominant, quod immundi spiritus non ex ore eorum quos obsederunt, sed ex uentre responsa dabant. Satanae autem ludibriu[m] est, quicquid id est superstitionis, ideoque deus mandat huiusmodi affici ultimo supplicio Deut. 18. & Leuit. 20. Ex horum numero fuit hæc quoque ancilla, habens spiritum Pythonis, quæ & diuinando magnificentum questum adferebat dominis suis. Hæc assecuta Paulum & comites, in clamabat uera quidem, sed ad finem perniciosum. Conferebant homines huic puellae dominis magnas opes, ut ab ipsa audirent nescio quæ futura & admiranda, interim tamen Paulum & comites durissime tractant. Est autem ingenium satanae men-

clax, quod sit mendacij pater, non tantum eo nomine quod manifesta semper mendacia loquatur, sed quod etiam manifesta ueritate ad persuadendum mendacia abutitur, & ad fallendos homines, ut specie ueri falsum persuadeat.

Dolens autem Paulus & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora.

Satanæ nõ profunt sui astus contra Christũ; nam & Christus huiusmodi eijcit, & loqui prohibet, Paulus uero hic in nomine Christi ei præcipit ut taceat, et à puella exeat, manifesto miraculo significãdo, quod & si satan interdũ uera dicit, tamẽ ad fallendũ dicit. Ad uocẽ igitur satanę siue uerã siue falsam aures omnino claudẽdæ sunt, ne mēdacijs satanæ à qualicũq; ueritate seducamur. Quod etiã satan in nomine Christi ex hac puella eijcit, confirmatio est potentia euan-gelij de Iesu Christo, adnũciante remissionẽ peccatorũ per Iesum Christũ, quod est tantæ energiæ, ut quisquis in illud crediderit, corã deo iustificetur, & salutẽ consequatur æternam: utq; intelligamus Christum longe potentiorẽ esse satana quantumlibet malignanti.

Videntes autem domini eius quia exiuit spes quæstus eorũ, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes: & offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatẽ nostram, cum sint Iudæi: & annunciant morem quem non licet nobis suscipere neq; facere cum simus Romani.

Intelligimus ex hoc satanã quidẽ dereliquisse puellam, dominos autẽ inuasisse, simulq; qui antẽ tranquillus dominos puellæ obsederat, nunc expulsiõne fit cõmotior & concitior, ut Paulo cũ comitibus extremũ inferre conetur exitium. Satis quoq; claret hos dominos obsessos fuisse auaritię spiritu, qui satis est placidus, si omnia ei ex sententiã proueniãt, si subinde maiori quæstu ac lucro distelcat: si uero irritetur, omne quãlibet graue nephas audet, tantũmodo ut quæstum suũ retineat, nunc furatur, nunc prædat, nunc homicidia meditatatur, tantum ut potiatur uolitis. Exempla sunt Giezi minister Elisei, Ananias & Saphira, Sila seruus Miphoboseth, & Iudas Iscariothis. Et hæcenus quidẽ pmouente quæstu ipso domini non uehementer solliciti fuerunt de prædicatione Pauli. Nunc autẽ cum sentiunt se spe lucri sui destitui ppter prædicationẽ Pauli, tanto furore cõprehenduntur, ut crudeliter in eos manus iniçiant, apprehesos ad principes & magistratus trahãt, seditionis, defectionis à Romanis & hæreseos quæ sunt crimina capitalia accusent, quo opprimant, & prorsus extinguãtur. Non ipsi dicunt in accusatione, Nos auari sumus, hæcenus ex diuinatione impia uicti uimus, nunc hi ueritatis præcones nos impediunt in impositione nostra, sed aiunt: Hi homines cõturbant ciuitatẽ nostrã, annunciant nouã fidem, quã non licet suscipere uel seruare inuitis Romanis, quibus subijçimur & parimus. Atq; is est mos satanæ, ut ostendet sese non sua ipsius specie, nouit enim se turpiorem esse quã ut recipiatur, sed uenditet se specie iustitiæ & zeli.

2. Cor. 11. f

E Et cucurrit plebs aduersus eos, & magistratus scissis tunicis suis, iusserunt eos uirgis cædi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerẽ, præcipientes custodi ut diligenter custodiret eos.

Magistratus hic peccat, iram in consiliũ adhibens, & præcipiti furore in apostolos sæuiens: nihil autẽ recto iudicio magis officit q; præceps ira: breuis infamia, malus cõsiliarius. Fert quoq; sententiã, non explorata causa, nondũ audita altera parte, quo in magistratu nihil neq; iniustius nec iniquius dici potest. Innocentes

nocentes quoque homines contra suas ipsorum leges uirgis cedit, in carcerem ueluti latrones coniecit, quum principes non debeant esse terrori bene agentibus, sed male. Erat inuisum apud illos Iudaeorum nomen, populus quoque concursu facto ferebatur in apostolos: magistratus quod populo furenti satisfaceret, discissis apostolorum tunicis iusserunt eos uirgis cedi. Nec hac poena contenti, posteaque illis multas plagas intulerunt, coniecerunt eos in carcerem, mandantes carcerario ut diligenter eos seruaret.

Qui cum tale preceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.

Satanas ut magistratum adegit ad scelera perpetranda, ita conatur etiam apostolos ad perfidiam detrahere. Efficat enim ut coniecantur in carcerem, pedesque eorum ligno stringantur, ut impatientes fiant & desperent, causamque suam quam est euangelij, propter huiusmodi captiuitates iniustam iudicent. Hæc erant auspicia Macedonicae prædicationis. Semper autem aut quæstus, aut ambitio, aut superstitio rebellat euangelio. Porro quum atrocissime sequit mundus in membra Christi, tum maxime adest cœleste solatium. Tantum uero abest, ut de iustitia suæ causæ dubitent ac contumelias aduersus deum impatienter efflent, ut potius nomen domini commendent, & summis laudibus euehant.

Media autem nocte Paulus & Silas adorantes laudabant deum. Et audiebant eos qui in custodia erant. Subito uero terræmotus factus est magnus, ita ut mouerentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: & uniuersorum uincula soluta sunt.

Media nocte Paulus & Silas oblitum uerberum, oblitum carceris, precabantur & hymnos canebant deo, gratias agentes illi, quod famulos suos dignaretur hoc honore, ut ob ipsius nomen hæc paterentur. Cæteri uero quos idem carcer habebat, audiebant illos lætis uocibus modulantes laudes deo, & filio illius Iesu Christo, demirantes unde in rebus tam non lætis tanta lætitia, & quod pro suis orant aduersarijs. Norunt enim apostoli quod mundus non aliter remunerat suos benefactores quam maleficijs, & quod, ut dici solet, gratia satanae sint huius sæculi merces. In mundo, inquit Christus, afflictionem habebitis, & si de mundo fueritis, mundus quod suum est diligeret. Subito autem illis deum laudantibus, terræmotus factus est ingens, adeo, ut totus carcer à fundamentis concuteretur. Simulque patefacta sunt omnia ostia carceris, & uincula omnium sunt soluta. Vbi uirtus orationis agnoscitur, quæ ex fide proficitur, & quam prope sit dominus inuocantibus eum, sed in ueritate: si non semper carceres commouet, cœlum tamen penetrat, ubi dominus nunquam non exaudit credentes, & à periculis liberat.

Expergefactus autem custos carceris, & uidens ianuas apertas carceris, euaginato gladio, uolebat se interficere, existimans fugisse uinctos. Clamauit autem Paulus uoce magna, dicens: Nihil tibi male feceris: uniuersi enim hic sumus.

Hoc tumultu expergefactus carceris custos, quum accurrisset ac reperisset omnia carceris ostia patefacta, atque hinc conieceret fugisse uinctos, memor quale mandatū acceperat à magistratibus educto gladio parabat sibi necem consciscere, malens suapte manu perire, quam post multa tormenta per carnificem occidi. Id Paulus etiam per tenebras cernens, uoce magna clamauit, ut uel attonitum hominem redderet attentum, dicens: Caue ne quid tibi ipsi feceris mali, quando nihil à nobis tibi mali uenturum est: sumus enim hic omnes, neque quisquam nostrum effu-

git. Discimus insignem Pauli pietatē erga durum custodem, à quo fuerat coniectus in interiorē carcerē, crudeliterq; constrictus fuerat pedes ligno. Nō conuiuet enī Paulus ad eadē custodis, qui crudeliter ipsum tractauerat, nō pponit exitū ē carcere occiso custode, sed à cede custodē reuocat, hortatq; ut nihil mali sibi inferat. Quid hoc aliud est, quā ut malit periclitari q̄ custodem perire?

Petitoq; lumine introgressus est: & tremefactus, procidit Paulo & Silæ ad pedes: & producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere ut saluus fiam? At illi dixerūt: Crede in dominum Iesum: & saluus eris tu, & domus tua.

Ad hanc uocē sibi redditus custos, iussit ministros adferre lumen, quūq; deprehendisset ita rem habere, cognouissetq; rem non arte factā humana, sed potentia diuina, simulq; considerans q̄ Paulus per tenebras uidisset quid ageret, & quam ob rē id ageret, intrauit in interiorē carcerē, acciditq; ad pedes Pauli & Silæ, neglectoq; mandato quod acceperat à magistratibus, educit eos à carcere in locū cōmodiorem, dicens: Domini, quid mihi faciendū est ut saluus fiam? Vult permutare salutē, consuluit illorū uitæ, uult & animæ suæ uitæ cōsuli per illos. Aiunt illi: Crede in dominū Iesum, & saluus eris unā cū familia tua. Hanc autē repentinā custodis mutationē dei clementiæ et misereni deo adscribendā putemus, ut repente in aliū hominē transformatus, quærat solícite statim quomodo saluetur. Obseruandū autē diligentius, quid ei subinde apostoli responderint. Crede, inquiūt, in dominū Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Quare non iubent operibus multis & sanctis satisfacere pro tot peccatis suis in deū & hoīes. Sed aliter apostoli docēt, nempe Christi doctrinā, solū Iesum Christū esse expiatorē peccatorū, qui pro peccatis mundi totius satisfecerit, & q̄ omnis qui in ipsum credat habeat per fidē remissionē peccatorū. Nec tamen hæc fides res est leuis & uana, uel etiā otiosa. Iustificatus enim fide in spiritu sancto, studiosissimus fit in obsequio dei, & in obseruantia studiosa mandatorū dei, in qua si declinet ardentē & ex fide orans saluat, & pœnitentiā agit, iā denuo iustificatus.

Et locuti sunt ei uerbum domini cum omnibus qui erant in domo eius. Et tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorū: & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuo.

Statim inibi in loco carceris uel carcerarij, apostoli explicuerunt illis congregatis in unū doctrinā euangelicā. Vides nullum tempus, nullū locū nō esse idoneū euangelicæ pietati. Teterimus ille carcer templū erat apostolis. Nō obstabat intempesta nox illorū hymnis, in carcere predicatur euangeliū, & præda attrahitur Christo. Carcer euangelij cathedra est. Nec mora, statim custos catechumenus gratiā referre festinat catechistæ suo. Mox enim abduxit illos seorsum, & abluit plagas eorum, eos quos fuerat iussus diligēter custodire, liberos educit, periculo capitis sui, adeoq; nunc agit fortem uirū, quū antea sese occidere desperabiliter tentasset. Deinde baptizatur, quia iam credebat, & dominum confitebat, edoctus ab apostolis: pedes quos prius ligno strinxerat, nunc abluit & ueneratur, & mensam quoq; apponit, charitatis opera diligenter explendo, ut uideas ueram fidem per charitatem operantem.

Cumq; perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & laetatus est cum omni domo sua credens deo.

Deduxit his gestis apostolos in ædes suas, ubi consueuerat interdū habitare, & apposuit illis mensam, ut reficerēt corpora sua. Post baptismū enim conuenit

nit mensē cōmunio. Ac sibi gratulatus est custos carceris, quod tales uinctos habere contigisset, per quos crediderat euangelio cum tota sua familia. Adeoq̄ iā & ipse lætus, mortē propter Christum expectat, qui prius apostolos morte propter Christum afficere uoluisset.

Et cū dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: **Dimittite homines illos. Nunciauit autē custos carceris uerba hæc Paulo, Quia miserunt magistratus ut dimittamini, nunc igitur exeuntes ite in pace.**

Statim ut diluxit, magistratus re diligentius p̄pensa, miserunt uiatores ad custodē carceris, mandantes ut Paulū & Silā fineret abire liberos. Custos his auditis, & suo & apostolorū nomine gaudens, renūciauit hæc uerba Paulo, q̄ magistratus iussisset illos abire liberos. Nunc igit̄, inquit, quoniā res bene cessit, abire cū salute, salui, incolumes & liberati. Iam enim magistratus in clementiā uel etiā p̄nitentiā mutatus fuit; iusserant apostolos uirgis cędi, in carcerē conijci, nulla legitima causa ira præcipitati, interposito noctis spacio, ira sedata, & furoris affectu, redeunt ad mentē, intelligunt temeritatē, cōperiuntq̄ apostolos propter benefacta afflixisse. Vbi discimus præcipitis iræ ut comes sit p̄nitētia. Iā uero uolebant primores urbis apostolos clam discedere, ut ignota esset illorum innocentia, quin potius putarentur ut scelerum conscij, carcerem effregisse.

Paulus autē dixit eis: **Cæsos nos publice, indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occulte nos eijciunt: Non ita: sed ueniant ipsi, & nos eijciant.**

Paulus cupiens & suam innocentia reddere testatorē, & occasionem querens pluriū etiā salutē consulendī, respondit nuncio: Quū se gloriantē esse Romanos, & Romanorū legibus non liceat quenq̄ afficere supplicio, nisi auditū & conuictū: nos homines Romanos nec auditos & indemnatos, publicitus uirgis cęciderunt, & quasi parū id esset, cæsos coniecerūt in carcerē. Nunc suæ cōsulentes authoritatē, & nostrā grauantes innocentia, postulant, ut quasi nobis male conscij profugerimus ē carcere, clanculū hinc nos subducamus. Non ita fiet: sed ueniant ipsi, & quo iure nos cōiecerunt in carcerē, eodē iubeant abire. Quondā nulli nec priuato homini nec magistratui p̄missum fuit grassari in eos qui habebant ius Romanę ciuitatis. Erat enim lex à Valerio Publicola lata, Ne quis magistratus ciuē Romanū aduersus p̄uocationē uerberaret uel necaret. Ideoq̄ iniurias ciuibus suis illatas, semper grauissime ulti sunt, quo & factū est ut eo auctius & stabilius imperiū suū effecerint. Quū igitur Paulus potuerit humano iure hanc iniuriam uindicasse, domino tantū cōmendauit, unico tamē illo contentus fuit, ut quia publice uirgis esset cæsus, & carceri inclusus, publice etiā innocens declararetur.

Nunciauerūt autem magistratibus lictores uerba hæc. Timuerūtq̄ audito quod Romani essent: & uenientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant ut egrederentur de urbe.

Hanc orationē Pauli necessariā, iustā & dignā apostolico nomini nō fastuosam uel superbā referūt uiatores magistratibus, qui simul ut audissent q̄ essent ciues Romani, uenerūt ipsi ad Paulū & Silā, deprecatiq̄ sunt illos ut ignoscerent, quod per populū tumultū præter iuris Romani morē factū esset, & honoris gratia deducētes illos ē domo carcerarij, rogabant, ut ob tumultū populū uitandū secederent à ciuitate Philippensi. Non illi Philippenses timent, quia iniuste illos afflixerunt quod peccarint, sed tantū ne à Romanis periculū illis immi-

neat, quod ciues Romanos iniuria affecerint. Hæc enim est humani ingenij natura, ut non iniquitatem sed iniquitatis supplicium horreat: cum sit pijs timenda iniquitas ipsa, magis quam iniquitatis pœna.

Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & uisis fratribus, consolati sunt eos, & profecti sunt.

Precibus magistratus obtemperant apostoli, & egressi de carcere, profecti sunt ad domum Lydiæ, cuius hospitio fuerant usi, quæ cum tota familia receperat sermonem euangelicum. Hac igitur reliquisq; fratribus uisis, consolati sunt eos, narrâtes quid accidisset noctu in carcere, & exhortantes ut in eo quod ceperant perseuerarent. Eo facto relictiis Philippis aliò profecti sunt. Quamquam autem discesserit à Philippensibus corpore, tamen inuisit eos pulcherrima epistola & pijsissima, in qua ipsorum fidelium fidem prædicat, & afflictiones quas pertulerunt à magistratibus post Pauli discessum non mitigatis sed ferocioribus in eos qui in Christum credebant, eximiam quoq; charitatem quod ipsi soli communicaauerint ei sumptum, ut alijs euangelium gratis annunciarer.

CAPVT XVII,

A **U**m autem perambulassent Amphipolim & Apolloniam, uenerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudæorum.

Cum iter fecissent per Amphipolim & Apolloniam, peruenerunt Thessalonicam. Ea est Macedonia metropolis. Hic ob urbis celebritatem erat synagoga Iudæorum, atq; hac occasione spes uberioris profectus ostendebatur in Iudæis & Gentibus. Sciebat enim Iudæos è uera olea exectos, Gentes autem insitas esse, unde & quoquo modo potest consulit saluti Iudæorū, ut optret etiã anathema esse pro fratribus, quos sciebat habere quidem studium legis, sed nõ secundum scientiam, inter quos sciebat quemadmodum & sub Elia septem milia uirorū relictos dei cultores, & Christi agnitores, reliquias scilicet Iudaicas, quæ secundum electionem dei gratiam consequerentur & salutem, iuxta illud Esaiæ: Si fuerit numerus filiorum ut arena maris, reliquiæ saluæ erunt.

Secundum consuetudinem autem Paulus introiuit ad eos: & per sabbata tria differebat eis de scripturis, adaperiens & insinuans quia Christus oportuit pati & resurgere à mortuis: & quia hic, est Christus, Iesus quem ego annuncio uobis.

Paulus ex more suo ueniebat in conuentum synagogæ, ac per tria sabbata differebat apud eos, proferens ex scripturis oracula prophetarum, & aperiens ænigmata figurarum, allegans testimonia legis. Hisq; collatis cum his quæ gesta fuerant, docuit ita decretum deo fuisse ut Christus pro salute mundi sic pateretur, ac resurgeret à mortuis. Quoniam autem omnia quæ prædicta fuerant de futuro Messia per ora prophetarum, quæq; figuris fuerant adumbrata, congruerent in Iesum Nazarenum, docuit Iudæis non alium Messiam esse expectandum, sed hunc esse Christum quem annunciarer illis, sedulo instando & urgenti prædicatione sua & studio, non tantum oratione & desiderio pro uoluntate propensissima eius ad Iudæos, quamlibet ab eisdem plurimum impediretur, & aduersa pateretur, non tamen cessat sperare. Quo exemplo admonet Ecclesiastas, magistratus & patres familiâs officij sui, ut pro commissis solliciti sint precando & satagendo opera pro uirili quemq; suo modo. Nihil autem aliud docet Paulus ubiq; nisi Christum, & hunc crucifixum, in quo salus & iustitia per fidem obtinetur, qui ut solus natura iustus uenit in hunc mundū, ut omnis qui in ipsum

in ipsum credit, habeat remissionē iniustitiæ suæ, & salutē cōsequat̄ per ipsum. Hūc Paulus docet uerū quidē Messīā, sed oportuisse eū pati & resurgere, per quō passionē intrare in gloriā suā, per quō afflictiones maximas, hoc est mortē crudelissimā & contēptissimā ascēdere in gloriā & honorē maximū, in quo regnaturus sit sine fine. Ex quo sequit̄, regnū eius spirituale esse, ut perpetuo durare queat.

Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus gentilibus multitudo magna, & mulieres nobiles nō pauca.

Vides ingentē paucarum concionū tractum. Quum enim tribus tantū sabbatis differuisset in synagoga, nonnulli Iudæorū crediderunt & adiuncti sunt Paulo ac Silæ, quī & ex Gentibus magna multitudo deum timentium credit, & ad Christum conuersi sunt, nec uiri tantum, sed & mulieres, adeo quō non obscuræ sed primariæ. Argumenta aut̄ huiusmodi concionū non tantū in hoc libro, sed & in epistolis Pauli & euāgelij cōtinentur, ubi & declarāda fuerint.

Zelantes autem Iudæi, assumentes quō de uulgo uiros quosdā malos, & turba facta, concitauerunt ciuitatē; & assistentes domui Iasonis, quæ rebant eos producere in populum.

Contra hunc euangelij profectū Iudæi quidā nimīū studiosi legis Mosaicæ, quā tamen non intelligebāt quō iuxta carnē & literā, quibus & Paulus aliquando fauerat pharisæus, hi zelo accensi furioso non rationabili, adiunctis sibi circūforaneis aliquot uiris malis (taliū enim opera opus est quoties res per tumultum agit) coacta turba concitauerunt ciuitatē. Ac per tumultū adorti ades Iasonis conati sunt Paulū & Silam producere in populum. Hos satanas decipiebat, & mēdacij instruit sub specie ueritatis & honestatis, primo quidē specie legis Mosaicæ, suadēs euangelīū de Iesu Christo heresim esse perniciosam, ut psuasi sint Paulū esse pestilentissimū pseudopphetā. Hoc zelo pestilēte satan impellit eosdem ad homicidia designanda, etiā per seditiosum tumultū, & perniciosissimum urbis tantæ & liberæ. Et nondum finis est scelerum, sequitur enim.

Et cum non inuenissent eos, trahebant Iasonem & quosdam fratres ad principes ciuitatis clamantes: Quoniam hi qui orbem concitant; & huc uenerunt, quos suscepit Iason: & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Iesum.

Quum non inuenissent apostolos, furorem suum in hospitem apostolorum nomine Iasonē effundunt, impetu quō in eum ac fratres quosdam Christo credentes facto, non ducunt, sed trahunt eos ad magistratus urbis, accusant quō Iasonē tanquam urbis proditorē, quia excepisset hospitio qui totū orbem conturbant, & defectionē à Romano imperio prædicant, dicentes Iesum quendā esse regē, cui omnes obedire debeāt. Hoc aut̄ quid est aliud, inquit, quō aduersus decreta Cæsaris facere, qui grauissimis edictis uetuit, & nos iuramentis nostris recipimus, ut præter se aliū non agnoscamus? Huiusmodi querelis obtinere conantur, ut à magistratu occidantur, & hæc zelo dei faciunt, ac bona, ut dicunt, intentione, hac uia gloriā dei defensuri, quam euangelio Christi prorsus labefactam clamant. Seditioem causantur concitari ab apostolis, quam ipsi Iudæi ambiunt, quemadmodum & alij impij in alijs urbibus. Et nemo magis inuidebat Romano Cæsari quā Iudæi, unde & frequentissimis seditioibus debacchantur aduersus magistratum à Cæsare constitutum in Iudæa, & subinde disputant, Si liceat tributum dare Cæsari. Accusant tamen euangelīū, quod defectionem ab imperio molitur, Sic hodie quoque malorū authores impij culpam

reijciunt in pios. Sic Achab famem trium annorum reijcit in Eliam. Eximium quoque Iasonis hospitalitatis exemplum notandum est, qui cum apostolos hospitio excepisset, intelligeretque queri ad supplicium, clanculū dimittit eos, & exponit se pro ipsis periculo, testādo fidē suā in Christū, qui potēs est suos defendere.

Concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis audientes hæc. Et accepta satisfactione à Iasone & à cæteris, dimiserunt eos.

Eiuscemodī exitum omnes accusationes impiorū aduersus pios habere solent. Nam dum pij accusantur, fremit quidē mūdus aduersus ipsos, & indignatur, & furit, & atrocissima minatur supplicia. Nihilominus tamen pij euadunt etiāsi trucidentur ab impijs: si opes amittant, uitā tamen assequuntur & gloriam sempiternā, diuitiæ eis perpetuæ restituntur, acquirunt uitā animæ & corporis. Pius ergo homo tanto magis spem suam ponat in dominū, quanto impij magis insaniunt. Hic uero magistratus Thessalonicensium prudēter fungitur suo officio, nihil præcipitanter agit, audit partes, purgatos dimittit.

Fratres uero confestim per noctē dimiserunt Paulū & Silam in Berrhoeam. Qui cū uenissent, in synagogā Iudæorū introierunt. Hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonica, qui susceperunt uerbū cum omni auiditate, quotidie scrutātes scripturas, si hæc ita se haberēt.

Fratres ubi senserunt rē magnis odijs agi in Paulū & Silā, nihil contacti, noctu clam emiserunt illos Berrhoeam. Ea ciuitas est Macedonia, nō pcul à Pella, patria Alexandri Magni. Sic fugiūt duces euangelij, ut nihilosecius fugientes pugnent. Etenim simul atque uenissent Berrhoeā, ingressi sunt synagogā Iudæorum, nihil deterriti tot iam seditionibus à Iudæis cōcitatatis. Hi uero generosiores erant Thessalonicensibus: nam sermonē euangelicū receperunt summa cū animi promptitudine, quotidie uacantes scrutādīs diuinis scripturis, ut cognoscerent quemadmodū ea quæ didicerant ex apostolorū narratione, cōuenirent cū oraculis prophetarū ac figuris legis. Ex solis scripturis discit Christus: qui aliud docent que scripturas, illi nō docent Christū, sed humana. Oēs igitur doctrinæ debent sic pbari, sicut hic dicit, ut exigant ad scripturas, an illis sint consentanea. Neque quicquid admitti debet in ecclesia, nisi de quo certò constat quod scriptura sit, & purū uerbū dei, Rom. 3. Iustitia dei pbatu testimonio legis & pphetarū. Quod uero nobiliores dicuntur, cū in uocatione Christiana nō sint multi sapientes secundū carnē, non multi potentes, non multi nobiles, discimus difficile quidē tales nobilitatē suā aestimare posse, ppter Christū ut ster cora: tamē ut nec deus, ita nec euangelij respicit psonas, sed in quouis gēte, in quouis ordine, in quouis hominū statu, qui credit euāgelio Christi, is acceptus est illi. Porro Thessalonicensis fatan, nec Berrhoeæ euangelij ferre potuit, irrequietus sanē & que sollicitus persecutor euangelij, & idem quoque nolens promotor eiusdem.

Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum gentilium honestarum, & uiri non pauci.

Multi Berrhoeensium non solum Iudæi, uerum etiā Græce, hoc est Ethnicæ mulieres honestæ, ac uiri nō pauci, crediderunt prædicationi apostolorū psuasī scripturis, & gestis Christi collatis fideliter. Quum aliās nos magis persecutos fuisse legamus euangelium, quàm nobiles uiros & religiosas quoque & honestas mulieres. Habet ut dictum est Christus in quolibet hominū statu suos electos.

Cum autem cognouissent in Thessalonica Iudæi, quia & Berrhoeæ prædicatum est à Paulo uerbum dei, uenerūt & illuc, commouentes & turbantes

turbantes multitudinem. Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt ibi.

Vbi rumor pertulisset Theffalonicam ad Iudaeos, qui illic concitauerant tumultum, quod Berrhoea praedicatus esset sermo euangelicus a Paulo, quem expulerant, eodem profecti sunt, suoque more & illic concitauerunt multitudinem aduersus apostolos. Tam inuisos satan habet euangelij pracones, fideles & constantes, ut ubique persequi eos moliantur, & requiem non admittat. O si aliqua saltem ex parte tam diligentes euangelij sectatores essemus quam diligens persecutor est satan in suis membris. Et nos hodie similia cernimus quam sint euangelij persecutores longe studiosiores ad persequendum quam sint eiusdem pracones ad promouendum. Fratres autem ubi senserunt imminere periculum, protinus emiserrunt Paulum, cui potissimum timebant, ut iret ad mare, cui uicina est Berrhoea: Silas autem & Timotheus remanserunt in Berrhoea.

Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque ad Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum ut quam celeriter uenirent ad se: profecti sunt.

Cum Paulus adhuc in Iudaismo uersaretur, Christumque nondum agnosceret, omni fere saeculi felicitate, & prospero rerum successu fruebatur, clarus apud saeculum, honesto loco habitus, iuxta legis iustitiam irreprehensibilis, praeditus magna auctoritate, ut illi ecclesiam uastandi commissa fuerit licentia. Postquam uero Christum agnouit, nulla unquam prospera fortuna usus uidetur, per sportam muro demittitur ut mortem effugiat, uirgis caeditur, in carcerem conijcitur, naufragia patitur, fugatur ut hic, lapidatur, adeoque subinde alijs ac alijs calamitatibus affligitur, donec uinum Romam perducitur. Haec aduersa impie quispiam reiecisset in euangelium, blasphemasset ut mendax & satanicum, & urbibus seditiosum & infelicissimum. Paulus autem quod magis affligitur, eo constantius in praedicatione perseverat & pergit. Causam euangelij non iudicat ex euentu mundano & saeculi fortuna, sed e uerbo domini. Eam bonam pronunciamus causam, quae a uerbo domini bona iudicatur. Sic autem facientes pietatem constanter sectabimur siue aduersa nos fortuna cruciet siue prospera arrideat.

Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso, uidens idololatriam deditam ciuitatem.

Fuit Athenarum urbs Graeciae clarissima, non bellicis solum strategematis inclinata, uerum etiam sapientiae adeoque omnium bonarum artium totiusque philosophiae patria & templum, ad quod ex toto orbe percipiendarum disciplinarum gratia studiosi sapientiae confluebant. Cuius aemulatores per omnia haecenus esse uoluerunt Luctetiani nostri, & apud eisdem in primis Sorbonenses magistri. Sed quo magis illic studium sapientiae erat, eo turpior & foedior idololatria inualescebat, donec eodem deuentum est, ut Athenienses non solum mortuos homines pro dijs colerent, sed et uiuis regibus Demetrio & Antigono diuinos honores decernerent. In eam urbem a fratribus deductus est, ubi quum aliquot diebus solus esset, & collegas suos desideraret & operiretur, quum uideret ciuitatem tam celebrem & eruditam, deditam esse simulachrorum cultui, incanduit in ipso spiritus, adeo, ut non expectatis collegis, in synagogam ingressus, disputaret cum Iudaeis ac religiosi. Alius quispiam semichristianus offensus fuisset multitudine, claritate & eruditione hominum, secumque cogitasset, Tunc solus sapiens contra tot claros & eruditos uiros: Praferesne tuam fidem in Christum iudicio talium

& tot uirorum doctissimorum, qui omnes sentiunt diuos multos colendos, ut ho die quoq; Parisienses. In Paulo autē incanduit spiritus, & indigne tulit tam populosam et celebrē hominū multitudinē captiuā suis ludibrijs teneri. Ac modis omnibus conabat uel aliquot in ea urbe incolas Christo lucrari, et ē faucibus satanæ eripere. Ita nemo qui euangelio addictus est, offendi debet multitudine et prudentia hostium euangelij, sed potius accendatur annitaturq; ut ex hostibus amici fiant p omni uirili sua. Discamus quæ sit uera theologia & doctrina euangelica ē sacra scriptura, non ē clamoribus aduersariorū, ē concionibus Christi & apostolorum eius: sic enim non deficiemus unquam à ueritatis fiducia.

Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis & colentibus, & in foro per omnes dies ad eos qui adierant.

Non irrumpit Paulus in templa Atheniensium, ad idola deijcienda & comburenda, non discurrens clamat, satanę mancipia esse omnes, sed quamuis excandescbat, continet tamen se intra terminos uocationis suæ. Disputat in synagoga cum Iudæis & religiosis aduenis: disputat & in foro ciuilitate cū ijs qui forte ad ipsum conuenerant. Erat enim uocatio eius docere euangelium. Vbi autem termini legitimæ uocationis propter excandescentiam transfiliuntur, argumentum est absentis sancti spiritus & operis carnis.

Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi differebant cum eo: & quidam dicebant: Quid uult seminiuerbium hic dicere? Alij uero, Nouorum demoniorum uidetur annunciator esse: quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis.

Inter hos quibus cum disputabat Paulus, quidam erant Epicurei, quidam & Stoici, inter se longe dissidentes decretis. Nam Epicurei summā felicitatē hominis uoluptate metientes, aut nullos credunt esse deos, aut illis nullā esse curam rerum humanarū. Stoici præter alia paradoxa, felicitatē hominū solo mentis habitu metiuntur, quā illi uirtutē siue honestū appellant. Hi cum Paulo conflictati sunt, uelut cum philosopho quopiam nouæ sectæ authore. Quū autem Paulus illis exposuisset philosophiā euangelicā, ab omnibus philosophorū placitis longe dissonantē, quidā ludibrii causa dixerunt: Quid uult dicere spermolus iste? Nam hoc conuictio Græci notabant hominē inepte loquacē ac rabulam. Siquidē sapientia cœlestis uidebatur illis esse stultitia. Alij uero dicebant: Videtur nouorū demoniorū genus aliquod inuehere, propterea quod Iesum authorem salutis & filiū dei ac resurrectionē mortuorum prædicaret. Athenienses enim ex Platonis doctrina dæmones deorum filios appellabant, quibus tribuebāt quidem corpora, sed immortalia. Epicureorū hodie sectatores sunt, prudentes iuxta sæculum, totam religionem & Christi euangelium iridentes, nihil putantes uanius quā de his rebus leuiculis, ut dicunt, sollicitū esse. Contra huiusmodi Paulus docet eam esse uerā felicitatē, quæ in futuro sæculo deū timētibus est parata, quæ acquiri ab his, qui deum res humanas curare credūt, & quod per Iesum Christum filium dei iustificentur per fidem: uirtutibus operam dandam, quia deus requirit, quia deo obediendū, non refugiendum dolo sint resurrecturi. Stoicorum hodie sectatores sunt Monachi, qui student abnegandis humanis affectibus, quos cum una ex parte se uincere putant, turpiter uincuntur ex altera: multa huiusmodi in uitis patrum leguntur contra Christi doctrinam ueram, qua docetur nihil amorī diuino præponendum, affectibus humanis utendum ad charitatem proximi, cui uelimus id solum quod nobis

nobis cupimus, pendere ex prouidentia et bonitate dei, quem patrem fidelium credere debeant, qui sic dilexerit humanum genus, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis in illum credens, non pereat, sed habeat in presenti iustitiam, sanctitatem, uirtutes ueras, & dei gratiam, in futuro autem uitam aeternam. Hæc & his non dissimilia Paulus disseruit contra Stoicos. Sed quam mercedem hinc retulit? Alias ob euangelium fert uincula, carceres, uirgas, & lapides, nunc irrisione & subnationem. Vocatur enim spermologus contumelioso uocabulo, quod ad quæstum quiduis diceret, quo conuictio nos Rabulas dicimus & Locutuleios, qui non ex suis alant, sed alieno pascuntur cibo. Hinc est quod Paulus ad Corinthios scribens, dicit Euangelium Græcis esse stultitiam, id quod Athenis hic didicit, & est expertus.

Et apprehensum eum, ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus **E** scire quæ est hæc noua quæ à te dicitur, doctrina? noua enim quædam infers auribus nostris. Volumus ergo scire quidnam uelint hæc esse.

Quum de Paulo in foro uariarent sententiam, uisum est illum abducere in uicium Martium. Is locus Athenis est celeberrimus, in quo nocturnis iudicij causæ capitales cognoscebantur. Conueniebat autem is locus huic disputationi, quæ credentibus offerebat salutem, incredulis exitium. Dicebant enim: Licetne scire quodnam sit istud nouum doctrinæ genus quod memoras? Quum enim omne philosophiæ genus apud nos tradatur, tu tamen noua quædam & hactenus inaudita inuehis auribus nostris, cupimus igitur ex te plenius discere, quorsum ista tendant quæ disseris, aut quid sibi uelint. Pulchre mores curiosorum & nouitatis studiosorum in Atheniensibus describuntur. Confluunt enim undique ad Paulum, nouarum rerum nuntium, & ut omnes eum probe percipere queant, apprehendunt eum manibus, & ducunt ad Areopagum, locum senatorium, quo conueniunt ad causas cognoscendas.

Athenienses autem omnes, & aduenæ hospites, ad nihil aliud uacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid noui.

Quonia Atheniensium ciuitas præter cæteras Græciæ ciuitates disciplinarum & eloquentiæ studio dedita, quo doctrinæ gratia plurimi ex omnibus orbis regionibus confluebant, & ciues quoque Athenienses, & qui illic uersabantur hospites, ad nihil aliud uacabant, nisi ut aut audirent aliquid noui, aut dicerent, idque magis animi causa, quam ut per cognitionem rerum euaderent meliores. Deus autem audius humanæ salutis, more piscantium aut uenantium unumquemque captat ex occasione rerum quibus delectatur. Contingit autem huiusmodi curiosis auditoribus, ut quouis doctrinæ uento fluctuent & circumferantur, coaceruant sibi doctores iuxta suas concupiscentias & aures prurientes ad fabulas, quibus etiamsi doctor ueritatis contingat, eum tamen non diutius amplectuntur, quam dum ob nouitatem aliquam affert uoluptatem, mox relicturi dum desinit esse iucundus.

Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstiosiores uos uideo. Præteriens enim & uidens simulachra uestra, inueni & aram in qua scriptum erat Ignoto deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio uobis.

Paulus qui nouerat omnia fieri omnibus, & eloquentiam suam ad omnium mores attemperare, nactus theatrum suum in medio uici Martij, circumfusa frequentis multitudinis, Exordio breui beneuolentiam captat, et argumentum tractare inci-

pit. Athenienses uocat uiros, quo cognomine nihil gratius audiebant tantæ ce-
lebritatis erant Athenæ. Vocando autē supersticiosiores, id quoq; honestissimū
illis censebatur, quia dicerentur superabundante pietate religiosi. Vocat enim
nimia pietas superstitio, quæ apud pios impietas habetur, quū lex domini di-
cat: Quæ ego præcipio uobis hæc seruate, ut facias, nec addas quicquā, nec mi-
nuas. Diligenter igitur uitare debent pij, ne nimium iusti sint, religione degene-
rante in superstitionē: quàm solícite cauendum est, ne iniusta aut iniqua agāt.
Nominans ergo Athenienses supersticiosiores, & beneuolentiā captat & præ-
parat sibi uiam docendī de uera religione ac pietate. Cum, inquit, obambularē
ut ritus cognoscerē, & instituta urbis uestræ, reperi quandā aram, quæ in titulo
quem habebat insculptum, mentionem faciebat ignoti dei. Sunt qui testantur
scriptum fuisse dijs Asiæ, Europæ & Africæ, dijs ignotis & peregrinis. Id nō
indocte Paulus quoad primum intellexit & proponendum assumpsit, signifi-
cans deum ibi colendum, qui totius terræ sit deus & dominus, cui nemo nō sit
subiectus mortalium. Et non male quadrabat hunc deum prudentibus huius sæ-
culi fuisse peregrinū & ignotum. Deorum plurale nomen unum solum et uerū
deum Israelitis et in sacris significat. Proinde ait Paulus, Falluntur qui me dicunt
tant inuehere novos deos & peregrinos: quin potius hūc deum quē uos igno-
tum colitis, id quod declarat titulus aræ, ego uobis annuncio, non solū omnium
terrarum, hoc est mortalium deum, sed & cœlorum & immortalium, ut post hæc
religiose colatis cognitum omnipotentem, & omnibus præsentem, regentem
cœlum & terram omnem, quem hæcenus superstiosè coluistis incognitum,
qui tamen in omnibus creaturis subsistit, uiuit, agit, & noscitur.

F Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ
cum sit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus hu-
manis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus uitam & inspira-
tionem & omnia: fecitq; ex uno omne genus hominum inhabitare su-
per uniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos ha-
bitationis eorum, quærere deum si fortè attrectent eum aut inueniant,
quamuis non longe sit ab unoquoq; nostrum.

Is mundi totius dominus atq; deus, quum sit mens quædam simplicissima,
nusquā non præsens, sed sic ut nulli includat loco, non recte credit habitare in
templis hominum manufactis, aut in simulachris mortalium arte cōfectis. Neq; pie-
colit uictimis pecudum, quasi ille uel egeat uel delectetur ulla re, quæ manibus
humanis gerit. Is enim quū sit immensus in sese, quūq; sit omnipotens, quum sit
summe felix ex suapte natura, sic ut ledi non possit iniurijs hominum, nec huma-
nis officijs adiuuari, tamen quoniā summe bonus est ac beneficus, mundū hūc
admirabilē hominum causa cōdidit, & quicquid mundo cōtinetur instituit in hu-
mani generis usum. Quum igitur author dñs & gubernator sit cœli terræq; &
quod illius felicitas æterna, nullius boni desideret accessionē, sed nobis hæc su-
spiciendam fabricā, pdidit, ut in ea uersantes hoies, ex opificio tam admirabili
perspicerent potentiā, sapientiā ac bonitatē opificis, & cognitū amarent, pieq;
colerent, cuius beneficio tot cōmoditatibus fruerentur. Quod si ille superior est
uniuersa mundi machina, nec eget ulla re ex his quas condidit, quanto minus
colitur, quum ipse sit animus, nec moratur cædes taurorum aut ouium, qui
omnibus

omnibus uitæ est author, uitam & halitum impartiens omnibus quæ spirant. Vniuersum enim animantium genus ab illo conditum est, ac per illum uiuunt, suum quæque genus foetu propagantia. Sed his omnibus dominaturum ex uno homine condidit uniuersum hominum genus, ut incolerent per omnes terræ regiones, præscriptis unicuique uitæ spatijs, quæ nemo sibi possit prorogare, ac distributis terræ portionibus quam quæque incoleret natio. Errant enim qui mundum à deo conditum putant illius gubernatione destitutum, temere casuque ferri. Quum nihil omnino geratur in mundo, neque magnum neque paruum, nisi ex prouidentia conditoris. Quoniam autem iuxta suam naturam incomprehensibilis est humanis ingenijs, corporum mole grauatis, constituit homines ratione præditos, ut aliud ex alio possint colligere, ex uisibilibus inuisibilia, ex singularibus uniuersalia, ex temporarijs æterna, ex his quæ sensibus percipiuntur, ea quæ non nisi intellectu comprehenduntur. In medio rerum omnium theatro, ut ex rebus conditis quæ perspicerent oculis, contrectarent manibus, sentirent utilitate, uestigare ac scrutarentur conditorem, & quemadmodum cæcutientes palpando tandem reperiunt id quod uideri non potest: ita illi ex consideratione rerum admirabiliter conditarum peruenirent ad aliquam dei cognitionem, quem uere cognouisse summa felicitas est.

In ipso enim uiuimus & mouemur & sumus, sicut & quidam uestrorum poetarum dixerunt: ipsius enim & genus sumus.

Aratus.

Quamquam non est tam necesse deum in rebus extrarijs quærere, quum eum in nobis ipsis liceat inuenire, si modo seipsum unusquisque contempletur, et in sese consideret opificis uirtutem, sapientiam, & bonitatem. Quum enim deus in orbibus coelestibus, in terra, in mari, in omnibus animantibus prodiderit uestigia quædam suæ diuinitatis, tamen in nullo mirabilius quam in ipso homine. Quod si quis sit hebetiore ingenio quam ut astrorum motus, maris æstus, fontium scatebras, amnium perennes cursus, ac cæterarum rerum abditas causas queat assequi, non procul abest deus ab unoquoque nostrum. Per ipsum enim omnes uiuimus, mouemur & sumus. Nec enim alij debemus quod sumus aliquid quam ei qui mundum hunc condidit ex nihilo: nec alterius beneficium est quod spiramus, ilico morituri si nos ille destituat: nec alij debemus quod uiuunt corporis membra suo quæque officio funguntur, ut oculi prospiciant, pedes ambulent, manus operentur. Est igitur in unoquoque nostrum deus, qui per nos operatur uelut artifex per organum ab ipso constitutum. Refert autem homo deum, non solum ut opus opificem, uerum etiam ut filius parentem similitudine quadam & cognatione naturæ. Sic enim nobis proditum est sacris uoluminibus, quod deus Adam humani generis principi corpus sinxerit ex uida argilla, qua parte cognationem haberet cum cæteris animantibus, sed ore suo inspirauit huic luteo simulachro particulam auræ coelestis, qua deum ipsum parentem propius referremus, & propter naturæ similitudinem facilius eum cognosceremus, quod cæteris animantibus datum non est. Hoc uobis absurdum uideri non debet, quum quod mysticis literis proditum est, id quidam etiam uestratum poetarum dixerunt, quorum est Aratus, cuius hoc est hemistichium in Phœnomenis: Nam huius progenies etiam sumus. Non refert enim quod ille de Ioue loquitur, certe hoc quod Iouem appellat summum deum, & omnium rerum parentem esse putauit, sed præcipue generis humani; de quo Bibliander noster in Naum prophetam.

Genus ergo cum simus dei, non debemus existimare auro & argento, aut lapidi sculpturae artis & cogitationis hominis, diuinum esse simile.

Quum simus igitur genus dei iuxta mentis inditae similitudinē, parum recte sentimus de parente nostro, si, quum ipsi potissimum aestimemur homines ob inuisibilem nostri partem, quae est ratio, credimus illum similem auro, argento, ligno, aut lapidi, hominis arte & ingenio sculpto. Quid enim absurdius quam cum homo tamen nonnullam habeat cognationem cum deo parente, tamen longissime absit à cognitione dei, ipsum tamen manibus suis fingere posse statuat, quae uitam habeat in se deitatem & cognominetur deus, & colenda creditur? Debet autē esse multo praestantius quod pro deo colitur eo qui colit. Iam homo quot nominibus praestantior est simulachro cui honores diuini tribuuntur? Primum hanc ipsam corporis speciem à deo accepit; deinde spirat, uiuit, mouetur, & agit; postremo mentis uigore similitudinem quandam habet cum deo parente. Nihil horum in statua. Quod si sit impium hominem pro deo colere, quanto longius abest à uera pietate, colere signum, artificis arbitrio ex materia confectum: unde si libuisset, poterat & scamnum facere, quod adeo nullam habet cum deo similitudinem, qui est incorporeus, ut praeter summam & imaginariam quandam speciem corporis nihil habeat cum homine simile, ne micam quidem habēs eius partis qua homo dei gerit imaginē. Hæc contumelia quum sit atrox in deum, tamē pro sua erga genus humanum charitate non ultus est, sed uelut dissimulauit hactenus ignorantiam hominum, donec ueniret tempus quo decreuerat omnibus innotescere, omnemque caliginem errorum discutere.

G Et tempora quidem huius ignorantiae despiciens deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant, eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in æquitate in uiro in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum à mortuis.

Hoc tempus nunc adest quo denunciatur omnibus, ut ab errore pristino resipiscant. Resipiscantibus enim uult esse paratam ueniam, quae posthac non erit parata contumacibus, eo quod constituit diem quo iudicaturus est uniuersum orbem iusto & exacto iudicio, quod nemini licebit effugere. Et ideo praemittit denunciationem, ne quis praetexere possit ignorantiam, & offert resipiscentibus ueniam, ne quis in deo desideret misericordiam. Ad utrunque delegit uirum eximium Iesum Nazarenum, quem ideo misit in mundum, ut omnes per hunc ad ueri dei cultum conuerterentur, per eundem iudicaturus incredulos, & huius doctrinae rebelles. Hunc per prophetas suos multis retro saeculis promiserat & seruatorem & iudicem, & hactenus praestitit bona fide quicquid promiserat. Sic natus est, sic docuit, sic afflicus est & occisus est, denique sic resurrexit à mortuis, quemadmodum praedictum erat oraculis prophetarum. Nec dubium est, quin simili fide sit praestaturus & alia quae restant. Hæc est sententia contionis Pauli, quam Athenis habuit, primum quidem docens cultum simulachrorum non esse ueram dei cognitionem & cultum, deinde subindicat ueram dei cognitionem & cultum esse fidem in Iesum Christum, quem deus iudicem orbis terrarum constituit & salutem.

Cum audissent autē resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam uero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiit de medio eorum.

Hæc Paulo orante nonnulli ex circumstantibus, quum caetera satis æquis auribus

ribus acceperant, posteaq̄ audissent mentionem resurrectionis, irridebant uerū rem absurdam et incredibilem, quod nullus philosophorū hanc opinionem prodidisset, tametsi essent nonnulli qui dicerent animas à morte corporū esse superstitēs, quidam etiam prædicarent eas demigrare de corpore in corpus. Alij uero minus præcipitis iudicij dicebāt: Audiemus te aliās de hac ipsa re denuo. Recte ergo dicit Paulus ad Corin. Christum esse Græcis stultitiam. Qui enim rationes persuasibiles quærunt, quid stultius iudicant quàm filium dei mori, & carnem huius putrefactam è mortuis resurgere? Alij igitur irridēt Euāgelium de filio dei mortuo, qui à mortuis resurrexerit, omnesq̄ in ipsum credentes à morte in uitam resurrecturos. Alij desyderant sæpe de hoc argumento audire disputationes, non autem studio inquirendæ ueritatis, sed audiendæ nouitatis. Vnde & Paulus uidens inter hos auditores nullum esse locum pietatis, exiuit è medio eorum, quanq̄ non sine fructu prædicauerit.

Quidam uero uiri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.

In tam populosa, religiosa, docta, & erudita urbe tam pauci ad Christū conuertuntur. Dionysius Areopagita, hoc est senator aut ex iudicibus in Areopago, qui postea Athenis episcopum egit, à Paulo institutus. Ac mulier quædam nomine Damaris ex uulgo fortassis ignobili, cumq̄ his alij nonnulli. Aliorum enim nimia superstitio et prudentia sic præfocauit omnes, ut nullam ueram pietatem admiserint quàm eam quam ipsi fuerant commentij.

CAPVT XVIII.

Post hæc egressus ab Athenis, uenit Corinthum, & inueniens A quendam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper uenerat ab Italia, & Priscillam uxore eius, eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma: accessit ad eos.

Ab Athenis sapientiæ asylo, & superstitiosa, hoc est nimium religiosa & docta urbe, ubi parum profecerat Paulus, se confert in longe corruptissimam urbem Corinthum, id est celeberrimum totius Græciæ emporium, ut opulentum ita luxu, libidine, fastu insolentissimum. In quam enim urbem multi homines confluunt, & peregrinæ merces inuehuntur, in eam etiam solent multa scelera confluere, et peregrina uitia importari. Eratis, inquit Paulus ad Corinthios, scortatores, cultores simulachrorum, adulteri, molles, concubitores masculorum, fures, auari, ebriosi, maledici, & raptores. Ad hanc morbidā urbem Paulus medicus animarum à deo mittitur, pastor quærit oues perditas: nec frustranea fuit profectio, plures enim illic lucratus est Euangelio. Multo autem maioris molis est sapientem & iustum in oculis suis, quàm publicum peccatorē ad Christum conuertere, quod facilius peccata sua agnoscit. Illic fortè repperit quendam Iudæum religione, nomine Aquilam, patria Ponticum: ea est pars Asiæ minoris ad plagam Septentrionalem. Commodum autem nuper eò uenerat ex Italia simul cum coniuge sua Priscilla, propterea quod Claudius Cæsar Iudæos omnes, quorum illic magna uis erat, exegisset ex urbe. In tam corrupta urbe Corintho non passim obuium quodlibet hospitium ingressus est, sed ad bonum uirū exulem, qui sua experientia didicerat exulibus compati, & misericordiam præstare. Fuerant Romæ tunc multæ seditiones inter Iudæos ob res multas, ut est seditionosus semp̄ & ubiq̄ populus. Cui accessit discordia amplior, quod alij Iesum

crediderant Christum, alij negabant, & contendebant nondum uenisse Christum. Vnde omnes simul Iudæos Claudius urbe eiecit, ad quam tamen paulo post multi clementia principum redierunt.

Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: erant autem scenofactoriæ artis.

Adiunxit se Paulus Aquilæ, ne solus esset, & quoniã erat eiusdem opificij, diuersabatur in iisdem ædibus, manibus laborans apud eos, ne cuiquam grauis esset: erat autem illorum ars è pellibus consuere tabernacula. Quemadmodum non puduit Petrum ad piscationem redire, quum urgeret inopia: ita nec Paulum tantum apostolum tantisq; rebus in Christo gestis puduit ad intermissas ob Euangelium pelles reuerti. Non puduit nobilem Romanum de opere manuuum uiuere. Non uult gratis panem apud hospitem suum Aquilam manducare, ut grauis non sit proximo præter necessitatem, docens alibi, ut Qui non laborat, non manducet. Et erant hic coniuges fideles & concordēs in religione. Noluît tempus à prædicatione uacuum sine labore & in otio perdere. Quorū & pietatem commendat, ad Romanos scribens: Salutate, inquit, Priscam et Aquilam adiutores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea suam ipsorum ceruicem supposuerunt. Quibus non ego solum gratias ago, sed & omnes ecclesiæ Gentium.

Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponēs nomen domini Iesu: suadebatq; Iudæis & Græcis.

Non ad hoc Paulus Corinthum accesserat, ut illic manibus tantum operaretur, aliud habebat à Christo iniunctum ministerium, cui nauat præcipue. Alijs itaq; diebus conficiebat tabernacula, sabbatis autem docebat in synagoga, persuadebatq; simul Iudæos & Græcos. Hoc est enim officium apostoli, de pietate loqui, & eam persuadere. Ab initio quidem Paulus, quantum ex his quæ sequuntur conijci potest, ita de pietate disseruit, ut nondū aperte de Christo conuentionaretur, sed de operibus legis, & uera iustitia per fidem, qua & Abraham iustificatus est, nempe in promissum semen Christum, patriarchis primum, deinde multipliciter per prophetas, cuius regnum futurum esset, non mundanum & corruptibile, sed spirituale & æternum. Et omnino sic docebat, ut paulatim infereret Christi cognitionem & mysterium. Multum enim refert, quo quis ordine loquatur ad persuadendum difficilia creditu.

B Cum uenissent autem de Macedonia Silas & Timotheus, instabat uerbo Paulus, testificans Iudæis esse Christum Iesum.

Interea uenerunt ex Macedonia Silas & Timotheus, quos Paulus sequi iusserat in Atticam. Hoc facto Paulus quoniã poenitebat profectus quem illic cauebat, coartatus est spiritu, nihilo segnus tamen testificans apud Iudæos Iesum Nazarenum, quem ipse prædicaret esset Messiam, à prophetis promissum, nec per alium fore salutem. Ex horum enim aduentu, exhortatione, & auxilio accenditur, ut Christum clarius uehementiusq; inculcaret & urgeret, non solum ad iustitiam parandam esse necessariam fidem, uerum etiam Christum Iesum esse illum Messiam promissum à prophetis. Hæc erat enim summa contentio, ut impletas ostenderet in Christo domino crucifixo & resurgente, omnium de deo uera iustitia comparanda, non ex operibus legis, sed per fidem in Christum, per Christum saluatorem mundi.

Contradicientibus autē eis & blasphemantibus, excutiens uestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis uester super caput uestrum. Mundus ego: ex hoc ad gentes uadam.

Cæterum quum Iudæi reclamarent prædicationibus Pauli, & expositionibus prophetarum, adeo ut nec blasphemias uererentur euomere in Iesum Christum & Paulum, Paulus memor Euangelici præcepti, excussis uestibus suis, uelut exprobrans quod gratis attulisset ad ipsos optabile nuncium salutis, dixit ad illos: Si omnino mauultis perire quàm seruari, ueniat sanguis uester in caput uestrum, qui uobis ipsis estis mortis authores. Mihi certè qui meo officio fungus sum, non poterit imputari. Posthac igitur conferam me ad Gentes, quem admodum nobis præcepit dominus. Hæc est autem natura Christi, ut illuminet, iustificet, & saluet omnem hominem uenientem in hunc mundum & credentem; incredulos autem excæcat, peiores efficit ac damnat, non natura sua, sed uitio incredulorum. Quemadmodum enim sol natura sua omnia illustrat, interim tamē excæcat oculos cæcutientes: ita Christus credentes bonis afficit, incredulos damnat, & omnia illis mala infert. Et id quidem dupliciter. Hypocritas Euangelij prædicatione blasphemus facit contra ueritatem & Christum, sine quo & ex proprijs factis iustificari se dicunt. Præsumptuosos autem & libidinuosos licentiores facit ad crimina designanda, dicentes: Si sola fides sufficit, libere peccabo, & genio indulgebo, certus quod meretrices & publicani præcedent alios in regno cælorum. Vtriq; in Christum blasphemus sunt. Fideles autem & pii ex audito Euangelio Christi fiunt meliores. Sic Paulus cernens Iudæos subinde prædicatione Euangelij fieri peiores, reliquit eos, & sese conuertit ad Gentes, excutiens uestimentum suum, ut ostendat sibi non esse imputandum, si pereant Iudæi sua culpa, quādo ipse suo munere sit defunctus egregie. Et si autem hic Pauli discessus Iudæis fuit ludibrio aut etiam gaudio, abstulit tamen Paulus cum suo discessu à Iudæis omnem iustitiam, felicitatem, & uitam æternam, nihil illis relinquens, nisi omnem impietatem, mortem, & æternam damnationem.

Et migrans inde, intrauit in domū cuiusdam, nomine Titi Iusti, colentis deum, cuius domus erat coniuncta synagogæ.

Subduxit se Paulus à contubernio Iudæorum, & demigrauit in ædes Titi cuiusdam, cognomine Iusti, hominis religioni dediti, cuius domus adhærebat synagogæ. Non ut illic delitesceret, ac à prædicatione Euangelij cessaret, sed ut in ea domo Christum prædicaret, quando id non poterat præ blasphemijs Iudæorum in synagoga facere. Speciem quidem hoc habebat schismatis, quando alia iam conuentio fieri inciperet, quàm in publica synagoga. Sed erat iam Iudæorum templum repletum blasphemijs, & contemptoribus uerbi dei, nolentibus audire ad se missum dei apostolum. Erat sepelienda synagoga Iudaica, et in Christi ecclesiam fideles colligendi ex Iudæis & Gentibus.

Crispus autem archisynagogus credidit domino, cum omni domo C sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

Crispus synagogæ princeps ex occasione uiciniæ credidit domino, frequenter uicini hospitis publicis & priuatis colloquijs eruditus. Credidit is cum tota domo sua. Cumq; hoc complures Corinthij audito Paulo credebant & baptizabantur.

zabantur. Vt iam indies Pauli theatrum & schola recentior frequentius redderetur, ut etiam ad tantum profectum stupeat Paulus, ueritus ne tumultus alius cuius magni apud Iudæos occasio captaretur, ut factum iam saepe fuerat in alijs urbibus. Quanto enim magis proficiebat Euangelium, tanto Iudæi impatientius reclamabant, & seditiones suscitare non obmittebant. Id nunc quam maxime futurum timebat, principe synagogæ Crispo suam iam synagogam obmittente, & uicini domum frequentante.

Dixit autem dominus nocte per uisionem Paulo: Noli timere: sed loquere, & ne taceas, propterea quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi, ut noceat te, quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate.

Paulus ergo ut fieret in hac sua tentatione alacrior & animosior in ministerio suo, præter promissionem indicat etiam ei dominus utilitatem grandem ex Euangelio sequuturam in Corintho. Apparuit enim ei dominus in somnis per uisum, confirmans illius animum, & dicens: Ne terreat te Iudæorum peruerbia, neque propter illos supprimas sermonem Euangelicum: neque enim ob paucorum inuincibilem malitiam destituenda est multorum salus. Perge constanter loqui sermonem Euangelicum, me fretus, quem habes protectorem aduersus quamlibet multos satis idoneum. Me protegente te nemo mortalis aduerietur ut affligat. Itaque ne quo discedas, quoniam in hac ciuitate quantumuis corrupta, populus est copiosus, quem ego ad salutem æternam destinavi. Huiusmodi diuini consilij gratiam hodie quoque experiuntur & suscipiunt ures non pauca, nuper omnium uisitorum generibus commaculata insigniter, in quibus à prædicatione Euangelij dei gratia multus uidetur fructus comparatione pristini status sui, quamlibet in hac mortali conuersatione, & in magno populo quotidie multa desyderentur. Cernimus enim illic abundare gratiam, ubi delictum maxime abundauerat.

Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos uerbum dei.

His auditis consolationibus Paulus uertit humanum consilium, & dei obtemperauit consilio, commoratusque est Corinthi annum unum & menses sex, fortiter ac libere prædicans Euangelicum sermonem, uocationemque suam diligentissime sequutus est. Cunctatio autem Pauli & dei consolatio ponitur nobis ob oculos, ut non nobis blandiamur in infirmitatibus nostris & uitijis, ut ansam arripiamus segniter agendi, quoties non statim ingentem profectum operæ nostræ aspiciamus. Non enim sic nos ministri sumus uerbi dei, ut non sit ipse architectus, & principalis author, & causa prima, quæ longe efficacior est quam uel secunda, uel quodlibet instrumentum dei.

D Gallione autem proconsule Achaia, insurrexerunt uno animo Iudæi in Paulum, et adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Contra legem hic persuadet hominibus colere deum. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ò uiri Iudæi, recte uos sustinerem: si uero questiones sunt de uerbo & nominibus legis uestre, uos ipsi uideritis: iudex ego horum non lo esse. Et minauit eos à tribunali.

Quum

Quum id temporis Gallio proconsul, nomine Cæsaris administraret Achaïam, in qua est Corinthus, conspiratis animis coorti sunt Iudæi aduersus Paulum, ac tumultu facto pertraxerunt ad tribunal proconsulis, eum accusantes, ac dicentes: Hic contra legem Mosis persuadet hominibus ut colant deum, non uos inuehens ritus. Ad hoc crimen quum Paulus aperiens os suum iam appareret respondere, Gallio ex proposito crimine sentiens esse controuersiam inter eos de religione Iudaica, quærebat occasionem, ut liberaretur à cognitione causæ, præueniensq; Pauli defensionem, dixit Iudæis: Ego nomine Cæsaris hic proconsulem ago uiri, ut rem ciuilem administrarem, ne quid præter leges publicas admittatur. Proinde si quis esset affectus iniuriæ, si quod facinus malum perpetratum esset, quod oporteret legibus uindicare, merito etq; meo officio uos aut direm: talium enim causarum cognitio ad me pertinet. Quod si nihil est istius generis, sed peculiaris est inter uos controuersia de nominibus sectarum, aut sermone religionis Iudaicæ, deq; lege uestræ, quoniam ista non pertinent ad munus quod gero, nec apud me iudicem recte discuti possunt, qui uestræ religionis sum ignarus, ipsi melius inter uos transigetis. Ego iudex istiusmodi causarum esse nolo. His dictis proconsul abegit eos à tribunali. Quanquam autem prudentiæ sit, si non intelligas religionum diuersitatem, à iudicio earum causarum abstinere, tamen non est pietas, ut quæ uera sit religio non discas neq; cognoscas, eamq; cognitam officio magistratus tui non adiuues. Omnium enim hominum nedum magistratus interest, ueram religionem cognoscere, & pro uirili sua iuxta modum suæ uocationis adiuuare & defendere.

Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagoge, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.

Sosthenem synagogæ principem, quia desertis Iudæis adiunxerat se Paulo cum tota familia, percutiebant nimirum Iudæi tumultuatores furibundi ante tribunal, magis huic indignantes quam Paulo, quod sibi persuasissent Paulum nihil acturum fuisse Corinthi, nisi huius fauore sultum. Nec huic tumultui se proconsul admiscuit, dissimulans quod fieri uidebat. Quum enim esset inuisum Romanis Iudæorum nomen, neque distingueret adhuc inter Iudæum & Christianum, non curabat Romanus proconsul quid Iudæus faceret Iudæo, sciens ubique nationem eam solere rixosam esse. Verum non excusatur, sed hoc facto accusatur hic Gallio. Si enim agnoscebat se iudicem ciuilium controuersiarum & iniuriarum, tamen nihil prorsus ei curæ fuit, quod se spectatore bonus uir Sosthenes nihil mali meritis percuteretur. Qua indulgentia uel potius negligentia occasionem dedit nebulonibus quibusuis quosuis bonos pessime tractandi. Hic uero Sosthenes Paulo semper familiaris, specimen pietatis exhibuit, iniuste percussus non repercussit, nec prouocauit ad proconsulem, nec in magistratum inuectus est, sed ultionem non expetit, Christum dominum imitatus, qui cum maledictis incessetur non minabatur.

Paulus uero cum adhuc sustinisset dies multos, fratribus ualefaciens, nauigauit in Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, qui sibi totumderat in Cencreis caput: habebat enim uotum.

Paulus memor admonitionis diuine, tametsi uideret Iudæorum rabiem in dies gliscere, tamen complures adhuc dies sustinuit. Tandem animaduertens

illic satis feliciter auspiciatum Euangelium, statuit ad tempus cedere furori Iudæorum. Itaque dicens uale fratribus, instituit nauigare in Syriam, comitante simul Aquila cum uxore sua Priscilla. Quoniam autem Paulus intellexit Iudæos ob hoc potissimum tumultuari, quod uideretur negligere ritus legis, homo natus in Iudaismo, priusquam solueret Cenchreis, is est Corinthi portus, tondit sibi caput, suscepto uoto iuxta morem Iudaicum. Erat hic non fraudulenta simulatio, sed obsequium charitatis. Cupiebat enim omnes adiungi Euangelio, & ideo semet omnium affectibus quoad licuit adtemperauit, ut omnes Christo lucrifaceret. Iudæis factus Iudæus, incircuncisis incircuncisus. Datum est hoc ad tempus inuincibili quorundam superstitioni, donec se clarius proferret Euangelica ueritas. Neque enim tondere caput ex uoto per se malum est, sed huiusmodi Iudaicis ceremonijs fidere malū est. Quemadmodū nec circuncisio lædit fidentem in Christo, nec præputium. In quibus nonnunquam obsequium charitatis est, sed ad tempus, sed ubicunque datur oportunitas reclamando. In alijs quæ per se mala sunt, non oportet obsequi cuiusquam imbecillitati. Neque enim in scortationibus aut cultu simulachrorum Paulus unquam obsequutus est Gentibus: in commertio, in negligendo ciborum delectu, in citandis illorum poetis nonnunquam est obsequutus. Comitatus autem Aquilæ & Priscillæ non leuis fuit & facilis. Primum enim adiuuerunt Paulum sumptu. Eademq; cum illo pericula subeunt, & ad defendendam eius uitam maximis se discriminibus obijciunt, cum potuissent secure uiuere Corinthi. Periculosissimum erat eum comitari, in cuius mortem Iudæi conspirauerant. At idem quo periculosius, eo credentibus in Christo honestius fuit. In magnis autem suis afflictionibus potuit Paulus uotū uouisse, ut huiusmodi disciplina corpus ferum in seruitutem redigeret, & agilior redderetur ad inuocandum dei auxilium in afflictionibus. Id uero uotum opinione & opere legitimum fuit, ideoq; iure obseruari debuit. Obseruauit autem non ut opere illo pro peccatis suis satisfaceret, sed hac ut disciplina corpus exerceret. Votum ergo Mosaica lege præscriptum Christiana fide impleuit.

Deuenitq; Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse uero ingressus synagogam, disputabat cum Iudæis. Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit, sed ualefaciens, & dicens: Iterum reuertar ad uos, deo uolente: profectus est ab Epheso.

Ephesum primo peruentum est: ea ciuitas maritima est Asiæ minoris, in ea parte quæ proprie nulloq; additamento uocari solet Asia. Ibi reliquit Aquilam & Priscillam, cupientes Ephesi sedem figere. Ipse uero ingressus synagogam Iudæorum qui illic habitabant, cum illis disputabat. A quibus quum rogaretur, ut diutius secum commoraretur, excusauit, sed dixit illis uale, speq; maturi ad ipsos reditus consolatus est animos illorum, dicens: Oportet omnino festum quod instat agere Hierosolymis, sed denuo reuertar ad uos, si deus ita uoluerit. Sic autem Paulus uisitauit ecclesias quas antea plantauerat, & eos confirmat qui Euangelio Iesu Christi crediderant. Quemadmodum enim uitæ naturali necessario accedit nutritio, & plantationi rigatio: ita necesse est, ut qui ex fide renatus est, in fide quoq; confirmetur.

F Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutauit ecclesiam: & descendit Antiochiā. Et facta ibi aliquāto tēpore profectus est, perambulās ex ordine

ordine Galatiam regionem & Phrygiam, confirmās omnes discipulos.

Epheso soluit nauigaturus Hierosolymam, quumq; appulisset ad Cefaream Palæstinæ, ascendit Hierosolymam, & salutauit congregationem. Hinc profectus est Antiochiam Syriæ. Hic aliquandiu commoratus peregit iter quod cœperat, perambulans deinceps Galaticam regionem ac Phrygiam, ubiq; confirmans discipulos ubicunq; sese offerret aliqua congregatio uel occasio. Tanta sollicitudo tenebat animum Pauli erga gregem, quem Christo lucrifecerat.

Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, uir eloquens, deuenit Ephesum, potens in scripturis. Hic erat edoctus uiam domini; & feruēs spiritu loquebatur & docebat diligenter ea quæ sunt Glesu, sciens tantum baptisma Ioannis.

Interea quidam nomine Apollos, religione Iudæus, patria Alexandrinus, multiphariam commendatur. Primum ab eloquentiæ dono admodum insigni, & necessario rebus publicis, aptissimo ad res agendas quàm maximas: cui si fides sincera addatur ad legitimum usum, cum zelo pietatis, & sancta constantia, additaq; eruditione sacra, nihil ecclesiæ utilius. Ab eruditione scripturarum secundo commendatur, quia potens fuerit in scripturis; eidem dono necesse est accedat quoq; dei timor & cognitio, cū usu & sanctis deoq; probatis operibus. Studuit quoq; uiam domini discere ex scripturis, ne falsis opinionibus deprauaretur iudiciū. Sciebat autem tantum baptismum Ioannis, hoc est negotium illud, & doctrinam Ioannis, & quæ ad doctrinam eius pertinent: totum enim illud dicitur baptismum Ioannis. Quemadmodum autem discipuli Christi ante passionem sciebant quidem Iesum esse Christum, expiatorē peccatorum & orbis redemptorem, nesciebat autem modum quo expianda essent peccata: sic & hic Apollo, sciebat quidem Iesum esse Christum, & agnū dei tollentem peccata mundi, sed nesciebat adhuc mysteria ecclesiæ & regni Christi, cum fructu resurrectionis & ascensionis. Adeoq; ea multa ignorabat de quibus Christus ad discipulos suos ait: Adhuc multa habeo, quæ uobis dicam, sed non potestis portare modo. Vnde et nondum spiritum sanctum acceperat apostolico more, unde recte dicitur baptismum tantum Ioannis sciuisse, ac postea exactius in uia domini ab Aquila & Priscilla institutus esse. Verum donis suis quæ habebat usus est quàm dexterrime, ac multum fideliter. Feruens enim spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt domini, & cœpit libere loqui in synagoga pro sua uocatione, & uoluntate dei, ut qui in paucis fidelis fuerit, meruerit super multa constitui, ampliore dei dono ornandus.

Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quē cum audissent Priscilla et Aquila, assumpserunt eū, et diligentius exposuerunt ei uiam domini.

Didicerat Apollo rudimenta doctrinæ Euangelicæ, feruentiq; studio quod didicerat alijs communicabat, diligenter docebat quod de Christo didicerat. Nondum Christi baptismo uberiores Christi gratiā fuerat consequutus. Existimabat sufficere quod acceperat, nondum ad plenū edoctus de omnibus quæ tradiderat Christus. Quem cum audissent Priscilla & Aquila, magno spiritu loquentem de Iesu, sed nondum perceptis omnibus Euangelicæ philosophiæ mysterijs, adiunxerunt hominem sibi, quem perspiciebāt eiusmodi dotibus instructum, ut uideretur egregius Christi præco futurus; ac priuatim exactius illi tra-

diderunt mysteria religionis Euangelicæ, quemadmodum ipsi à Paulo didicerant, Non repulerunt illi doctorem, sedulum quidem illum sed imperfectum. Nec hic uir alioqui præstans dedignatus est à quouis admoneri. Ab illis præbitum est exemplum, eos in quibus refulget bona spes melioris profectus, ciuilitate adiuuandos. In hoc data est forma, libenter à quouis esse discendum, quod non citra salutis dispendium ignoretur. Tinctus est Apollos in nomine Iesu, & accepit spiritum sanctum. Obseruanda interim horum duorum coniugum pietas insignis, in adiuuando ministerio Euangelij. Paulum hospitio exceperant antea, comitati fuerant eum magno uitæ rerūq; periculo, nunc hunc idoneum uirum iudicatum Euangelio Christi ad se uocant, fouent uerbo & factis, doctrina & beneficijs. Vnde satis liquet quod qui huiusmodi ministeriū pro sua uirili & uocatione adiuuant, certe nihil minus faciūt quàm qui ipso ministerio funguntur. Quare Aquila & Priscilla erudientes Apollos doctorem ecclesiæ, non minus faciunt quàm si ipsi ecclesiam ipsam docuissent suis uerbis & sermonibus. Sic qui fideliter iuuant scriptis ministros uerbi, haud parum ecclesias iuuant, & animarum in Christo salutem promouent.

Cum autē uellet ire Achaïam, exhortati fratres, scripserunt discipulis, ut susciperent eum.

Postquam Apollos Euangelij prædicandi studio cuperet adire Achaïam, in qua est Corinthus, fratres eò propensum ultrò etiam extimularunt, ac literis ad Achaicos fratres commendarunt illum, ut exciperent eum dignū ac idoneum Christi præconem, & fidei doctorem. Sic discimus tutum esse & consultum ecclesijs testimonium præbere literis eis qui digni, idonei, pijs & eruditi mittuntur ad prædicationis officium, ne contingat hæreticos pro catholicis subintrare in ecclesias Christi. Nec huiusmodi dentur testimonia, nisi rite & sufficienter agnitis ex uerbo opere & exemplo. Et prodest plurimum, ut nō uno loco fideant, qui apostolatus huiusmodi gratia pollere noscuntur, sed ad ecclesiæ ædificationem discurrant, cum gratia autem suscipiantur & tractentur.

Qui cum uenisset, contulit multum his qui crediderant. Vehementer enim Iudæos reuincebat publice, ostendens per scripturas, esse Christum Iesum.

Apollos quum uenisset Corinthum, multam utilitatem attulit his qui crediderant, strenuum propugnatorem agens Euangelici negotij. Nam eloquentiam cum eruditione sacra coniunctam adiuuabat spiritus cœlestis. Quibus armis instructus acriter reuincebat Iudæos, sine fine belligerantes aduersus subolescentem Euangelij frugem, palam ac publice demonstrans scripturarum testimonijs, quod Iesus esset ille Messias, quem Iudæi tot sæculis expectarant, quodq; in hunc competerent omnia quæ fuerant à prophetis prædicta. Fuisse autem ipsum maximæ authoritatis apud ecclesiam, multa non obscure probant. Gloriatum sunt enim discipuli hoc doctore, & laudi sibi duxerunt nomine Apollos uocari, quanquam non id laudi detur discipulis, sed doctoris excellentiam indicat. Tribuit quoq; eidem Paulus rigationem, inquit: Ego plantaui, Apollos rigauit, hoc est per scripturas, ut hic dicitur, ostendit, quod Iesus esset Christus, hoc est quod is dñs Iesus passione sua p peccatis nostris satisfecerit, quod meruerit bona cœlestia, quod placaret mundo patrem in cœlis, quod is solus uita, uia, salus, resurrectio, iustitia, sanctificatio, sapientia & redemptio nostra, patriarchis & per prophetas mundo promissus, & in plenitudine temporis mundo

do exhibitus, per apostolos Gentibus predicatus, & assumptus in gloriam, quæ non cessat in hoc mundo & in cœlestibus.

CAPVT. XIX.

Actum est autem cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus, ueniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos: dixitq; ad eos: Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neq; si spiritus sanctus est, audiuius.

Quemadmodum Aquila & Priscilla in Apollo correxerant imperfectum Christianismū, ita Paulus idem in alijs aliquot deprehensum correxit. Interim autem dum Apollos uersaretur Corinthi, quæ metropolis est Achaia, accidit ut Paulus peragratis cæteris minoris Asia regionibus, quæ magis uergunt ad Septentrionem & Orientem, rediret Ephesum. Illic repperit quosdam discipulis imperfecte Christianos, cætero gregi fratrum admixtos. Tractabat enim & cognoscebatur illic noua quidem Euangelij religio, tamen obscure: alius enim baptisma tantum Ioannis agnoscebat; alius Messiam uenisse quidem credebat, sed ad quid uenisset nesciebat: fortassis etiam multi à Iudæorum superstitione deficiebant, non cognitione ueritatis, sed odio pharisaicarum traditionum, & studio nouitatis. Sed & fieri potuit, ut ex omnibus religionibus quidā id quod eis erat uoluptati elegerint, ut nostris nunc quoq; temporibus fieri cernimus. E prædicatione enim Ioannis discebant contemptum traditionum pharisaicarum, ex auditu de Christo discebant neglectum operum legis, è religione Ethnicorum inter quos uiuebant licentiam discebant quiduis impune agendi. Huiusmodi enim turba illic nasci solet, ubi spargitur quidem fama aliqua de uero Euangelio, ministerium tamen Euangelij non publice uel studiose & perseveranter agitur. Sic in Epheso Paulus inueniebat quosdam discipulos, gloriantes quidē de nouo Euangelio, cui credere se confitebantur, aduertebat tamen eosdem obscuram ualde habere Iesu Christi cognitionē. Quos ideo quærit, si acciperint non spiritus sancti substantiā, uel cōmunia eius dona, sed specialia illa & admirabilia spiritus sancti dona, quæ post ascensionē Christi baptizatis in nomine Christi per impositionē manū apostolorū conferebantur, de quibus passim habuimus in hoc libro, nempe inter alia dona ueræ salutis fidem & certitudinem in Christo, & doctrinæ Euangelicæ peritiam iustam. Isti uero respondēt in hanc sententiam: Scimus quidem reipsa spiritum sanctum esse, scimus uaria esse dona eius, sed num talia dona effundat, de qualibus tu interrogas, ignoramus: nihil enim tale nec uidimus nec experti sumus. Admiratur igitur Paulus, qui fiat quod gloriantur se uere credere, ignorent tamen qualia dona spiritus sancti uere credentibus conferantur.

Ille uero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptis-
mate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo penitentiæ
populum: dicens, in eum qui uenturus esset post ipsum, ut crederēt,
hoc est, in Iesum.

Quandoquidem uos pro Christianis geritis, quo baptismo baptizati estis?
Hic illi respondent: Ioannis, inquiunt, baptisate. Id nobis sufficere credebamus,
quandoquidem & de Christo statim futuro nos admonebat, inq; eundem
debere nos credere docebat, ostendens nobis eum esse & non alium qui tolle-

Matth. 3. c

Mar. 1. b

Lucæ 3. c

Ioan. 1. d

Supra 10. d. 2. d.

11. c

ret peccata mundi, & agnum dei pro mundi peccatis offerendum & satisfactorum, cuius respectu poenitentiam agere deberemus, & baptizari in illius nomine: tum Paulus: Nihil quidem admissum est piaculi, quod olim ante proditam Euangelij lucem accepistis baptismum Ioannis, preparati eo ad Christi susceptionem, cuius ille erat praeo & anteambulo. Verum is non sufficit ad salutem, non delet peccata, sed tantum testificabatur de Iesu uero salutis auctore, qui erat ipsi successurus, preparans animos illorum, ut ueniēti crederent. Ita baptismus Ioannis non conferebat perfectam iustitiam, sed tantum hortabatur homines ad uitae prioris respicientiam, qua prepararent animos suos medico mox uenturo, qui suo baptismo per fidem aboleret uniuersa peccata, quicquid per spiritum suum coelestibus & eximjis dotibus locupletaret animos credentium. Tradidit hoc suis apostolis dominus Iesus, ut qui credidissent Euangelico sermone, ceri merebantur, non durius & importunius, qui simpliciter errabāt. Ioannes, inquit, uera & recta praedicaui de Christo Iesu, sed quia tempore eius Christus nondum erat glorificatus, adeo admiranda illa spiritus sancti dona nondum effundebantur super credentes, nec manifeste ac reuelate cognoscebatur quae esset uera ratio regni & maiestatis Christi.

His auditis, baptizati sunt in nomine domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, uenit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Erant autem omnes uiri ferē duodecim.

Sic illi itaque admoniti prompte obtemperarunt monitori, moxque baptizati sunt in nomine domini Iesu. Hoc peracto quum Paulus imposuisset illis manus, uenit spiritus sanctus super eos, ac signum oculis exhibitum res ipsa consecuta est. Nam & linguis loquebantur, & prophetias aedebant de rebus occultis ac futuris. Est autem ingens miraculum homines rudes uno momento suscipere linguarum peritiam, ut prophetias intelligant & loquantur: quo miraculo comprobata est ueritas totius Euangelij Christi, & uirtus fidei aucta, qua quisque reputet iustus & sanctus coram deo, ut spiritu sancto illustrati fideles efferuescant igne coelesti desuper illapso ad omne opus sanctum & pium ad salutem.

B Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans & suadens de regno dei.

Paulus hoc facto ueluti renouata autoritate sua quod doctor Gentium per impositionem manuum suarum impartiret spiritum sanctum, quemadmodum & caeteri apostoli, ingressus synagogam Iudaeorum illic agentium palam ac libere loquebatur omnibus, praedicans in solo Iesu salutis esse spem, non in ceremonijs legalibus, & obseruantia Mosaicae traditionis uel patrum, de quibus multi multa sibi promittebant, & nimium solícite seruabant pharisaico more, de uera pietate & fide, qua sancti omnes iustificati sunt, & Abraham ipse, nihil curantes. Idcirco fecit non paucis diebus, sed totos tres menses disputans de regno dei, quod est Euangelicum ac spirituale, aduersus eos qui legis regnum carnale pertinaciter & carnaliter tenebant, qui Christi regnum abhorrebant, quem ipsi crucifixerant, qui iustitias legis mordicus defensabant, & nihil de suis ceremonijs ac traditionibus abolendum patiebantur, qui Mosaicam legem ad literam urgebant intelligendam & obseruandam. Haec erant Iudaeorum studia contra Christianos, & maxime contra Paulum, qui Christi regnum uniuersale & spirituale praedicabat a prophetis praedictum in electos ex gratia non meritis hominum

minum, uel quorumlibet operum, sed ex fide in Iesum Christum: unde opera uere sancta producuntur, ut sint fructus iustitię, quę per fidem est in charitate.

Cum autem quidam indurarentur & non crederent, maledicentes uiam domini coram multitudine, discedēs ab eis, segregauit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent uerbū domini, Iudæi atq; Gentiles.

Posteaq; uero quidam e synagoga non crederēt his quę disputabātur à Paulo, sed suo more obstinatis animis obfisterēt, adeo ut coram multitudine palam conuitijs incesserent doctrinam Euangelicam, Paulus animaduertens periculum, ne qui crediderant, illorum malitiā corrumperentur, subduxit sese à synagoga Iudæorum, & ab eis segregauit discipulos: nec interim tamen desijt prædicare Euangelicam doctrinam, sed quotidie disserbat in schola Tyranni cuiusdam, iam ueluti puram ecclesiam meditans synagogę fermento non uitiatam, quę non reciperet nisi dociles, obstreperos ac blasphemos non admitteret. Id factum est per biennium, tanto successu, ut non solum Ephesij, uerum etiam alij multi partim Iudæi partim Ethnici, qui confluebant ex ea Asię minoris parte, quę proprię Asia dicitur, & in qua est Ephesus, audirent sermonem Euangelicum.

Virtutesq; non quaslibet faciebat deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria et semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

Sermoni apostolico fidem astruebant miracula, per quem tum multa tum insignia deus ædebat ad confirmationem doctrinę Pauli, adeo ut non solum diætiis aut tactu propelleret morbos, uerum etiam sudariola ac semicinctia, quę contigissent corpus Pauli, deferrentur ad ægrotos credentes in deum, qui Paulum adire non poterant, atq; ad horum contactum abirent morbi, malicę spiritus effugerent. Tanta erat fiducia erga Iesum, quem prædicabat Paulus, Nihil hic nobis disputandum relinquitur de uirtutibus Pauli sanantis, & meritis eorum qui sanantur. Fides in Christum omnia operatur, & diuina uirtus exequitur omnia ad prædicationis Euangelicę comprobationem & confirmationem, quam contemnere non possent, cernentes diuinam uirtutem, & gratiam præsentem in Paulo, quo eiusdem doctrinę firmiter credendo adhæreant, & per orbem uniuersum credenda contestetur dei miraculis.

Tentauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudęis exorcistis C inuocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen domini Iesu, dicentes: Adiuro uos per Iesum quem Paulus prædicat. Erant autem cuiusdam Iudæi, nomine Sceug, principis sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant.

Vbi id uiddissent quidam Iudæi ex eorū numero qui circumeunt & ad quęstum certis ritibus ac uerbis conceptis eijciunt noxios spiritus, artem hanc iactantes sibi à Salomone traditam, tentauerunt et ipsi per inuocationem domini Iesu pellere malos dæmones, non quod fauerent glorię nominis illius, aut bene faciendi studio ducerentur, sed quod inde sibi plus quæstus & glorię prouenturum crederent. Itaq; mutatis uerbis, quibus exorcismum peragere solebant, dicebant dæmonibus: Adiuro uos per Iesum quem Paulus prædicat. Hoc potis

simum faciebant septem filij Iudæi cuiusdam, nomine Sceuæ primarij sacerdotis. Verisimile est id tentasse eos autoritate sacerdotij & nominis dei quadrilateri, cuius uirtutibus multi usq; hodie Iudæi multa tribuunt superstitiosissime, sanctissimo nomine abutentes ad suas impietates. Postquam autem uiderunt demones magis abscedere in nomine Iesu quàm in nomine dei יהוה (de utrisq; nominibus multa olim Capnio in suo de uerbo mirifico) tentauerunt & illi demones eijcere per nomen Iesu. Quo autem sanctiora sunt nomina quibus abutuntur exorcistæ illi ad suos exorcismos, tanto magis prophani sunt & impij qui eadem ratione & forma moliuntur eadem.

Respondens autem spiritus nequam, dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio: uos autem qui estis? Et insiliens in eos homo in quo erat dæmonium pessimum, et dominatus amborum, inualuit contra eos, ita ut nudi & uulnerati effugerent de domo illa.

Qui dum ad hunc modum tentassent exorcismum in quendam malo dæmoni obnoxium, respondit exorcistis impius spiritus: Iesum per cuius nomen me terrere paratis, noui, & Paulum Iesu præconem noui; uos autem qui tandem estis, qui Iesu Paulicæ nomine ad quæstû abutimini, quû neq; Iesu discipuli sitis neq; Pauli? Simulq; cum dicto homo malo dæmoni obnoxius, insiliit in exorcistas, & inualuit aduersus illos, adeo ut ægre nudi sauciq; profugerent ex adibus illis. Verum si satanæ licuisset pro sua libidine agere, nõ ipsis restitisset, sinxisset potius se ab homine oblesso discedere, quo malitiã exorcistarum impiorum & magicam artẽ per Iesu nomen confirmasset: hoc em̄ ingenium est satanæ. Sed Christi domini potentia subditus est satan, ut uelit nolit necesse habeat nõ pro sua libidine, sed pro Christi uoluntate sese gerere. Christum ergo complectere, quem si fide possideas, iam non est quod satan te malis afficere possit. Iam enim princeps huius mûdi iudicatus est. Et maior est qui in nobis quàm qui in mundo. Discamus horum hominum infania frui, qui priuata temeritate non uocati officium sibi spirituale usurpant, nos nostræ uocationi seruire, & alienas à nobis aliorum uocationes non ambire. Ex hac autem impietate exorcistarum em̄ cuit gloria nominis Christi.

D Hoc autem notû factum est omnibus Iudæis atq; gentilibus qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen domini Iesu. Multiq; credentium ueniebant confitentes & annunciantes actus suos.

Ea res diuulgata est per uniuersam ciuitatem Ephesiorum, & apud Iudæos illic agentes. Vnde timor ingens corripuit omnes, ac magnificabant nomen domini Iesu, quod sic esset salutiferum omnibus in Christum sincere credentibus, ut nullius quæstui ac gloriæ seruire uellet. Paucorum calamitas multis fuit salutis. Nam exemplo filiorum Sceuæ territi quàm plures, qui tam credere cœperant Euangelio, quum uiderent ultionem paratam his qui parum synceris animis inuocarent nomen domini Iesu, ueniebant ad Paulum, confitentes ac proferentes admissa sua, ut per poenitentiam effugerent diuinam ultionem. Erat enim Ephesiorum ciuitas præ cæteris dedita superstitiosis artibus, uel ipsorum pro uerbio teste, qui dicunt: Ephesias literas. Nec illa sola miracula antea nominatim recensita in urbe Epheso & tota regione Asia adita sunt, uerum etiã alia multa quæ nõ sunt nominatim expressa. Id quod Lucas his uerbis significat, Multi credentium confitebantur actus suos; quod quidam de peccatis, alij de miraculis patris

tratis intelligunt, cuius uirtutem & efficaciam cum gratiæ actione acceptam deo retulerint.

Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus: & computatis pretijs illorum, inueniunt pecuniam denariorum quinquaginta milium. Ita fortiter crescebat uerbum dei, & confirmabatur.

Complures illic erant, qui per errorē uel exercuerāt Iudaicos exorcismos, uel illis crediderant: quin etiā multi ex ipsis qui magicas & curiosas artes exercuerant, comportatis in publicū libris exusserunt eos coram omnibus. Quorū librorū tāta fuit multitudo, ut supputatis illorū pretijs, reperta sint denariorum quinquaginta milia. Pecuniæ iactura lucrum erat Euāgelij. Siquidē his modis uehementer augeſcebat & confirmabatur domini sermo, salutaris his qui simpliciter fide amplecterentur, formidabilis his qui minus syncere in eo uersarētur. Summa autem admiratione dignum est quod tam multi dediti magicis artibus respicere potuerunt, tanta quoq; iactura librorum, ut pœnitentiæ dignos fructus afferant. Videmus hoc in negotio ueræ fidei naturam. Quāq; enim sola fides absq; bonis operibus iustificet, & saluet, non est tamen sola absq; sanctis operibus. Quare si experientiam fidei nostræ habere uoluerimus, danda est opera ut fructus fidei faciamus.

His autem expletis proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia & Achaia, ire Hierosolymam, dicens: Postquam fuero ibi, oportet me & Romam uidere.

His per biennium satis feliciter gestis Ephesi, Paulus admonitus spiritu statuit, ut peragrata Macedonia & Achaia proficisceretur Hierosolymā, dicens: Mihi Roma quoq; uidenda est, sed non prius quā reuifero Hierosolymā. Vbi intelligimus primū summam & laboriosissimā Pauli diligentiam in administrando munere suo apostolico: deinde negotiosissimam fidem in Euangelium Iesu Christi, & quanta sit fidei in credentibus efficacia, ut & nos inuitemur ad seruandum diligenter ex fide uocationi nostræ. Non est otiosa res fides uera, nec sinit credentes ignauos esse, et turpia flagitia designare. Est enim fides anima credentis semper agēs. Ex qua permouetur Paulus ad quasuis regiones peruagare, & ante peruagatas repetere, nouas subinde conquirere, ut Euangelium Christi plantet in pectoribus credentium. Ideo nunc proponit redire ad suos Philipenses, Thessalonicenses in Macedonia, deinde ad Corinthios in Achaia, ut quos in Christo genuerat, eos etiam in Christo educaret: & quos deo lucrifecerat, eos quoq; in officio retineret. Statuit postea redire Hierosolymam, ut & illic fratres cōfirmeret, & elemosynas collectas exhibeat. Tandē omnino ut Gentium apostolus, Romanis quoq; Gentium supremis donum spirituale impartire desyderat.

Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia. Facta est autem illo tempore turbatio non minima de uia domini.

Hoc igitur animo quum esset, præmisit in Macedoniam duos ex his qui sibi ministrabant, uidelicet Timotheum & Erastum, ut & elemosynarū aliquid illic colligerent subleuandis pauperibus qui erant Hierosolymis, & animos illorum in aduentū Pauli præparandis. Ipse Paulus interim remansit in Asia ad tempus. Quo tempore coorta est grauis tempeſtas aduersus Euangelium apud Ephe-

sios, non iam à Iudæis, ut serè solet, uerum ab his qui deorū superstitionē à maioribus traditam nimium imbiberant. Erat, ut diximus, Ephesiorū ciuitas magno pere dedita curiosis artibus, & Diana credita est apud Gentes in ueneficijs habere numen aliquod, unde & triformis ab illis dicitur, quemadmodum Hecate. Eorū summa religione colebatur apud Ephesios, nutritrix omnium animantium, dea uenerationis & uia; unde & Multimammia dicta est, in templo omnium celebratissimo, & toto orbe decantatum inter præcipua orbis miracula, quod olim Erostratus ad solam nominis sui famam redegit in cineres, cui pepercerat semper milites Asiæ depopulatores. Restauratum est autem iterum ab Ephesijs, ac omnibus Asiaticis maioribus artificio & sumptu per annos quadringentos, in quo positum fuit simulachrum, quod diceretur e caelo lapsum, sed statuariorū fallacia ementitum.

Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum: quos conuocans et eos qui huiusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: & uidetis & auditis quia non solum Ephesi, sed penè totius Asiæ Paulus hic suadens auertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dii qui manibus fiunt.

Erat tum Ephesi quidam nomine Demetrius, arte faber argentarius. Is cum delubra faceret argentea Dianæ, sumptibus quidem suis, opera autem fabrorum, & aliorum artificum (colorem enim argenti luna refert) & sic non mediocrem quæstum adferebat eius artis peritis. Quotquot igitur ex fabricandis Dianæ simulachris quæstum faciebant, tum quotquot erant eiusdem opificum, quos ob artis consortium oportebat fauere, Demetrius conuocauit in unum, apud quos seditiosum habuit sermonem in hunc modum: Viri, tempus est ut communi ope commodis nostris consulamus. Non est opus ut uobis commemorem, uos ipsi scitis opificum nostrum apud Asianos uberrimi quæstus esse ob religionem Dianæ, quæ si labefactetur, necesse est simul & quæstum nostrum frigescere. Atqui uidetis simul & auditis, res enim in propatulo est, quod Paulus iste iam totum biennium hic prædicat, non esse deos qui manibus hominum fiunt, neque quicumque habere numinis quod artiporum aut fusorum ex quacumque materia fabricatur. Atque huiusmodi prædicatione persuasit multis, non solum hic apud Ephesios, uerum etiam per totam Asiam, ac numerosam hominum multitudinem auertit à cultu deorum. Hac oratione Demetrius uult prudens & pius uideri. Prudentis uiri est familiaris prospicere propria. Pij est publicam religionem pro sua uocatione tueri. At si Demetrii ingenium excusaueris, inuenies planè seditiosum & impium. Nihil agit zelo religionis, sed quæstum sui & auaritia. Prudens pietas in parando uictu dat operam ut sciat negotiationem suam esse iustam, & uerbo dei consentaneam: deinde ut cum nullus us iniuria tractetur, sed in charitate ad proximum exerceatur.

Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem uenire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia & orbis colit.

Quonia, inquit, alit nos hoc opificum & familiaris nostram, quid superest nisi ut sublato quæstu redigamur ad famem? In tanto uero periculo dormire nos insignis cuiusdam socordiae fuerit. Quod si quem parum mouet hoc periculum, ne neglecta arte nostra decedat nobis quæstum, quem nunc luculentum capimus: certe publica religio debet omnes commouere, quando si hæc impune patiemur agere Paulum, periculum esse uidemus, ne templum quoque magnæ Dianæ, quod nunc celebre

celebre est ac religiosum, magnisque donarijs locuples, pro nihilo habeat. Quis enim ueneretur templum, si persuasum fuerit templi presidem nullum habere numen. Itaque futurum est, ut tantae deae maiestas, ob quam merito dicitur magna, quamque nunc non solum haec ciuitas et Asia, uerumetiam totus orbis religiose colit, paulatim aboleatur. Itaque si prudentiam esse iudicatis ab iniuria uindicare patrios deos, hic praestate uos fortes uiros, & uenienti malo occurrite.

His auditis, repleti sunt ira, & exclamauerunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est ciuitas tota confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapti Caio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.

Haec oratio sic concitauit superstitionis multitudinis animos, ut omnes uociferari coeperint: Magna Diana Ephesiorum. Clamauerunt uero non desiderio defendendae publicae religionis. Qui enim serio religionem defendit, non illud agit infans clamoribus, & seditiosis uocibus, sed iustis rationibus, pia doctrina, humili confessione, & honesta uitae conuersatione. Hi uero clamant: Defendamus nostram magnam deam aduersus impiissimos nebulones, periculo etiam uitae nostrae. Praetextu autem religionis agunt causam uentris sui, artificia sua pro dijs adorant, dum omnem fiduciam suam in artificium collocant, & ne lucro ac quaestur artificij destituantur, peierant, proximis imponunt, alios similis artificij calumniantur. Quum periclitatur artificium, periclitatur uulgo deus eorum: his talibus omnia quae habent in discrimen uocantur, domus, familia, opes, fama, & uita. Nullo ergo telo cor uulgi grauius sauciatur quam si sentiatur artificia sua periclitari. Unde uidemus hunc Demetrium ualde industrium Catilinam ad concitandum seditioem fuisse, quippe qui contione sua hoc egerat, ut uulgo declararet artificia sua periclitari, uentremque ad famem adigi praedicatione Euangelij de Iesu Christo. Sic audiri & hodie clamor uulgaris: Magna religio Missa Papistica, magna Maria heremitica Heluetiorum, & similia. Nunquid autem soli argentarij apud Ephesios seditiosi sunt? Serpit profecto seditio perinde ac cancer morbus, & ueluti pestis proximum corripit: sic enim sequitur: Ad hunc clamorem seditiosum tota ciuitas Ephesiorum impleta est tumultu, & concursu facto promiscua multitudo magno consensu procurrit in theatrum, ubi solet regnare populi furor. Ab uno & altero nebulone incipere solet seditio, deinde permanat in totam uiciniam, hinc homines exciti concurrunt, omnia clamore implent, in eos qui fama tantum accusati sunt saeuunt, cum tamen maxima pars seditiosorum nullam seditioem aut concursus causam uere sciat. Corripiuntur hoc in tumultu Caius & Aristarchus ab his qui uiderant eos comites Pauli. Hos producunt tanquam sacrilegos, in hos omnem furorem suum effundunt, etiam hi qui huius rei prorsus ignari erant. Ibi nemo inueniebatur qui alterum uel audiret, uel de causa uere edoceret, omnia confusa erant.

Paulo autem uolente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & de Asiae principibus qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum.

Quum Paulus audito quod acciderat, uellet prodire ad populum, simul & opitulaturus suis comitibus, & populo persuasurus, discipuli non permiserunt, inconsultum esse iudicantes, si sese traderet furenti populo, nullum inde fructum relaturus Euangelio: quin & alij quidam ex Asiae primoribus, qui tamen Christi nomen nondum erant professi, tamen quoniam bene uolebant alioqui Pau-

lo, miserunt ad illum, qui uerbis eorum rogarent eum, ne se committeret concitatae multitudini, in qua nec ratio ualet nec iustitia, belua est atrocissima, quae uiciniorum quocumque sine delectu irritata aggreditur.

Alij autem aliud clamabant. Erat enim ecclesia confusa: & plures ne sciebant qua ex causa conuenissent. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudaeis.

Varius erat fremitus populi, alijs aliud, ita ut sit, uociferantibus. Erat enim contio ex uarijs hominum generibus, diuersisq; studijs confusa, plerisque etiam ignaris quam ex causa conuenissent. Res itaq; popularem quempiam orationem poscebat, qui quocumque modo praesentem tumultum sedaret. E conferta igitur turba protractus est quidam Alexander, propellentibus eum Iudaeis, ut oratione sua compesceret tumultum. Nullus enim audebat apud furiosam, ut oratione ex studijs confusam multitudinem uerba facere, ubi quicquid dictum esset, oportebat aliquos offendi. Protrahitur a Iudaeis, ut excusaret Iudaeos, quibus uulgus Gentium solet esse infestius, & modicam occasionem nactum irruere in Iudaeos ab antiquo. Volebat hic omnem culpam in Paulum & comites reijcere. Forsitan hic Alexander is est, cuius Paulus meminit ad Timotheum, dicens: Alexander faber erarius multis malis me affecit, reddat illi dominus iuxta facta ipsius, quem & tu caue.

Alexander autem manu silentio postulato, uolebat reddere rationem populo. Quem ut cognouerunt Iudaeum esse, uox facta una est omnium quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.

Protractus Alexander mota manu postulauit audientiam, iamque parabat reddere rationem. Sed tantum abest, ut is seditionem primum sedauerit, ut multo plus commouerit. Simul enim atque multitudo cognouisset Alexandrum esse Iudaeum, quem uidebant concionaturum, quae natio, quoniam unum deum colit, detestatur deos Ethnicorum, renouatus est tumultus, expectantibus ut aliquid diceret aduersus maiestatem Dianae. Proinde una uoce maiore clamore omnes uociferari coeperunt: Magna Diana Ephesiorum. Is clamor perdurauit ad duas ferè horas. Appellat ad ueterem maiorum religionem, qui Dianam coluerint, quin ex totius orbis partibus religiosi homines huc confluerint, adorauerint, & gratiam eius demeruerint. Probat uulgus religionem suam, partim ab antiquitate, quia durauerit multo tempore, partim a multitudine & potentia cultorum. Potentes diu & multi coluerunt Dianam, ergo dea est. At neque tempus neque multitudo nec potentia hominum possunt ex impietate facere pietatem, è mendacio ueritatem. Christiana autem religio quam antiquissima est a conditione Adam incipiens, non tamen ideo religio uera est quia diuturna, sed quia a uero deo edocta est & reuelata. Et quo plures quoque & potentiores sunt qui errant, eo grauior est error, quia non pariunt errori patrocinium.

G Et cum sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesij, quis enim est hominum qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnae Dianae louisque prolis? Cum ergo his contradici non possit, oportet uos sedatos esse, & nihil temere agere.

Tandem cum scriba ciuitatis silentium impetrasset a multitudine, dixit Alexander: Viri Ephesij, quorum sum pertinet ista uociferatio: Quis enim est hominum qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnae Dianae, & ab Ioue de-

ue delapsi simulachri? Quum igitur nemo contradicat his quæ uos confirma-
tis, non est cur hunc tumultum excitetis, sed oportet uos sedatos esse, neq; quic-
quam præcipitanter agere. Non habetis ullam legitimam causam uel seditio-
nis uel clamoris. Non clamat hic scriba, ut uideatur, uel Alexander, insanis cla-
moribus contra uociferationes, ut importuni magistratus nonnunq; solēt, sed
moderatis rationibus mouet uulgū, ne temere agant, ne iudicentur seditiosi et
puniantur. Hæc dicit scriba, non quia ignorauerit Euangelium de Iesu Christo
in Epheso prædicatum biennio, quo certè Diana reijcitur, sed quia Diana non-
dum disertis uerbis à Paulo & comitibus eius prophanata fuerat, nõdum enim
necessarium uel oportunum fuerat. Dixerat tantum, non esse deos qui mani-
bus fiunt. Ephesij autem credebant simulachrum Dianæ suæ non esse manibus
humanis factum, sed è cœlo delapsum, id quod nec scriba dissimulabat. Sic nu-
gabatur & Troiani & Athenienses, sua Palladia non manu facta, sed è cœlo
lapsa. Sic & apud Christianos hæcenus uidimus, simulachra quædam iactata,
quasi nec pingi queant, nec transferri in alium locum, flere, mouere oculos,
quasi diuinum aliquid continentia, & cœlitus donata. Sic et sacella uel loco mo-
ta, uel angelico officio dedicata fabulantur, imò & docetur in ecclesijs. Hæc im-
pietas manifestior est quàm ut refelli multis uerbis egeat.

Adduxistis enim homines istos, neq; sacrilegos, neq; blasphemantes
deam uestram. Quod si Demetrius & qui cum eo sunt artifices, ha-
bent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur, et procon-
sules sunt, accusent inuicem.

Adduxistis, inquit, duos istos uiros, nimirum Gaium & Aristarchum, neq;
sacrilegos neq; blasphemos in deam uestram. Non enim Demetrius & sui pro-
bare possunt, quod hi sacrilegium commiserint, aut Dianam uestram publica
contumelia affecerint. Ob hæc enim uindictanda merito fortasse concurreret
populus. Quod si Demetrius argentarius ceteriq; huic adhaerentes opifices,
per quos tumultus hic ortus est, habent aliquid aduersus aliquem quod accusent,
nihil opus est hoc theatro, neq; concursu populi, neq; tumultu. Sunt enim in
hac ciuitate leges, sunt conuentus forenses, sunt proconsules, qui causas cogno-
scant, ac lites dirimant, & in maleficos animaduertant. Apud hos inuicem ac-
cusent sese, qui dederunt occasionem huic concursui, quandoquidem illorum
causa nihil ad populum attinet. Quod si causa priuata non est, sed ad populum
etiam pertinet, tamen non est necesse rem sic geri per tumultum.

Si quid autem alterius rei quæritis: in legitima ecclesia poterit absol-
ui. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cum nullus obno-
xius sit de quo possimus reddere rationem concursus istius. Et cum hæc
dixisset, dimisit ecclesiam.

Si quid flagitatis poterit expediri legitima cõtione conuocata, per quos o-
portet, & quemadmodū oportet. Nunc periculum est, ne propter tumultū ho-
die factum arguamur seditionis apud magistratus, quū nullam idoneā causam
adferre possimus, cur hic concursus populi factus sit in theatrū. Certè illegiti-
mis contionibus & seditiosis tumultibus nulla unq; causa dirempta est, sed po-
tius bonæ causæ malæ factæ sunt, & lis litem, contentio contentionē, seditio se-
ditionem peperit. Quare si quis causam suam non potest ordinarie & legitime
expedire, omnibus modis à seditiosis tumultibus caueat, & domino deo nostro

causam suam cōmendat. Ex hac Ethnicī scribæ prudentissima oratione discendum nobis primum, ut magnificiamus ciuilem prudentiam, qua magnos nonnunquā motus componuntur. Melior est huiusmodi sapiētia quā arma bellica; quæ tamen est intra legitimos suos terminos usurpanda. Deinde nō debere nos alienis causis immiscere, sed nostra curare. Postremo discimus causas nostras quas uel priuatas uel publicas habemus legitimis et ordinarijs modis expedire.

CAPVT. XX.

A **R**ostquam autem cessauit tumultus, uocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, ualedixit, & profectus est ut iret in Macedoniam.

Paulus non est contentus plantasse ecclesias in Macedonia & Græcia, hoc est Philippis, Amphipoli, Apollonia, Thessalonica, Berrhoea, quæ sunt urbes Macedoniae & Athenis, alijsq; Græciæ locis, nisi et eas quas plantauit reget, ac uiuifico Euangelij uerbo in uiore conseruet. Etenim ecclesia hortus est, ut frequentes scripturæ propheticae docent & Euangelicæ. Qui uero in Christū credunt, sunt arbores, aut palmities uitium. Quemadmodū ergo hortus aut uinea nimio aestu ac siccitate perit, nisi imbribus irrigetur; ita ecclesia nimis afflictionibus exarescit, nisi subinde aqua spiritus sancti, quæ est Euangelium Christi, humentetur. Paulus itaq; tanta diligētia exhortando ecclesias ad perseverantiam in fide, exprimit in se boni ac prudentis patrisfamilias officium. Cui non sufficit ecclesias acquisiuisse, nisi & fidelissime curans, & discurrens sedulo, acquisitionem conseruet. Imprudentis enim est acquisita negligere, & ad ea quæ nō habet acquirenda tantum aspirare. Multarum ergo ecclesiarum parēs in Christo Paulus per suum ministerium diligentissime cauēt, ne quos in Christo genuerat, eos alimentis destitutos marcescere & deficere sinat.

Cum autē perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, uenit ad Græciam: ubi cum fuisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ à Iudæis, nauigaturo in Syriam: habuitq; consilium ut reuerteretur per Macedoniam.

Vbi peragrasset Macedoniae regiones, & ubicunq; esset congregatio multis uerbis eos fuisset exhortatus, ut in Euangelica synceritate perseverarent ac proficerent, uenit in eam partē quæ proprie dicitur Græcia, in qua est Achaia. Vbi cum fuissent menses tres, atq; hinc pararet nauigare in Syriam, sensit sibi in ea nauigatione structas insidiās à Iudæis. Itaq; uisum est tutius mutare portum, & repetita Macedonia ab eo littore repetere Syriam in quod appulerat quū primum adiret Macedoniam. Videmus ut non ab officio Paulus cessat, quamlibet malignā mercedē mūdus ei referat, insidiās q; struat assiduas. Neminē pericula à uocatione dei auertere debent. Prudenter tamen sunt declinanda pericula, ne deum tentare uideamur. Vocationi diligenter inseruiendum, ut ea fideliter defungamur. Nam etiamsi pericula nos maneant magna & multa, deus tamen defendit. Quancq; etiam labor & diligētia nostra saepe parum promoueat, nos tamen culpa coram deo uacabimus, si diligenter functioni nostræ responderimus. Nec patitur suos tentari supra id quod ferre possunt. Multi quidē amicorum à Paulo deficiunt, tamen deus adiungit ei comites quosdam uiros optimos, quorum contubernio in afflictionibus recreetur.

Comitatus est autem eum Sosipater Pyrrhi Berrhœensis, Thessalonicensium uero Aristarchus, & Secundus, et Caius Derbeus, et Timotheus, Asiatici uero Tychicus & Trophimus.

Non frustra Lucas commemorat tam diligenter comitatum Pauli. Primum enim tacite commendat clementiam dei, quod & si Paulus multos falsos amicos & ueros inimicos habuerit, deus tamen donauerit eum etiam multis sinceris amicis, ut habeat quoque solatium in aduersis. Significat quoque quanta cura ecclesie Christi Paulum obseruauerint, quando hi comites uidentur ecclesie suae nomine & sumptu Paulum comitati. Iudicabant alij Paulum tanquam proiectamentum & peripsema, alij tractabant ut angelum dei, alij noctes atque dies uitae eius insidiantur, alij uero tanquam pretiosissimum unioem custodiunt eum, & obseruant tanquam quendam Caesarem. Unde autem haec iudiciorum diuersitas? Ex eo profecto est, quod Euangelium alijs est odor mortis in mortem, alijs odor uitae in uitam. Quibus est Euangelium odor uitae, hi eius annuntiatores tanquam uitae suae non corporalis sed spiritualis & aeternae ministros obseruant.

Hi cum praecessissent, sustinuerunt nos Troade: nos uero nauigauimus post dies azymorum a Philippis, & uenimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem.

Hi sancti multae ecclesiae uiri Paulo pro solatio additi cum praecessissent, Paulo in Macedonia commorante, procuraturi quod ad tutam nauigationem pertineret, expectarunt nos Troade. Nos per Macedonia peruenimus Philippis: hinc post die azymorum soluimus, & intra dies quinque peruenimus ad illos Troadem, ubi comorati sumus dies septem. Non fuit unquam otiosus Paulus, tam fidelis Christi apostolus, quin in nauibus, in urbibus, in itinere nunquam non loqueretur de Christo suo, a quo fuerat missus, ut portaret nomen suum coram Gentibus & filiis Israel. Non gratis comitati sunt eum sancti hi uiri, non sine deuotis mulieribus: uerba uitae prodibant semper ex ore eius. Ex electionis huiusmodi uasculo quid nisi ambrosia semper Euangelici uini effluerit? Hic didicerunt inter nauigandum & comorandum, quod ecclesijs in futurum traderent Lucas & Timotheus, & similes. Sine lucro non fuit illi quodcumque tempus, locus quisque, & personarum profectus multiplex. Azymorum diebus in synagogis praedicauerat, nunc in nauibus non dormit a sanctis operibus, non solus est, sed habet ubique idoneos discipulos, ecclesiarum multarum magistros, quorum in hoc tempus fructus non exoleuit.

Vna autem sabbati cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lampades copiosae in coenaculo ubi eramus congregati.

Quodam die sabbatorum quum discipuli, hoc est Christiani a Paulo instituti conuenissent, non ad canendum uel missandum, sed ad audiendum uerbum domini, & ex more frangendi panem, non sine memoria & praesentia Christi in spiritu uirtute & sacratissima Eucharistia, hoc est gratiarum actione, quod est edere panem uitae, animam consolari, & frui donis diuinis, et Christum edere, inque fraterna charitate subinde renouari. Paulus ubique pastor agens Christo non dissimilem per Christum, reficiebat animos illorum sermone sacro & Euangelico de gloria dei & amore proximi scopo uniuersae suae praedicationis. Postridie profecturus, ideoque ardentius inculcaturus uerba nouissima uitae & salutis. Eumque sermonem ad ecclesiam noctu quoque produxit audis auditoribus in multa noctem, Ea no-

cte & eadē domo, ne dirimeret gratissimum colloquiū, erant multæ lucernæ in cœnaculo, in quo tum eramus congregati, ait Lucas, qui fidelissimus ut comes sic à commentarijs fuit insigni apostolo, qui & mercedem accepit apostoli, ut cum eo gloriosus resideat in ecclesia tam militante quàm cœlesti.

Sedens autem quidā adolescēs, nomine Eutyclus, super fenestram, cum mergeretur somno graui, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.

Erat in fidelium auditorum numero adolescens quidā nomine Eutyclus, sedens in fenestra, is quum grauaretur profundo somno Paulo diutius differēte adeo tandem depressus est ui soporis, ut à tertio cœnaculo protinus decideret in terram grauissimo casu. Si fractio cœnæ dominicæ erat, certè non agebatur sine prædicatione Euangelij de Iesu Christo, unde renouatur memoria Christi, secundū illud quoq; Pauli: Mortē domini annuntiabitis donec ueniat, quoties cunq; comederitis panē hunc & calicē biberitis. Non ergo priuatim agenda est cœna dñi, non solis ceremonijs, nō uerbis ignotis, uel nō auditis & intellectis, quod non est adnunciare quicq;. Quod si cōmunē discipuli in Troade cœnā & panem tractarunt, facile cōijci potest quanta prædicationis Euangelicæ diligentia & maiestate illi cœnā dominicā tractarūt, si tanta pietate panē susceperunt cōmunē. Et Paulū uidemus non interdium tantum de diuinis scripturis dissertentem, sed protrahit sermonem usq; in mediam noctem. Ac ne tunc quidem fatigatus cessat, sed colloquutus est cum discipulis de rebus pietatis usq; ad diluculum. Eutyclus uero somno pressus & cadens docet non oscitanter et ignaue audiendum esse uerbum domini, sed arrecta & alta mente auscultandum & reponendum in sacrum usum quod diuina uoluntate auditur.

C Ad quem cum descendisset Paulus incubuit super eum: & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. Ascendens autem, frangensq; panem & gustans, satisq; alloquutus usq; in lucem, sic profectus est. Adduxerunt autem puerum uiuentem, & consolati sunt non minime.

Pro iuuenis quidē casu accursum est, sed repertus est mortuus ac sublatus in domum. Id ubi cognouit Paulus descendit, atq; ad exemplū Eliæ prophete incuruato corpore incubuit super eum, ueluti cōplexu suo fouens exanimem. Hoc facto uertit sese ad discipulos ob inopinatū casum turbatos: Nolite, inquiens, turbari, adhuc anima eius in ipso est: nondū em̄ tota corpus reliquit. Hac oratione consolatus est illos, et rursus ascendit cœnaculū, fregitq; panē ac degustauit. Deinde diu rursus colloquutus cū illis usq; ad diluculum, ita demū profectus est. Adeo durum est amantissimum patrem à suis filijs distrahi. Porro qui remanserant apud adolescentem, adducunt eum in cœnaculum uiuum & integrum. Quæ res non mediocriter refocillauit animos omnium. Non enim decebat, ut sermo qui salutem adfert omnibus, adolescenti mortis esset occasio.

Nos autē ascendentes nauē, nauigauimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat, ipse per terrā iter factururus. Cum autē conuenissemus in Asson, assumpto eo, uenimus Mytilenem.

Intelligimus ex diligenti descriptione Lucæ, non fuisse otiosam Pauli peregrinationem, sed laboriosam & periculosam, quemadmodum ad Corinthios secunda cōmemorat labores suos multos, & pericula in fluminibus, mari, latronibus &c. Non habet aliam in hoc sæculo sortē iustitia & pietas quàm pericula &c.

la & odium, cum prædicatio Euangelij præcipuus sit dei cultus. Omnes qui pie uolunt uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Hoc scientes non offendamur in aduersis, nec à iustitia deficiamus. Monemur quoque hoc loco, quanta solitudine margaritum illud Euangelicæ prædicationis custodire ac conseruare debeamus. Quæ enim magno labore constant, tanto sunt diligentius obseruanda. Prædicatio autem Euangelij prophetas quoque afflixit, & inuoluit multis tribulationibus, Christum dominum occidit, apostolos & discipulos Christi exercuit grauissimis incommodis, & hodie exercere non cessat. Soluerunt conscensa nauis Troade, uenerunt Asson: ea ciuitas maritima est infra Troadem. Sic enim ordinauerat Paulus, ut eò nauis præcederemus, ipse terra pedibus facturus iter, uel quia tutius erat, uel ut plures saluaret. Quum autem conuenissent Asson, Paulum recipientes deueniunt Mytilenen: ea ciuitas littoralis est Lesbii. Horum locorum & nominum explicationem uide in Vadiani Epitome cap. de Insulis Mediterraneis, lectu iucunda & utilia.

Et inde nauigantes, sequenti die uenimus contra Chium: & alia die applicuimus Samum: & sequenti die uenimus Miletum: proposuerat enim Paulus transnauigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem pentecosten faceret Hierosolymis.

A Mytilene soluentes postredie uenerunt contra Chium insulam. Rursus hinc postero die appulerunt ad Samum insulam: atque hinc traiecerunt Trogyllium: ea ciuitas est Asia littoralis Samo opposita. Hic eam noctem commorati, postredie peruenerunt Miletum: ea ciuitas est maritima Caria. Quamquam autem præterlegentibus Asia littus prius occurrebat Ephesus quam Trogyllium aut Miletus, tamen ita decretum erat Paulo, ut præternauigaret Ephesum, ne tempus tereret in Asia, si per insidias non licuisset illinc tuto soluere in Syriam. Prope rabat enim, ut si fieri posset, diem pentecosten ageret Hierosolymis.

A Mileto autem mittens Ephesum, uocauit maiores natu ecclesie. Qui cum uenissent ad eum, & simul essent, dixit eis:

Ne Paulus uideretur Ephesios ob neglectum aut odio præterisse, misit e Miletum qui presbyteros congregationis Ephesiorum accerferent, quibus eam congregationem curandam commendarat. Qui cum uocati uenissent, hunc in modum loquutus est illis, exhortando eosdem, ut siquidem ipse abiturus esset, & non reuisurus, ministerio suo interim diligenter fungantur.

Vos scitis à prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter uobiscum per omne tempus fuerim, seruiens domino cum omni humilitate & lachrymis, & tentationibus que mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum: quomodo nihil subtraxerim uobis utilium, quominus annunciarẽ uobis & docerem uos publice & per domos, testificans Iudæis atque gentibus in deum penitentiam, & fidem in dominum nostrum Iesum Christum.

Non necesse est fratres, inquit, ut meam synceritatem in Euangelico negotio uobis commemorem. Vos ipsi scitis, qui uidistis quomodo me per omne tempus apud uos gesserim à primo die quo sum ingressus Asiam, quod non meam gloriam aut meum compendium uener à quoquam, sed in tradendo Euangelio domini Iesu iussis obtemperare, eiusque uoluntati per omnia seruire studui, nimisrum ipsius inharere uestigijs, qui se deiecit, qui se tradidit in afflictiones ac mor-

tem, ut ecclesiam suam purgaret ac constabiliret: ita & ego cum multa humilitate & ignominia quam passus sum ab hostibus Euangelij, cum multis lachrymis, quas pro solitudine congregationis fudi, cum multis afflictionibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudeorū, qui non patiuntur Euangelij gratiam Gentibus communicari, uersatus sum in negotio Euangelij. Et tamen nihil horū malorū commouit animū meum, ut territus afflictionibus quicūq; obmiserim, quod pertineret ad uestram salutem, aut esset in rem uestrā, quod non cum periculo mei capitis uobis indicarem, ac docerem uos, tum publice in synagogis, tum priuatim domestice, ut cūq; sese dabat oportunitas, non prædicans uobis id quod Iudæi uolebant, circuncisiones, sabbatismos, & lotiones, sed poenitentiam uitæ superioris, quam deus requirit ab omnibus, ut salutē det omnibus, et fiduciā erga deum nostrum Iesum, cuius Euangelio quisquis credit, saluus erit, siue Iudæus, siue Græcus, siue circuncisus, siue incircuncisus. Et ideo gratiam omnibus oblatam, omnibus promiscue prædicaui, non habito personæ delectu, nec deterritus Iudeorū odio, qui studio legis oppugnant Euangelium, nec saeuitia Gentium, quæ superstitionem à maioribus traditam tuentur. Nam si quid afflictionis incidit mihi, magis me commouit cōgregationis periculum, ne quis offensus meis malis alienaretur ab Euangelio, quàm ignominia aut dolor mihi inflictus. Quod si quando subduxi me periculis, uestro animo morem gessi, uestris commodis consului potius quàm meæ incolumitati. Paucis autem uerbis hic Paulus complectitur summam doctrinæ Christianæ. Poenitentia prior pars est erga deum, & legem dei complectitur. Scire enim oportet quid uelit deus, quid illi placeat, quid agendum & uitandū, quid domino obligemur. Quod si nec satisfacimus nec satisfacere possumus, agnoscēda sunt nostra peccata, metusq; ferendus uindictæ diuinæ. Posterior pars est fides in Christū, qui satisfacit pro nostris peccatis, patrem placauit, iustitiā suam nobis cōtulit, toti legi pro nobis satisfacit, cuius & nos oportet uestigia sequi, & crucem ferre post dominum.

E Et nunc ecce ego alligatus spiritu, uado in Ierusalem: quæ in ea uentura sunt mihi, ignorans, nisi quod spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens quoniam uincula & tribulationes Hierosolymis me manent.

Ostendit Paulus in seipso quàm plane non sit positus homo in potestate sui arbitrij, sed totus pendeat ex manu dei. Quancūq; autē Paulus corpore erat liber, boni quoq; & spirituales homines in singulis ciuitatibus instinctu spiritus diuini dehortarentur eum, nō uerbis tantum, sed & lachrymis, quemadmodum postea sequitur, ut obmissa Ierusalē apud eos diuersaretur, tamen Paulus ita spiritu suo alligatus erat, ut non potuerit animū inducere, quo non proficisceretur ad Ierusalem, adeo sui ipsius animi captiuus erat, quò & spiritus impellebat: sic enim prouidentia dei ordinatum erat. Habemus quidem uoluntatem naturalem, & externā libertatē agendi & proficiscendi, nisi deus impediatur & aliud ordinari, cui resistere potestas humana non potest. Voluissent ex charitate prius Paulo consultū, ne incideret periculum Iudæorū, & bene mouebantur ac sancte, sancto spiritu agēte hāc in illis charitatē, sed Paulus eodē spiritu uoluit pro officio suo Christo seruire etiam in maximis periculis, quorū eventum domino commendabat. Varia uolebant ex uno diuino spiritu instigati ad dei gloriam.

Sed nihil horum uereor: nec facio animam meam pretiosiorē quàm me dummodo consummem cursum meum & ministerium uerbi quod
 accipi

accepi à domino Iesu, testificari euangelium gratiæ dei.

Quum non ignorem uinciendum me Hierosolymis, & affligendum, tamen nihil harum rerum me deterret quò minus fungar apostolico munere, etiam si mors sit oppetenda. Neq; enim hæc mihi uita mea chara est, quæ Christo pro te more perire non potest, sed uita charius est ut domini iussis obediam, utq; cursum hunc euangelicæ prædicationis quemadmodum hæcenus alacriter sustinui consummem cum gaudio. Gaudium est ingens animo meo, si per meas afflictiones crescit euangelij prouentus. Nihil enim aliud mihi cordi est, nisi ut in stadio euangelico in quod me dominus induxit semper progrediar, donec ad metam peruenero securus de præmio, quod suo tempore pro suo arbitratur repensurus est agonotheta, qui non potest fallere. Non ingessi memet huic muneris, sed dominus Iesus hoc mihi delegauit, ut Iudæis ac Gentibus prædicem lætissimum nuncium, per fidem euangelicam deo uisum esse, salutem gratis dare omnibus. Hanc functionem uolens & lubens obo, siue uiuere contingeret siue mori. Quandiu licuit adesse uobis præsens consului uestræ saluti, docens, admonens, exhortans, consolans, increpans, subinde reuifens.

Et nunc ecce ego scio quia amplius non uidebitis faciem meam uos omnes per quos transiui prædicans regnum dei.

Nunc scio spiritus instinctu quod posthac nõ estis uisuri faciem meam, nec uos Ephesij, nec cæteri omnes, qui minorem Asiam incolitis, ad quos deueni prædicans regnum dei. Quod mei muneris erat sedulo bonaq; fide præstiti: uestrum erit posthac, ut operam detis, & diligenter suo munere fungamini, ut puram euangelij doctrinam in ecclesia conseruetis.

Quapropter contestor uos hodierna die, quod mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium dei uobis.

Nunc igitur digressurus à uobis, absq; spe reditus, illud apud uos hodie contestor, quod si quis perierit sua aut aliorum culpa, ego sim purus à sanguine omnium. Ostendi cunctis ueram uiam, qua peruenire licet ad uitam æternam. Aperui uobis omne consilium dei, & quomodo placeat illi seruari genus humanum, & quid præstandum sit his qui perstiterint in fiducia certa & sincera erga dominum Iesum, ne quis ignorantiam ualeat prætexere. Exemplum ex me præbui, nihil non & faciens & patiens, ut omnes perseueretis in euangelij sinceritate. Nullius mors mihi poterit imputari. Neq; nunc mea sponte diuellor à uobis, aut metu persecutionum memet subduco, sed ita uolente spiritu Christi, prudens ac sciens in certum uitæ discrimen proficiscor. Hic discendum prædicatoribus euangelij, internecionem pereuntium in ecclesia imputari eorū ignauiæ, socordiæ, negligentia uel impietati. Necesse igitur habent & ex officio debent deo & ecclesiæ, peccata arguere quorumlibet, nullum in ea re habere personarum respectum, iuxta illud Ezechielis: Si dicente me ad impium, &c. Non sunt ergo ob id fideles in officio prædicatores odiendi ob huiusmodi ueritatē, quam pro sua uocatione obtinere non debent, nisi in ecclesiam & deum sese uelint perfidos exhibere, & diuini iudicij grauissimam subire sententiam. Discendum quoq; non sufficere, si quis præsentis uocationi diligenter inseruiat, quin abiens quoq; & aliò uocatus à domino, etiam futura deo ac his qui à deo ordinati sunt, curanda relinquere.

Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus pos-

fuit episcopus regere ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Quod mea praesentia uobis praestare non poterit, id uestra diligentia penset oportet. Videte ne uobisipsis desitis, neue ab his quae bene coepistis relabamini, sed uos qui seniores estis, quibusque curam multitudinis commendauit uigilate, tum uobisipsis ne corrumpamini per insynceros apostolos, tum toti gregi quae pascendum suscepistis. Ego summa synceritate perfunctus sum meo munere, quod a domino delegatum erat. Vos item simili studio similique integritate curae agite gregis, cui uos spiritus sanctus praefecit episcopos, hoc est inspectores, ut curetis ne quid salutaris pabuli desit ouibus Iesu Christi, utque non lupos sed ueros pastores agatis erga congregationem dei, quae uobis oscitanter curanda non est, ut quam deus adeo charam habuerit, ut unigeniti sui sanguine eam paraauerit. Non est igitur committendum, ut merx tam care empta deo uestra negligentia pereat. Spiritus sanctus, inquit, uos pastores constituit, ideo si ignaui fueritis, in deum peccatis, non hominis sed spiritus sancti mandatum uiolatis. Non effugiet iudicium domini graue quisquis uocationem suam ignauiiter & torpide administrat. Docet proximo benefaciendum multa diligentia, maxime autem subiectis sibi a domino, qui in dei conspectu & aestimatione preciosissimi sunt, quos charissimos habet deus. Sunt enim dei opus, ad imaginem dei creati, & per filij proprii sanguinem & mortem redempti. Id non tantum ecclesiasticis dicitur praestari, sed omnibus priuatis quoque hominibus, ut suorum curam habeant diligentem, alter alterum non contemnat, non fastidiat. In fratrem enim qui peccat peccat in Christum; is autem non poterit immunis uel impune euadere.

Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in uos, non parcentes gregi. Et ex uobisipsis exurgent uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se.

Non haec sine causa tam solcite moneo, scio enim quod non semper Paulos habebitis, sed post abitum meum uelut in caulas a pastore destitutas ingerent se lupi rapaces, & graues, qui non parcent gregi, sed omnia molientur, ut dissipent congregationem uestram. Hic periculum erit, ne qui sunt imbecilles, fracti malis recedant ab euangelio. Sed imminet aliud periculum multo maius. Non solum aliunde uenient qui terroribus & minis tyrannicis, sed etiam qui callidis persuasionibus, qui fucata specie sanctimoniae conabuntur corrumpere synceritatem uestram, ac labefactare libertatem, quam habetis per euangelium Iesu Christi: uerum etiam ex uobisipsis exorientur uiri, qui prodita uestra concordia loquentes ut Iesu Christo grex suus sit incolumis, sed ut ipsi discipulos abducant post se, quo uideantur aliquid esse, nimirum metuentes ne parum egregij doctores uideantur si nihil noui doceant. Atqui peruersa nouitas est, quum homines ad mauult quam ipsius, & ab eo pabulum sumit quo pascat illos. Isti ob gloriam et quaestum ex Christi discipulis faciunt suos, & authores esse uolunt euangelicae doctrinae, cuius nos reuera aliud nihil sumus quam dispensatores.

Propter quod uigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessauit cum lachrymis monere unumquemque uestrum.

Monet Paulus presbyteros ut sui exempli meminerint, & quemadmodum ipse etiam cum lachrymis toto triennio singulorum salutem curauerit, ita aequum est ut illi multo maiori sollicitudine piam doctrinam urgeant, quando maiora pericula instant.

instant. Hic locus docet sanctos nobis in exemplum bene operandi propositos esse. Cōmendatur enim eorum pietas in scriptura, non ut inuocētur, sed exemplo potius sint quod imiteē, ut quò plus imminet periculi, hoc attentius uigileē.

Et nunc commendo uos deo & uerbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.

Quod superest fratres, nunc quoniã auellor à uobis cōmendo uos deo, qui suum gregem non destituet. Ac sermoni euangelico, in quo qui sincere uersantur, dei gratuitam erga cunctos homines beneficentiam prædicant, potius quàm legis iustitiã. Opitulabitur fauor diuinus. Nos pro delegato munere fundamēta fecimus, cæterū deus qui per nos agit hæc omnia, potest superstruere ut quod coeptū est ex ipsius uoluntate perficiatur, et quemadmodū hæcenus uobis contigit per euangelij professionem cooptari in numerum filiorum dei: ita perseuerantes in sancto proposito, perueniatís ad hæreditatē promissam omnibus sanctificatis per dei gratiã, siue ex Iudæis sint siue ex Gentibus. Magnum quidem à uobis laborē exigo, ingētia uobis onera impono, prædicare incessanter euangelium, preces fundere sine intermissione, lachrymas pro ecclesia, afflictiones nunc à tyrannis, nunc à pseudapostolis, nunc à Iudæis, nunc à uestris ipsorum auditoribus. Quid mercedis uos manet? Gaudete, inquit Christus, & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis.

Argentum, & aurum, aut uestem nullius concupiui. Sicut ipsi scitis **G** quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ.

1. Cor. 4. c

1. Thes. 2. b

2. Thes. 3. b

Vidistis hæcenus meã ad uos sollicitudinē & fidē, uidistis labores meos, uidistis pericula mea, quæ uestra causa suscepi, nihil interim præmij captans à uobis, nec honorē, nec lucrū, adeò, ut quod à cæteris sit apostolis, quodquæ iure meo poteram, ne necessaria quidē à uobis acceperim. Non aurum, non argentum, non uestem cuiusquam concupiui. Nam ut ipsi scitis, necessitatibus meis & comitum meorum manus hæc quod opus fuit suppeditauerunt. Et alibi ad Thessalonicenses: Nō inordinate gessimus nos inter uos, nequæ gratis panem accepimus à quoquam, sed cum labore & sudore nocte diequæ facientes opus, ad hoc, ne cui uestrum essem onerū. De stipendijs autem ab alijs acceptis ad Corinthios in posteriori: Cæteras ecclesias deprædatus sum, accepto ab illis stipēdio, quo uobis inseruirem; & cum apud uos essem & egerem, non onerosus fui cuiquam; nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres qui uenerāt à Macedonia. Vnde et nūc quoquæ monet presbyteros ecclesiæ, ut exemplo suo non existiment pietatē esse quæstum huius sæculi, nec euangelium esse cauponationem, sed mercedem bonorum laborum in cœlestibus inter sanctos sibi parent.

Omnia ostendi uobis, quoniam sic laborātes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse uerbi domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis, dare quàm accipere.

Poteram quidē hoc à uobis sumere, non ignarus operariū esse dignum mercede sua, sed ego mercedem omnē malui expectare à domino, & exemplū modis omnibus absolutū studui uobis exhibere, ut qui in gregis curā successistis, intelligatis hoc esse boni pastoris officium, ut quum nullum defugiat laborem in prouehendis gregis cōmodis, tamē ob infirmos abstineat ab omni mercede humana, ne quis ob hoc alienior sit ab euangelio quod euangelistam suum cogatur alere, aut ideo minus obtemperet monitis pastorum, quod existimet eos

sibi ob accepta beneficia factos obnoxios. Sic enim est hominum ingenium, ut nescio quo modo minoris faciant eos, in quos beneficiū contulerunt. Quamquam autem equum est, ut qui uobis euangelicas opes impartiunt, his uicissim de longe uilioribus opibus subueniatis. Tamen ego sciens inter uos multos esse imbecilles, nullam cuiquam uolui dare peius de nobis sentiēdi occasionem. Hoc exemplum meum studete pro uiribus æmulari, simulq; memineritis quod dixit dominus Iesus: Beatius est dare quàm accipere. Dixit enim: Date & dabitur uobis: filius hominis uenit ut ministret, non ut ministretur ei. Pulchrum est enim possidere talia bona, quibus alterum iuuare possis. Valde autem beatum est liberalem animum, & multa dei dona habere. Annitatur ergo & nos ut beneficia conferre possimus & uelimus, potius quàm ut cogamur ab alijs mendicare inertes.

Et cum hæc dixisset, positis genibus suis orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium: & procumbentes super cololum Pauli osculabantur eum, dolentes maxime in uerbo quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non essent uisuri. Et deducebant eum ad nauem.

Hæc locutus Paulus, flexis genibus precatus est ex more cum omnibus illis. Vbi uidemus quomodo cōtendāt inter se Paulus & auditores eius, qui tūc præsto aderant charitate. Paulus orat pro ipsis, ipsi autem uicissim pro eo orāt, adeoq; affectū charitatis suæ cum fletu, osculis & comitatu declarant. Quo certamine nihil in conspectu dei iucundius. Discruciabatur uero plurimum animos omnium uerbum hoc quod dixerat Paulus, illos non amplius uisuros faciem ipsius. His peractis, euntem ad nauim officij gratia deducebant, oculis etiam quoad licuit prosequentes nauigantem.

CAPVT XXI.

AUm autem factum esset ut nauigarem abstracti ab eis, recto cursu uenimus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pataram. Et cum inuenissemus nauem transfretantem in Phœnicen: ascendentes nauigauimus.

Describit Lucas multis uerbis nauigationē Pauli, cui interfuit indiuiduus comes, & quemadmodum ab insula ad insulam nauigatum est, ita alteram post alteram pulchre nominatim recenset, adeoq; palam ostendit, Paulum ualde in hac profectioe festinasse, ut pentecosten ageret Hierosolymis, quod & in tempore assequutus est. Vbi rursus Paulus cōmendatur, ut nullo maris discrimine deterritus fuerit, quo minus ministeriū suum à Christo commendatum cōpleuerit. Quamquam etiam ubique per spiritum sanctum admonitus fuerit, grauiā uincula ipsum Hierosolymis manere, nihilominus tamen ita ad Ierusalē festinat, quasi illic omnia uoluptatū genera ipsum manerent. Nec solum spiritus sanctus per ciuitates Asiæ, sed in Phœnicia quoq; & Syria testificabatur manere Paulum uincula & afflictiones in Ierusalē. Pulcherrimam harū regionum et insularū situm si scire uelis, Vadiani nostri Lucubrationes in huius operis gratiam religiose descriptas lege, uel ex indicibus facile deprehendes.

Cum apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, nauigauimus in Syriam, & uenimus Tyrum: ibi enim nauis expositura era: onus.

Vbi

Vbi e Patara urbe maritima Lyciæ soluissent, in Phœnicen nauigabāt. Vbi deniq; cœpit illis apparere Cyprus insula, relicta ea ad leuam, cursum instituerunt in Syriā, & Tyrū appulerunt, quæ ciuitas est insignis, & nominatissima in scripturis, in littore Phœnicis península, olim insula. Similiter & Sidon urbs Tyro antiquior. Voluissent quidem recta Palæstinam nauigare, sed quoniā Tyrus emporium est, hic nauæ erat exponendum onus. Id impedimēti deuorare coactus est Paulus, quò tardius Hierosolymam peruenerit.

Inuentis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascenderet Hierosolymam.

Discipuli dicuntur qui Christiani tunc erant, inter quos erant qui in spiritu uidebant Paulum uinciendum & affligendū ualde Hierosolymis, uerum nupiam quisquam inuentus est qui diceret clarius eum occidendum Hierosolymis, quum tamen non capiat quenē apostolorum & prophetarū occidi extra Ierusalem, donec stetit. Cæterum ex hoc satis intelligebat uoluntatē diuini spiritus non esse ut fugeret, sed aggredereur fortiter in domino cōfidens, à quo minime esset deserendus, quamlibet humano spiritu utentes fratres dehortarentur Paulum ne ascenderet. Erat amica quidem admonitio, sed nō ex sancto spiritu. Quare nec Paulus huic admonitioni cessit.

Et expletis diebus profecti ibamus, deducētibus nos omnibus cum uxoribus & filijs usque foras ciuitatem: & positis genibus in littore, orauimus. Et cum ualefecissemus inuicem ascendimus nauem, illi autem redierunt in sua.

Multo charitatis ardore discipuli Apostolum suum cōplectuntur & doctorem in fide. Non uiri solum, sed & uxores & liberi deducunt Paulum ad littus, non sine periculo, & plurium odio. Nam & Iudæi & Gentes extremo odio, nō solum euangelium ipsum, sed & professores & confessores persequerent, præcipue autem in Paulū insaniebant. Hic autē comitatus per ciuitatem Tyrum quid aliud erat, quàm publica euangelij cōfessio, & testificatio ueritatis doctrinæ Pauli: Eò autem adegit ipsos fides solida in Iesum Christū, & charitas erga Christi Apostolum. Orant autem in littore positis genibus. Non quia deus hūc gestum respiciat, sed ut eo gestu corporis mentem nostram in oratione cōtinea mus, ne aliò, ut solet, euagetur, & ut hoc signo depingatur nobis quid fide corā deo in oratione agendum sit. Nam sicut qui genua flectit erga alterum, submittit sese ei, ambiens eius gratiam: ita qui orat deum, debet sese totum deo submittere, suam fateri miseriam, nihil suæ dignitati aut uirtuti adscribere, sed omnia gratuita misericordiæ dei accepta referre, solam eius ambire clementiam. Proinde ad exemplum Christi, apostolorum & prophetarū, ita genua corporis flectamus, ut simul quoq; mens se totam deo submittat.

Nos uero nauigatione expleta, à Tyro descendimus Ptolemaidā: B & salutatis fratribus, mansimus die una apud illos. Alia autem die profecti, uenimus Cæsaream.

Tyrus splendidissima olim populo Romano colonia, in sorte quoq; filiorū Aser, septingentorū olim passuum interuallo remota à littore, & plane insula, antequam Alexander aggere immisso continenti adnecteret, ex libro Iosue facile testimoniū antiquitatis sortita: & ex secularibus quoque literis celebrata, multarum urbium parens, in primis autem Leptis, Vtica, Carthaginensis, Ga

dium quoque, ex qua urbe transito Albo promontorio, Paulus peruenit ad Ptolemaidem, coloniam æque maritimam, quæ ipsa amœno montium iugo clauditur, celebris tot retro sæculis uitrarijs officinis. Hæc, inquit Vadianus, Pauli ex Asia regressum, cum suis excepit, die uno apud fratres moratum.

supra 6. b

Et intrantes domum Philippi euangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filia uirgines, prophæ-
tantes.

Clarissima urbium Palæstinæ Cæsarea, antè turris Stratonis uocata, quam bellis fractâ Herodes Antipatri filius continuo decennio non æstimandis sumptibus extructam, Cæsaream in gratiam Augusti Cæsaris uocauit, cui & templum erexit, & ludos quinquennales siue Olimpiacos dicauit, facta tandem est Christianis metropolis Iudææ. Habuit in ea urbe Philippus euangelista domum, Pauli etiam hospitio nobilem. Is Philippus diaconorum septem unus, primus Eunuchus & Samaritanis prædicauerat iam euangelium, huic erant filia quatuor, adhuc innuptæ, quæ pollebât spiritu prophetico. Vnde primum patet honestas parentis, qua filias suas in domini timore educauit, ut idoneæ fierent spiritui prophetico. Exemplum inde captatur, dominum deum non esse respectorem personarum, confert enim dona sua quibuscunque libet, nõ uiris tantum, sed & mulieribus, adeoque uirginibus, unde fortè & Paulo prædixerunt fore ut Hierosolymis comprehenderetur, & uinctus traderetur gentibus. Certe quæ mox de propheta Agabo sequuntur, indicant spiritum prophetiæ de uinculis Pauli ubique sibi ipsi consensisse.

Et cum moraremur per dies aliquot, superuenit quidam uir à Iudæa propheta, nomine Agabus. Is cum uenisset ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit spiritus sanctus: uirum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus gentium.

Quum huius hospitio diebus aliquot uterentur Paulus & comites, superuenit quidam à Iudæa propheta, nomine Agabus. Is cum diuertisset ad Paulum, tulit zonam Pauli, qua quum ipse sibi pedes alligasset, ex ueterum prophetarum more, qui solent signo quoque representare quod prædicunt, dixit afflatus spiritu: Hæc ait spiritus sanctus: Virum cuius est cingulum hoc, sic alligabunt Hierosolymis Iudæi, tradentque in manus gentium. Est & hic Agabus, qui etiam per spiritum sanctum significauit antea famem magnam futuram in toto orbe, quæ accidit sub Claudio Cæsare, de quo supra capite undecimo.

C Quod cum audissemus, rogabamus nos & qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego autem non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen domini Iesu. Et cum ei suadere non possemus, quieuius, dicentes: Domini uoluntas fiat.

Hoc sermone territi, tum discipuli qui Paulo comites erant, tum eius loci multi fideles, cum lachrymis rogabant, ne se committeret Hierosolymæ. Hic erat pius affectus nolentium perire tam eximium pastorem. Paulus autem cui certius oraculum spiritus sanctus adiderat in pectore, ut iret Hierosolymam, postea uisurus Romam, ait illis: Cur inanibus lachrymis uestris affligitis cor meum? Neque enim me mouet periculum, quod denunciant prophæta, sed ue-
ster

ster mœror mœrorem conciliat animo meo. Certum est persequi quod ad euangelij profectum fieri uult spiritus. Neque me terrent uincula, iam istorum malorum nequaquam rudem. Tantum enim abest ut metu uinculorum sim deserturus negotium euangelicum, ut mori quoque paratus sim Hierosolymis pro nomine domini Iesu. Vincatur Paulus, modo libere discurrat euangelij sermo: occidat Paulus, modo uiuat apud omnes, & uigeat gloria nominis Iesu. Quod uitam opto, non ob aliud opto, nisi ut pro sim euangelio, alioqui mihi lucrum fuerit pro Christi nomine cito finire uitam hanc. Proinde uos nolite deplorare quod mihi etiam optabile est, si uelit deus, uestrisq; fletibus desinite mœrore afficere animum meum, qui non possum non dolere cum dolentibus amicis. Ad hæc quum non haberent discipuli quod responderent, uiderentq; illi certum esse decretum, ut pergeret Hierosolymam, passi sunt illum abire, dicentes: Fiat uoluntas domini. Nam hæc est uox uere Christianorum, quam omnibus etiam si non sit in ore, tamen oportet semper esse in animo, quicquid imminet seu lætæ rei seu tristis, fiat uoluntas domini.

Post dies autem istos præparati, ascendebamus in Ierusalẽ. Venērunt autem quidam ex discipulis à Cæsarea nobiscum, adducentes secum (apud quem hospitaremur) Iasonem quendam Cypriũ, antiquũ discipulũ. Et cum uenissemus Hierosolymã, libenter exceperũt nos fratres.

Maluit uir pius uel cum maximo periculo uoluntati diuinæ obsequi, quam sine periculo securã aduersus uoluntatem dei uitam agere. Itaq; nihil moratus, accingit sese destinato itineri, & ad Ierusalem urbem cædibus prophetarũ, apostolorum, adeoq; ipsius Christi domini iam antea funestam, contendit. Erat ex consensu spiritus sancti certum, & inter discipulos uulgatum, quod Paulus esset ibidem capiendus & uinciendus, nihilominus tamen non relinquunt eum discipuli, sed quo magis aduersa fortuna imminet, hoc plures sese ipsi adiungunt & affectu ardentiore eum prosequuntur. Nam præter priores comites etiam quidam discipuli Cæsarienses adiungunt sese illis, & Mnason quidam natione Cyprius ciuis Hierosolymitanus multo antè fidem euangelij professus, obtulit se illos hospitio excepturum ibidem. Quanquam non essent ignari, si quid Paulus aduersitatis immineat, id etiam ad seipsos pertinere, præceptorẽ tamen suum in aduersis non derelinquunt. Id autem sic fit dei prouidentia, quia nec Paulus spem suam in amicos collocat, sed in deum, nec amici Paulum carnali affectu complectebantur, sed in deo amabant.

Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobũ, omnesq; collecti sunt seniores. Quos cum salutasset, narrabat per singula, quæ deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius. At illi cum audissent, magnificabant deum.

Quum, inquit, peruenissemus Hierosolymam, libenter & alacriter exceperunt nos fideles & fratres. Postridie uero Paulus nobis ipsum comitãtibus adiit edes Iacobi Iusti, qui dictus est frater domini. Nam hic ab apostolis institutus fuerat episcopus Hierosolymorum. Eodem cõuenerunt omnes seniores, quos omnes cum salutasset Paulus, referebat illis ordine quæ deus per ipsius ministerium gessisset inter gentes, inter quas iam ferè uiginti annos prædicarit euangelium. Non autẽ iactat suas uirtutes, sed commendat gratiã dei & misericordiã, qua & Gentes in cõmunionẽ euangelij receptæ sunt & factę cultores dei. Hæc illi quũ audissent, glorificabãt dominũ, qui gratiã suã effudisset etiã in gentes.

Non Paulum, sed dominū glorificabant apostolici uiri. Sequitur quid afflictio-
num Paulo in Ierusalem contigerit. Ac primum audit à presbyteris se inter fra-
tres huius criminis accusatum, quod doceat Iudæos inter gentes habitantes, le-
gem Mosis esse malam ac minime obseruandam.

dixeruntq̄ ei: **Vides frater quot millia sunt in Iudæis qui crediderūt:
& omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te quia discessio-
nem doceas à Moysē, eorum qui per gentes sunt Iudæorum, dicens nō
debere eos circūcidere filios suos, neq̄ secundū consuetudinē ingredi.**

Paulus ut osor legis Mosaicæ delatus erat, cuius impletionē in Christo præ-
dicabat, cui credere perfectio legis esset, & uera iustitia, quæ domino commen-
daret fideles, non ceremoniæ quæcunq̄ externæ, non circuncisio, nō lotiones,
uel sacrificia templi, quando iam Christus semetipsum offerendo iuxta prædi-
ctiones legis & prophetarum abstulisset peccata mundi, & omnium gentiū ex-
pectatio iam præstitus uenisset, & ecclesiā congregasset ex Iudæis & gentibus,
in qua regnaret perpetuò, & ubiq̄, spiritualiter, sine acceptione personarū, fa-
ueret credentibus, & uerum deum unū & summū colentibus. Huiusmodi erat
Pauli prædicatio, quæ patet ex suis epistolis. Hinc calumniæ occasionem sum-
pserunt sibi Iudæi, quasi cōtemneret legem, prohiberet obseruantia eius, & tra-
ditiones patrum & maiorum, et pharisaicas. Huic autem incommodo Pauli ut
mederētur, dixerunt: **Vides frater in Christo & fide, cuius opera nedū nō dam-
namus, sed & probamus, quem electū à Christo nouimus, & illustratū. Vides,
inquiunt, quot sint hic, hoc est Hierosolymis & in Iudæa Iudæorum ex genere
Israelitico qui crediderunt euangelio, qui tamen adhuc omnes stante templo
& durante diuino cultu magno legis studio tenentur, studiosi obseruatores ce-
remonialium & iudicialium mandatorum ipsius. Rumor autem ad hos perla-
tus est, quem nos scimus esse uanū, quod Iudæos qui sunt apud gentes, passim
dispersos & exules, doceas desciscere à Moysē, sic ut nec circūcidant filios suos,
neq̄ seruent traditiones legis & maiorum, in delectu ciborū, in sabbatis, in ua-
rijs lotionibus, cæterisq̄ ceremonijs, quæ Iudæi hi qui gentibus admixti non
sunt, magna religione seruant. Hi utcunq̄ quidem serunt, maiorū decreto in-
structi & coerciti, gentes non onerari iugo legis, cæterum Iudæos natos ab ob-
seruantia legis ad ritus gentium abduci non serunt.**

**Quid ergo est? Vtique oportet conuenire multitudinem: audient
enim te superuenisse. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus, Sunt nobis uiri
quatuor, uotum habētes super se. His assumptis sanctifica te cum illis:
& impende in illis, ut radant capita: & scient omnes quia quæ de te au-
dierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.**

Videndum nūc nobis est, ne quid tumultus propter te exoriatur. Quid igi-
tur faciendū? Primū illud dissimulari non potest, quin conuocetur multitudo.
Audient enim te uenisse. Ut igiē te liberares hac suspicione, sequere consiliū no-
strum. Sunt nobis uiri quatuor qui iuxta consuetudinē Iudæorū obligarunt se
uoto, hos tibi adiunge, & simul cū illis expleas ritus solennes, ijs qui se post uo-
tum sanctificari curant, & si quid præterea impendendū est in hostias, aut dona-
ria, impēde unā cum illis, donec raserint capita sua. Ita fiet ut omnes sciant esse
uana quæ de te iactauit rumor, sed intelligent te quoq̄ sic prædicare gratiam
euangelijs,

euangelij, ut non damnes eos qui ritus legis à deo traditæ, maiorumq; traditiones & consuetudinem obseruant, quã conspexerint eadem à te fieri quæ quidã iactarant à te damnari. Hac ratione compescetur murmur Iudæorum, qui plures sunt, quàm ut non sit eorum habenda ratio. Adhuc templum stabat, adhuc media erant obseruatu externa, legis & sacrificiorum uotorumq; ritus, nondũ perfecte instructis.

De his autem qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus, iudicantes ut abstineant se ab idolis immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

De gentibus in toto orbe iam ad Christũ conuersis, nulla erat controuersia. Nam ea res antea dudum in concilio apostolorũ cõposita fuerat, unde dicitur: Cæterum de his qui crediderunt ex gentibus, nos iam pridem scripsimus ex decreto apostolorum & multitudinis, ne cogentur ad huiusmodi legis Mosaicæ obseruantiam, sed tantũ abstinere ab his quæ immolantur simulachris, à sanguine quoq; & suffocato, & à scortatione; de Iudæis autem ad Christũ conuersis alia est adhuc obseruanda ratio legis & ceremoniarum, ne nimium scandalizentur, quasi lex Moysi uana sit & fuerit, & quod semel deo placuit, nũc displiceat, quasiq; contra præceptum domini homo ualeat quicunq; dispensare.

Tunc Paulus assumptis uiris postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoq; eorum oblatio.

Obtemperat Paulus Iacobi & fratrum consilio, adiunctisq; sibi quatuor illis uiris, qui se uoto obstrinxerant, purificatus est ueluti ex conuersatione diuturna cum Ethnicis & Gentilibus quos pertransierat euangelium prædicans, quasi nunc satisfaciens ecclesiæ Iudæorum iam ad fidem Christi conuersorum, unã cum illis ingressus templum, professus est dies purificationis expletos esse, neq; quicquam omisit ceremoniarum, donec ex more offerretur pro unoquoq; illorum oblatio. Totum hoc septem diebus erat peragendum. Sic igitur Paulus reipsa præstat, quod aliàs de se scribit: Cum sim liber ab omnibus, omnibus me ipsum seruum feci, ut plures lucrifaciam: & factus sum Iudæis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrifaciam. Quod enim nunc facit, nec impia opinione, nec temere absq; iusta causa fecit: siquidem nec rarus est, nec obtulit sacrificia ad iustitiam sibi parandam per illa opera, & ferebat id Christus in cœlestibus, sustinens adhuc templi ceremonias, uolens synagogam non repente abiectam, & ueluti improbam, sed cum honore sepeliri. Vnde & obseruatione huiusmodi palam testatus est fratribus suis, opera legis per se non esse impia, & ut ostenderet se non sic fidem in Christum docuisse, ut damnauerit legem Moysi ut malam.

Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Iudæi, cum uidissent eum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes: Viri Israelitæ, adiuuate: hic est homo qui aduersus populum & legem & locum hunc, omnes ubiq; docens, in super & gentiles induxit in templum & uiolauit sanctum locum istum.

Quod spiritus per singulas ciuitates Paulo prædixerat, nunc cumulate uenit. Nam impij Iudæi qui in Asia, præsertimq; in Epheso, Paulo negotium exhibuerant, adorantur Paulum in templo, ei uiolentas manus iniiciunt, cõprehendunt, accusant scelerum, & ciuitatem clamore perturbant, quasi hæretica doctrinam contra populũ dei, contra legem dei, cõtra locũ electum, idq; non uno

in loco uel angulo terræ, sed in tot passim gentibus & regionibus, quodq̄ incircuncisos introducendo in templum locum sanctum contaminauerit. Persuaserunt hi sibi impietatem suam esse pietatem, & suum scelus cultū dei. Et quis potest ibi pudor esse qui ab impietate absterreat, dum credunt cultum se deo præstare si fideles Christi cultores occidant? Calumniarum huiusmodi occasionem acceperant ex prædicatione Pauli, qua docuerat fidem iustificare electos, non opera legis: Abraham fuisse iustum fide ante circumcisionem; carnalem Israel non tam probari deo quàm spirituales; quodq̄ deus non tantum adorandus sit Hierosolymis, & à ludæis, sed ubiq̄ terrarum, & in spiritu ac ueritate: id aliquando Christi temporibus quæ postrema dicuntur futurum propheta multi prædixerāt, & de regno uniuersali Messia multa expectata fuerant, quæ nūc impleri cernerentur, sed in spiritu.

F **Viderant enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem existimauerunt quoniam in templum introduxisset Paulus.**

Viderant Trophimum ex Ethnico Christianū factum, & obmisso cultu idolorum unius dei cultorem factū cum Paulo, non quidem in templo, ut mētuntur ludæi, sed in urbe ambulans, hinc coniectabant quod Paulus hunc induxisset in templum. Tanta fuit semper inuidia ludæorum, ut doluerint de gratia dei donanda gentilibus, ut sese solos dei populum iudicantes, reliquas omnes gentes præ se contempserint; nihil de dei sui gloria solliciti, sed tantū de suo honore, laude, et estimatione, uolētes se solos haberi summi dei cultores. Quo peccato quid potest cogitari magis impiū? quum fidelis deo nihil magis cupiat, quàm ut sanctificetur nomen dei, & augeatur ecclesia fidelium deo. Hac inuidia adhuc laborant impiissimi homines illi, quibus profectus religionis Christianæ ex animo dolet, Christum peruicacissimo odio prosequuntur, cuius gloriā auferri ex sacris literis ferunt indignissime, pallefcunt ad honorificam domini nostri Iesu Christi prolationem. Quātoq̄ magis inuidēt, tanto magis Christi gloriæ profectum, ut illa rumpantur, aspicere compelluntur, utq̄ in dies & annos sint omnibus hominibus magis inuisi et odibiles, qui suam tantū gloriā zelant.

Commotaq̄ est ciuitas tota: & facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templū: & statim clausæ sunt ianue. Quærentibus autem eum occidere, nunciatū est tribuno cohortis, Quia tota confunditur Ierusalem.

Malignitate Iudaica tota ciuitas incidit in tumultū, & est ad arma cōmota, factio magno concursu populi. Paulū autem apprehensum protraxerunt e templo, ueluti obijciendū furenti populo. Moxq̄ clausæ sunt fores templi, ne esset quò se in tutū reciperet. Quærebant enim eum occidere. Id in templo facere religio erat, quasi usquam non sit impiū innocentem interficere. An non necessaria huic populo Iudaico regendo erat prudentia Romanorū? Quis tutus in illa gente uixisset, uel ciuis uel alienus, nisi præsidio Romano urbs illa parricidalis cohiberetur? Aderat ergo tribunus cum cohorte, qui ab imperatore Romano illic ad compescendas Iudæorum seditiones inuigilaret, & ad retinendos in officio, donec nimia crudelitate & sauitia tandem impatientes iugiter rebellare inciperent, & à Romanis prorsus deleteretur urbs ipsa cum populo & templo.

Qui statim assumptis militibus & centurionibus, decucurrit ad illos. Qui cum uidissent tribunū & milites, cessauerūt percutere Paulū. Tribuno cohortis interea nunciatū est, quod tota ciuitas tumultuaret. Qui statim

statim adiunctis sibi militibus ac centurionibus accurrunt ad illos. Iudæi uero posteaquã uiderunt tribunum cum militibus accurrentē, desistere percutere Paulum. Tam præcipitanti ira ex odio impotenti feruntur in Paulum nondū accusatum, non conuictum, non damnatum, propria temeritate furibunda gens Iudæica, ut actum fuerit de Paulo, nisi manu Romanorū seruatus fuisset; quamlibet in tanto rerum tumultu, tribunus facti improbitate proculsus, consilij inops, excesserit, præcipitando iudicium captiouis.

Tunc accedens tribunus apprehendit eum, & iussit eum alligari catenis duabus; & interrogabat quis esset, & quid fecisset. Alij autē aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra.

Quum propius uenisset tribunus, suspicatus Paulum quem percutiebant seditionis authorem, in eum subito grassatur, priusquam cognoscat quis sit, uel quid fecerit, iubens apprehendi ac uinciri duabus catenis, maleficum aliquem suspicatus in quem sæuiret multitudo. Eo facto tribunus interrogabat Iudæos, quisnam esset, & quid admisisset. Quum autem ob tumultū aliunde aliud uociferantis turbæ non posset certum cognoscere quod uolebat, iussit Paulū ut erat uinctus duci in castra, ut intra præsidij septa posset exclusa turba rei ueritatem intelligere. Prius apprehendi iubetur & ligari catenis, postea inquiritur num uinculis dignus aut indignus sit; magna iudicij peruersitate, supplicio afficere nondum audita accusatione. Quanquam autem tribunus præcipitantia nimia Paulū alliget, multo tamē iustior uidetur impijs Iudæis, qui eum occidere querunt nōdum causa cognita. Tam sitibunda sanguinis sanctorum est præfracta impietas. Non enim mox expedit secures in Paulum, quod optassent Iudæi, sed referuat ad causæ cognitionem.

Et cum uenisset ad gradus, cōtigit ut portaretur à militibus propter G

uim populi. Sequebatur enim multitudo populi clamans, Tolle eum.

Ethnici illi Romani Paulū à uiolentiã Iudæorū defendunt, & manibus portant, ne uel ligatus occidatur ab improbis Iudæis, quem tamen milites putabāt & suspicabantur Aegyptiū esse latronem quendam famosum. Iudæi autē tanto furore in eum debacchantur, ut indignentur eum à militibus defendi, & insano clamore deposcunt ipsum ad ultimū supplicium, sine mora inferendum. Veritas enim euangelica non habet uirulentiores hostes quàm impios hypocritas, qui eum nō possunt ipsum euangeliū extinguere, toto impetu in euangeliū adnunciatores feruntur, ut saltem illius supplicio animum nonnihil refocillent.

Et cum ccepisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit ei: Græce nosti? Nōne tu es Aegyptius qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia uirorum Sicariorum?

Quum Paulus uideret maximam populi multitudinem, sine ulla causæ cognitione in ipsum inuehi, statuit se oratione declaraturum, ut sese res secum habeat, ne iam non uerecundiæ sed diffidentiæ esse incipiat quod tacet, & dum criminationes falsas contemnit refutare, uideatur ipse crimen agnoscere. Dicit ergo tribuno: Permittisne mihi ut loquar tibi? Vbi modestiam præ se fert Paulus insignem, non uolens cum magistratu loqui nisi ueniam precatus. Tum tribunus: Græce nosti? Nā id Græce dixerat Paulus, cuius linguæ tribunus gnarus erat, sicut & omnes docti & primores. Nōne tu es, inquit, ille Aegyptius,

qui antehac quoque tumultum concitasti, atque hinc eduxeras in desertum quatuor millia uirorum Sicariorum? Ex quo intelligitur tribunum non alio instituto Paulum ligasse catenis, nisi quia omnino alium putabat, nimirum latronem Aegyptium. Itaque Paulus non uirulenter inuectus est in tribunal, sed uincula aequo animo tulit, exemplo suo nos admonens, ut iniurias patienter sustineamus, sic in animum nostrum inducentes, quod aduersarius non nos, sed quos nos esse putarit iniuria affecerit. Causa opinionis huius in tribuno talis erat: Iudaei prophetarum praedictionibus in horas expectabant Messiam promissum principem mundanum, qui ipsos a Romana seruitute liberaret, ac principem huius saeculi ageret, qui totum orbem in suam potestatem redacturus esset. Christum autem dominum non agnoscentes crucifixerunt, nihilominus suum expectantes Messiam; quemcunque temporibus istis aliqua specie autoritatis uiderunt, liberatorem sperauerunt, ideoque saepe delusi sunt. Horum pseudochristorum unus erat Theodas magus, alius Iudas Galilaeus, alius item Aegyptius, de quo Iosephus, & hic tribunus loquuntur. Cuius sectatores a praeside Romano partim capti, partim sunt occisi. Aegyptius autem cum multis fuga elapsus, hic nunc apprehensus sperabatur.

Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Iudaeus a Tharso Ciliciae, non ignotae ciuitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.

Non sum, inquit Paulus, quem tu putas, sed sum homo genere Iudaeus, patria mihi est Tharsus Ciliciae, non obscura ciuitas. Vel interim te rogo, permitte mihi uerba facere ad populum; quandoquidem non solum tu uerumetiam plurima pars eorum qui adsunt putant me esse Aegyptium illum latronem nuper fuga elapsum, obsecro te permitte mihi ut meam causam coram toto populo explicem.

Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno silentio facto, allocutus est lingua Hebraea, dicens:

Cum tribunus permisisset Paulo, quae uellet loqui ad populum, Paulus stans in gradibus manu mota significabat populo se uelle loqui. Moxque magno facto silentio, sic loqui coepit lingua Hebraica. Docendo se immunem a duobus criminibus, quibus falso fuerat insimulatus. Primum quod non doceat haereseos. Mosis, contra populum Israel, contra sanctam urbem; & hoc erat nomen haereseos. Deinde quod non sit latro ille Aegyptius, qui millia aliquot Sicariorum eduxerat in desertum. Huiusmodi crimina doctoribus pietatis ac ueritatis euangelicae crebro impinguntur.

CAPVT XXII.

A Iri, fratres & patres, audite quam ad uos nunc reddo rationem. Cum audissent autem quia Hebraea lingua loqueretur ad illos, magis praestiterunt silentium.

Conciliare sibi Paulus nititur auditores ut audiant, & absque ira uel odio iudicent de ueritate si fieri possit, ad quod inuitare poterat miseria hominis iam captiui loquentis, & quia intelligibili & grata eis Hebraica lingua loquebatur; deinde quamlibet dure tractatus, percussus, & ad mortem quaesitus ac petitus, tamen tribuit eis solennes titulos, fratres uocans eos & patres, declarans mansuetudinem ingenuam, & animum alienum ab omni ultione & uirulentia. Nec aliud loqui uult nisi excusationem sui, neminem accusare uult, nec querelas inducere

inducere contra quenquam. Naturaliter autem fauemus reo criminum excusationē pollicenti: dicit ergo: Viri quotquot hic adestis, uel genere fratres, uel ætate dignitateq; patres, præbete obsecro uos mihi paululum attentos, dum me uobis purgo, sup̄ his de quibus apud uos delatus sum. Hæc præfato Paulo, multitudo quum audiret quod Hebraice, hoc est Syriace loqueretur lingua Gentilitia uel patria, magis etiam præstitit silentium, siue quod hanc linguam intelligebant omnes, siue quod suæ quisq; linguæ fauet magis.

Et dicit: Ego sum uir Iudæus, natus Tharso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate secus pedes Gamalielis, eruditus iuxta ueritatem paternæ legis, æmulator legis sicut & uos omnes estis hodie: qui hanc uiam persequutus sum usq; ad mortem, alligans & tradens in custodias uiros ac mulieres, sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, et omnes maiores natu à quibus & epistolas accipiens ad fratres, Damascum pergebam, ut adducerem inde uinctos in Ierusalem, ut punirentur. supra 2. d
supra 2. d
B

Paulus ita pergit dicere: Ut intelligatis me nec aduersus populum Iudæorum, nec aduersus legem Moysis, nec aduersus templum quicquam impie fecisse, ego sum homo Iudæus ex Iudæis, natus Tharsi Ciliciæ, ne quis me Aegyptium suspicetur fuga lapsum. Educatus autē sum in hac ciuitate uestra ad pedes magni illius & uobis non ignoti uiri Gamalielis: diligenter institutus à primis annis in patria lege, magno studio deditus isti cultui dei, quem uos quoq; omnes seruatis hodie, adeo ut amore legis hanc Euangelicā uiam quam nunc profiteor, persequerer, nō solum usq; ad carceres & uincula, uerumetiam usq; ad mortem, nihil aliud spirans quàm minas & cædes aduersus Euangelij professores, uinciens, & in carceres pertrahens, tum uiros tum mulieres. Hæc ita se habere testis est mihi is, qui tum erat sacerdos summus, simulq; cum eo totus seniorum ordo, à quibus acceptis literis ad Iudæos proficiscebam Damascum, ut inde uinctos adducerem in Ierusalem, qui Christi nomen profiterentur, ut ex arbitrio sacerdotum ac seniorum punirentur. Hoc animo tum eram in illos, non ob aliud quàm ob studium legis ac religionis à maioribus traditæ, qua de causa uos quoque nunc in me sæuitis. Nunc quæ res uerterit animum meum accipite. Id ubi cognoueritis; fortasse & uos quoque uertetis istum uestrum animum.

Factum est autem eunte me & appropinquante Damasco media die, subito de cælo circumfulsit me lux copiosa, & decidens in terram, audiui uocem dicentem mihi: Saule Saule, quid me persequeris? Ego autem respondi: Quis es domine? Dixitq; ad me: Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris.

Tanto repentini luminis splendore circumfulguratur, ut excecetur, ac deiciatur in terram, perinde ut fulmine ictus. Audit quàm grauißimam durissimamq; increpationem: Saul Saul, quid me persequeris? Postremo quoq; reuelatur ei peccatum suum, cum dicitur: Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris: & aliàs additur: Durum est tibi cōtra stimulum calcitrare. Hactenus ergo exercuit Christus officium legis, terrendo & increpando, peccatumq; reuelando maximum, quo persequabatur eum, qui est salus, iustitia & redemptio nostra. Vbi hic uidemus potentiam domini Iesu, quamlibet à Iudæis crucifixi & occisi. Paulus comitibus stipatus, literis ac bullis pontificū armatus, quo

rum autoritas confirmata erat à Romano Cæsare, sed nihil iuuit eum huiusmodi contra Christum potestas. Terretur Saulus, excæcatur, in humum deiecitur, in totum extinguitur ac damnatur, nisi à Christo rursus Euangelio uiuificaretur. Nullam uidemus fortunam consiliorum, conatum, & persecutorum suarum aduersus Christum. Contra stimulum calcitrant omnes aduersarij Christi & Euangelij. Et quæcunq; mala intuleris Christianis, ea inferis ipsi Christo domino, idq; non impune. Cæterum ne quis Paulum circumfulgurationes, deiectiones, & subitas excæcationes narrantem uanitatis & mendacij arguat, citat harum rerum testes comites suos, & ait:

Et qui mecum erant, lumen quidem uiderunt, uocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. Et dixi: Quid faciam domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens uade Damascum: & ibi tibi dicetur de omnibus quæ te oporteat facere. Et cum non uiderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus ueni Damascum.

Comites Pauli audierunt quidem uocem Pauli respondentis Christo, non autem fortassis audierunt uocem Christi loquentis cum Paulo. Nam ut Christus non est à comitibus Pauli uisus, ita nec auditus. Videtur enim & auditur ut uult, quibus & quando uult Christus. Stabant ergo comites expauesceti, constituti sunt ipso facto testes Pauli, quod hæc ipsi ad Damascum proficiscenti contigerint. Statim illustratione diuina donatus intellexit magnitudinem peccati sui, grauitatem iræ dei contra se, simulq; diuinam gratiam sentiens, qua ad uitus resipuit, & ad stuporem diuinæ circa se prouidentiae tam notum miraculum conuersus ad dominum, & tractus spiritu sancto, quo præueniebat, quam libet usq; tunc peccator, ut quia ignoranter peccauerat, & ex zelo diuinæ legis, ideo nunc uirtutem accipit cogitandi de beneplacito dei, perficiendo in alia forma, si hæc uia Sauli & institutio domino displiceat. Quid uis, inquit, o domine deus meus, ut faciam, si id tibi quod institui, displicet, ut uideo: Dominus autem clementer electum suum alloquitur, consolatur, & quid facto sit opus docet. Surge, inquit, & uade Damascum, ibi tibi de singulis præscribetur quid tibi sit faciendum. Quumq; ait, haberem oculos, lucis tamen illius claritate sic perstrictos, ut nihil omnino uiderem, manu ductus à comitibus perueni Damascum. Hoc iudicium domini et huiusmodi est, quod persecutoribus Christi accidere solet, uidelicet, ut cum alios perdere uolunt, seipsos perdant, & cum alios ad exilium rapiunt, seipsos in perditionem conijciant. Optandum sanè est, ut sicut oportet omnes Christi persecutores similes fieri in ruina, ita saltè multa ipsorum pars similis illi fieret in resipiscencia. Qui est deiectus in terram, ut ad cælum resurgeret, excæcatus est, ut totum illuminaret orbem. Ductus est à comitibus cæcus, ut ad felicitatem perpetuam attraheret Gentes omnes. Damascum autem perueniens tribus diebus fuit nec comedens nec bibens. Nihil terrenarum rerum uidit, uidit autem cœlestia, didicitq; ex ore ipsius domini Iesu Euangelium quod prædicauit: unde & dixit: Euangelium quod prædicatū est à me, non est secundum hominē: neq; enim ego ab homine accepi illud, sed per reuelationem Iesu Christi. Quid ergo? Num Paulus hac reuelatione contentus mox surgit, & sese ad prædicandum accingit? Non, sed ad Ananiam mittitur.

Ananias autem quidam, uir secundum legem, testimonium habens ab omnibus cohabitantibus ludæis, ueniens ad me & stans, dixit mihi, Saule

hi, Saule frater, respice. Et ego eadem hora respexi in eum.

Potuit Christus baptizasse Saulum, & oculos aperuisse, uisumq; restituere, sed ad Ananiã mittit uirum pium & religiosum obseruatione legis, & omnium qui Damasci uersantur Iudæorum testimonio probatũ, ut sicut Paulus habuit comites suos testes circumfulgurationis & deiectionis in humum, ita haberet etiam testem reuelationis & illuminationis & resurrectionis suæ per Christum. Oportet autem testem tantarum rerum esse bonæ famæ, ut testimonio eius fides habeatur. Ministerium quoq; Euangelicę doctrinæ commendare hoc factum Christus uoluit, ne occasio uanis præberetur hominibus, qui contempto uerbo domini reuelationes nescio quas spirituũ iactassent. Deinde, ut ostendatur externum ministerium sacramentorum ad salutem necessarium esse, baptizatur Paulus post reuelationem iam sibi & ante baptismũ factam à spiritu Christi, qui solus illustrator est cordium & refrigerium, salus, sanctitas, & remissio peccatorum.

At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinauit te, ut cognosceres uoluntatem eius, & uideres iustum, et audires uocẽ ex ore eius: quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ uidisti & audisti. Et nũc quid moraris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius.

Baptismus ut profit fide accipiendus est. Vnde & Ananias addit, Inuocato nomine domini: quasi diceret, Ut per baptismum dominus abluat peccata tua, inuoca nomen domini, ex fide credens Euangelio, quod à Christo domino reuelatum nunc tenes. Hoc uero est quod nũc Paulo Ananias loquitur: Deus patrum nostrorum in hoc elegit & præparauit te, ut cognosceres ipsius uoluntatem, uideresq; iustum illum, unicum, omnia iustificantem, & audires uocem ex ore eius. Iesus enim erat in illa luce, quæ perstrinxit oculos tuos, & eiusdem uox erat, quam audiebas, Quoniam eris illi testis apud omnes homines, eorum quæ uidisti & audiisti toto hoc triduo. Et nũc posteaq; ita uisum est deo, quid contaris? Surge & baptizare & ablue peccata tua, inuocato nomine eius quem persequeris. Multa quidẽ hic Paulus obmisit, quæ ex alijs locis suppleri commode possunt. Vbi deo, inquit, ad Galatas uisum est, ut prædicarem ipsum inter Gentes, continuo non contuli cum carne & sanguine, hoc est cum aliquo mortali homine, sed cum per dies aliquot Damasci manerem, prædicaui in synagoga Christum, quod is esset filius dei, & confundebam Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quod is esset Christus. Postq; autem à Damasco primum abirem, non redij Hierosolymam ad eos qui ante me fuerant apostoli, sed abij in Arabiã, ac denuo reuersus sum Damascum: deinde post annos tres cum discipuli dimississent me nocte per murũ in sporta propter insidias Iudæorum, redij Hierosolymam, ut uiderem Petrum, & mansi apud eum dies quindecim. Nunc ergo in contione sequitur, quid Paulo Hierosolymis contigerit.

Factum est autem reuertenti mihi in Ierusalem & oranti in templo, fieri me in stupore mentis, & uidere illum dicentem mihi: Festina, & exi uelociter ex Ierusalem, quoniam non recipient testimonium tuũ de me. E

Nõ semel tantũ Paulus diuinis reuelatiõibus illuminatus est, et multis quoq; uicibus Hierosolymã adijt, & uaria passus est, egit, & uidit. Hic uero quid iam baptizato & Hierosolymã statim petenti contigerit, quidue reuelatum à domino uiderit, eloquitur in hunc sensum: Quum, inquit, his actis Damasci post ali

quantum temporis reuersus essem Hierosolymam, iam factus alius, & orarem in templo, raptus sum extra me, & uidi Iesum dicentem mihi: Festina ac uelociter exi Hierosolymam, quoniam hic non recipient testimonium tuum de me. Tum ego hunc in modum respondi: Domine, mihi bona quidem spes est, futurum ut proficiam apud hos, propterea quod ipsi sciunt quod antehac studio legis fauierim in discipulos tuos, quoscuq; potui protrahens in carcerem, ac uigilans caedens in singulis synagogis eos qui crediderant Euangelio tuo. Nec his contentus eram, quin etiam quum funderetur sanguis Stephani, qui suo sanguine fidele testimonium constanter perhibuit tibi, ego quoq; adfistebam lapidantibus, consentiens in mortem innocentis, adeo ut seruarim uestimenta illorum qui illum detulerant, quicq; primi lapides in illum iacere coeperant. Ex his quum intelligant omnes, quanto legis studio serbuerim aliquando, facile perspicient me non temere mutatum esse, multiq; reperientur qui meum exemplum hoc libentius imitabuntur, quo maiori zelo pristinae religionis sequi in tuos. Haec ubi dixissem, respondit dominus: Vade, inquam, mihiq; obtempera, quoniam iam tempus adest, ut Euangelium meum per uniuersum orbem incipiat propagari. In hoc te elegi, ut mittam hinc ad Gentes procul semotas; id uero est quod litera habet sequens.

Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem, & caedens per synagogas eos qui credebant in te: & cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam & consentiebam, & custodiebam uestimenta interficientium illum. Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te.

Discimus diuina & humana consilia longissimo interuallo distare, difficillimumq; esse, humanam rationem uoluntati dei captiuam reddere. Nam praecipiebat deus Paulo, ut relinqueret Hierosolymam, nec ibi praedicaret Euangelium: apostolum enim eum parauerat Gentium, sicut Petrum Israelitarum. Et additur causa: Quia, inquit, non recipient testimonium tuum de me. At uero Paulo longe aliud consultum uidebatur: Imo, inquit, rationem habeo qua uideor mihi certus esse, quod sint recepturi praedicationem meam de te. Sciunt enim omnes quod antea non frigide persecutus fuerim Euangelium &c. quae satis clare habentur in litera. Deus uero consilio Pauli satis prudenter concepto ex diametro dissentit, cogitq; derelinquere Iudaeam, & petere regiones Gentium. Vade, inquit, hoc ego praecipio, utcunq; aliud tibi uideatur, quonia procul mittam te ad Gentes, inter quas praedicationis tuae maius incrementum habebit quam inter Iudaeos, uel Hierosolymitanos, uel aliarum nationum exules Iudaeos, qui ubiq; impedimento erant non modico.

Audiebant autem eum usq; ad hoc uerbum, & leuauerunt uocem suam, dicentes: Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum uiuere.

Haec uero Iudaei tulerant Paulum, dicentem usq; ad hoc uerbum. Ad Gentes longe distitas mittam te. Hoc autem dictum refricuit dolorem omnium, propterea quod Iudaei miro quodam odio Gentes abominantur, eoq; pleriq; etiam ex his qui non aspernabantur Euangelium, uolebant Gentes omnino submo- ueri ab Euangelij gratia, aut si admitterentur, non admitterentur nisi circumcisi, quasi purus deoq; gratus esse non possit, nisi qui Iudaeus esset. Ex oratione autem Pauli habita ad Agrippam, & ex huius negotij ratione & processu orationis interruptae, satis liquet Paulum aliquid fuisse additurum, si per clamorem

rem populi licuisset: nimirum hoc, nihil se contra Israel, legem, & templum prædicasse, sed id adnunciasse quod longe ante tum prophetæ tum Moses prædixerant, Messiam quidem futurum, sed & passurum grauiam, & occidendum, resurrecturum à mortuis, nec solum Iudæis, uerumetiam Gentibus salutem alaturum, in quibus toto mundo regnaturum, & usque ad terminos totius terræ. Unde satis constaret, non posse ter uel semel quotannis Ierusalem pergere, sacrificia transmitti uel deferre, omnes circuncidi, & legalia obseruare, multaque id generis de traditionibus seniorum, quas Gentes nec suscipere deberent, nec iussæ essent, nec præstare possent multo minus quam hæcenus Iudæi etiam boni. Quod igitur diuinitus ad prædicandum Gentibus de Messia missus sit, non esse contra Iudæos, sed quia oraculis prophetarum prædictum sit, Gentes Messiam recepturas esse, quod & faciunt: id potius honori cedere Iudæis, quod Gentes talem Messiam agnoscant, qui & Iudæis promissus, & à Iudæis natus sit. Huiusmodi uidetur fuisse Paulus dicturus. Sed quia uocationem Gentium audire non poterant, sicut nec hodie possunt, uociferari incipiunt quam maxima uoce possunt: Tolle, inquit, istiusmodi de terra: non enim fas est eum uiuere.

Vociferantibus autem eis, & proicientibus uestimenta sua, & puluerem iactantibus in aërem, iussit tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum: ut sciret propter quam causam sic acclamerent ei.

Quum Iudæi multis indicijs declararent impotentem dolorem animi, uociferantes & proicientes uestimenta sua, denique puluerem iactantes in aëra, totos satanico spiritu arreptos, tribunus suspicans aliquod indignum esse facinus admissum, ob quod totus populus sic nouo more tumultuaretur, præsertim quum data loquendi facultate nihil esset profectum nisi in peius, iussit militibus suis, ut Paulum inducerent in castra ac flagris eum examinarent, quo uel ex ipso extunderent, quam ob rem populus sic uociferaretur aduersus illum. Vbi uidemus, non obseruari ciuilem etiam æquitatem erga Paulum. Iudæi condemnant Paulum antequam summam causæ audissent, tribunus flagris subdit nondum accusatum uel conuictum, nondum audierat reum, nihil negauerat Paulus. Sed nouum non est obmitti formam ciuilibus iustitiæ contra ueritatis catholice præcones, ut nostris uidimus plerumque temporibus, ut quæ Paulo contigerunt, facile credi possint. Similia prophetis & Christo domino contigerunt plerumque.

Et cum astrinxisset eum loris, astanti sibi centurioni Paulus dixit: Si hominem Romanum & indemnatum licet uobis flagellare? Quo audito, centurio accessit ad tribunum, & nunciauit ei, dicens: Quid acturus es? Hic enim homo ciuis Romanus est.

Quum in Paulo publicum ius, quod ad quæstionem & torturam attinet, uiolaretur, aliud quærit ciuilibus iuris diuerticulum, si forte per illud queat impetrare, ut non condemnetur, nisi causa cognita. Profitetur hoc quoque loco, ut apud Philippenses, sese ciuem Romanum, non quod Romæ natus sit, aut illic parentes habeat, sed quod à parentibus, quemadmodum postea sequitur, ius & prærogatiuam ciuium Romanorum hæreditario iure acceperit. Hanc enim prærogatiuam etiam exteris authoritate principum aut senatus datam fuisse passim apud scriptores rerum Romanarum extat. Lex autem Portia graui pœna sanxit, si quis uerberasset necassetue ciuem Romanum. Producit ergo Pau-

lus hoc ius immunitatis suæ & prærogatiuæ, nõ ut aliquid iniqui postulet, sed ut quod iustum & legitimum est, impetret, ne scilicet flagellaretur ut condemnatus ante causæ cognitionem. Licet etiam Christiano uti diuinis ordinationibus, legibus scilicet iustis & priuilegijs, quæ & ipsæ bonæ sunt. Vt autem audiuit centurio Paulum Romanum esse, celeriter adiit tribunum, renunciando illi quod audierat, dicens: Quam rem paras? Nam hic homo quem iussisti cædi uirgis, ciuis est Romanus.

G Accedens autem tribunus dixit illi: Dic mihi, si tu Romanus es. At ille dixit: Etiam. Et respondit tribunus: Ego multa summa ciuilitatem hanc consequutus sum. Et Paulus ait: Ego autem & natus sum.

Pro honore Romanorum ciuium tribunus quoque Paulum accedit, & humaniter alloquitur: sic ualet apud sæculi homines respectus personarum, alius quispiam nõ Romanus etiam in innocentia sua statim perisset, tanta iustitia est Gentium. Paulus respõdet quod res erat, & utitur suo iure ad gloriam dei, non negligit quod in se est, iusto medio nõ euadit iniuriam contra impios Iudeos, qui Gentium iura & diuinam quoque legem contemnebant. Affirmat esse se ciuem Romanum. Cui tribunus respondet: Rem magnam narras. Nam ego magna pecuniæ summa mihi comparauit, ut ciuis essem Romanus, quam partim aulicis largitus sum, partim ad scribas & fiscum principis contuli, donec impetraui hoc ius nobilitatis Romanæ, ut inter ciues conscriberer. Quomodo ueritas simile est, quod tu qui simpliciter incedis & egenus, tantæ nobilitatis prærogatiuam impetraueris, quæ non nisi nummosis, ut est apud Iuuenalem, conceditur? Tum Paulus: Hac quidem in parte mea potior est conditio, qui ciuis Romanus natus sum, iure ciuitatis à parentibus ad me profecto hæreditario iure. Clarior autem habetur qui nascitur nobilis & insignis, quàm qui pecunia comparat.

Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam rescituit quia ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum.

Videmus quid Paulo profuerit, quod ad ius Romanæ ciuitatis appellauerit. Nam & à quæstione tortura & uinculis liberatur, cognitio quoque causæ eius ad concilium deferitur. Notanter dicitur tribunum timuisse, nimirum partim à deo territum, qui prospiciebat suo apostolo, ne temerario supplicio iniquam præcipitantiam inferret. Quanquam enim non liceat subito seipsum uindicare, & malum malo, iniuriam iniuriâ compensare, est tamen deus in cælo, qui iniurias à magistratibus illatas alto animo reponit, qui clamores miserorum exaudit, qui nullam iniquitatem impunitam relinquet, cuius potentiam quamlibet mundi potentes principes declinare non poterunt. Qui & uaria habet suppliciorum genera, quibus tyrannos affligit: nunc præfocat aquis Pharaonem, igne perdit Samri regem Israelis, Saulum suo ipsius gladio occidit, uermibus Antiochum & Herodem, nunc prælijs arripit & terroribus, nunc alijs suppliciorum generibus.

Postera autem die uolens scire diligentius, qua ex causa accusaretur à Iudæis, soluit eum, & iussit sacerdotes conuenire & omne concilium: & producens Paulum, statuit inter illos.

Postridie

Postridie cupiens certo cognoscere tribunus, quam ob causam accusaretur à Iudæis, soluit eum à uinculis, iussitq; conuenire primores sacerdotum, & uniuersum concilium, ac deductum Paulum sistingebat coram illis, ut absq; tumultu populi res per principes ageretur.

CAPVT. XXIII.



Intendens autem in concilium Paulus, ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum ante deum usque in hodiernum diem.

Quanquam nondum omnia legitime fiant, propterea quod in hoc iudicio ijdem sunt accusatores, testes, & iudices, hoc tamen legitimum interim uideatur, quod tribunus non uiolat prærogatiam Pauli, nec permittit ut Paulus inordinata seditione opprimatur, sed quia ipse Iudaicæ religionis ignarus erat, causam religionis ad concilium eorum qui religionis antisites sunt, refert, in quos intentis oculis respiciens, ait: Viri fratres, ego in omnibus sincera conscientia uersatus sum usque in hodiernum diem in conspectu dei, qui solus recte iudicat: quasi dicens, Nullius mali facinoris mihi conscius sum, propter quod meruerim inter uos uincula & captiuitatem. Nam quod usque in hodiernum diem egi, omni bona conscientia coram deo egi, nec quisquam est qui me alicuius criminis accusare queat. Loquitur autem Paulus de officio & ministerio suo, quod Christo domino iniungente suscepit & exegit pro conditione humanæ fragilitatis, & diligentia, nihil sibi conscius, quod quicquam in fraudem dixerit uel egerit in officio Euangelicæ prædicationis à tempore quo illud coepit, quamlibet sese in alijs peccatorem non negauerit unquam, sed in genere confiteatur ad sanctos omnes in suis epistolis. Vnde non hic gloriatur de sua iustitia, coram deo se iustum dicendo, & prorsus innocentem, sed necessitate constrictus respondendi hostibus fidei Christi & suis, bona conscientia fretus, id quod res erat loquitur, non dubitans deo placuisse officium & ministerium suum, ut nullum supplicium propter illud coram hominibus meruerit: unde & in posteriore ad Timotheum inquit: Gratias habeo deo, cui seruiò à maioribus cum pura conscientia, quia scit se ueram religionem sectari, uocationem suam sanctam esse, etiamsi ipse nonnunquam ex infirmitate peccet, licebit tamen gloriari in domino, religionem suam ueram esse, & sanctum ministerium, quod obiuit domino imponente.

Princeps autem sacerdotum Ananias, præcepit astantibus sibi, percutere os eius. Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te deus, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti.

Audimus quomodo Pauli apologia à concilio accepta sit. Summus ibi sacerdos Ananias quum audisset tam confidens tamq; liberum proœmium, quo statim absoluit seipsum: satis enim perorauerat & narrauerat priore sermone ad populum tumultu intercepto, quem & isti nunc assidentes audierat, ut non sibi putauerit prosequendam institutam orationem, quam non essent diu lataturi. Indigne ferens pontifex, quod nunc nihil honoris præfatus esset ipsi, nec ul-

lam rei speciem præ se ferret, præcepit astantibus, ut percuterent os dicentis. Nimirum hoc erat quod Paulo prædixerat dominus: Non recipient testimonium tuum de me. Ad hanc contumeliam, quæ nec in Ethnicorum iudicijs fieri solet, Paulus indignatus spiritu, pœnamq; denunciãns à deo post affuturam tam manifestæ tyrannidís, dixit: Percutiet te deus paries dealbate. Itãne tu sedes, ut cõgnita causa iudices me secundum legem, & contra legem nondum audita causa iubes me cædi, quæ uetat quenquam punire nisi legitime condemnatum? Apparet Iudaici sermonis parcemiam fuisse, ut hypocritæ dicerentur parietes dealbate, quemadmodum & Christus eosdem dixit similes esse dealbatis sepulchris, quæ foris quidem apparent speciosa, intus plena sunt ossibus mortuorum: sic is pontifex Ananias, foris aparuit candidus, intus autem nil nisi osidium, ira, acerbitas, inuidia, calx, arena, & lutum. Non oportet etiam hoc loco excusare ex toto carnem Pauli, quam ipse accusat habitaculum peccati. Sed tamen uideri potest officium id fuisse, non conuitium: prophetiam, non maledicentiam: zelum dei, non retaliationem iniuriæ. Prodere expediebat & confundere malitiam impij pontificis, non ex odio personæ, sed impietatis. Sedebat uera, ut iudex æquitatis, & ex impio corde iniuriose agit contra eum, quem ex officio ab iniuriã eximere debebat. Bene ergo illi denunciãt dei iudicium imminens, quia in loco iudicij sedens, ut iuxta legem iudicet, non ueretur deum & homines, sed contra legem conuitijs infectatur & plagis hominem sanctum. Verum, ut nemo citra legitimam uocationem exemplum magistratus in occidendis hominibus imitari debet, ita non licet nobis sine diuina uocatione personalia sanctorum opera imitari, nisi idem uerbum, & eandem uocationem habeamus, quam illi habuerunt. Quod enim in uocato est iustum obsequium, hoc in non uocato potest esse iniusta temeritas & impia præsumptio.

Et qui astant, dixerunt: Summum sacerdotem dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.

Exod. 22. d

Etiam hi qui astant, iudicabant uerba Pauli, non iuxta ministerium eius, sed iuxta sonum literarum. Eò tyrannidís quoq; tum uenerat Iudæorum sacerdotum, ut postularent sibi licere contra ius fasq; cuius malefacere, nec liberam aliorum linguam paterentur. Nimirum hoc est argumentum sacerdotij mox abolendi, posteaquam ad summum malitiæ iam ascenderat. Tum Paulus uidens se nihil acturum sub tali iudice, tantum occasionem quarendam putauit, ut ille conuentus dissolueretur, itaq; respondit: Nesciebam fratres, quod esset summus sacerdos. Alioqui scriptum scio, Principi populi tui non maledicis. Hoc dicto cum utcunq; placasset admonitores, quæsita est ansa qua tumultum ab ipso auerteret, quando non ignorabat illos ad tumultuandum natos & idoneos. Licet autem arte uitare periculum, quum non apparet fructus. Hæc deniq; responsio Pauli alta mente reponenda magistratibus, ut cum exigant à suis debitum uel honorem uel uectigal, prius semetipsos excutiant, num illis officij sui uectigal persoluerint. Est enim inter magistratum & populũ mutuum commercium. Tibi debet populus census, debet obsequium, debet honorem, fatemur, sed tu uicissim debes populo bonũ ac uigilantem magistratum. Si tu non agis iustum magistratum, qua fronte audes à populo exigere, ut iustos subditos agant? & si tu prior non exoluis populo quod debes, quæ est impudentia à populo exigere quod debent? Scimus non resistendum legitimis magistratibus.

gistratibus, sed simul quoque scimus mandatum diuinitus, ut magistratus functionem suam legitime administret ad canones uerbi diuini, qui sint ipsorum dominus.

Sciens autem Paulus quia una pars esset Sadduceorum, & altera pharisaeorum, exclamauit in concilio: Viri fratres ego pharisaeus sum filius pharisaei: de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Philip. 3. d

Quum sciret Paulus concilium illud constare e sectis duabus, quarum altera erat Sadduceorum, altera pharisaeorum, quorum alteri ab alteris dissentiebant, uoce clara dixit in concilio, ut posset audiri ab omnibus: Viri fratres, ego pharisaeus sum, & pharisaei filius, & ob praedictam mortuorum resurrectionem iudicor: quasi dicere uelit, Si uultis de me pharisaeo iudicare, necesse est ut aut Sadducei tanquam publici aduersarii e concilio abeant, aut pharisaei una mecum condemnentur. Quo exemplo docuit ciuilibus ordinationibus utendum, uidelicet translatione, exceptione, aut alijs legitimis modis a iure ciuili concessis. Qui usus tunc quoque pius est, cum qui utitur pietatem sectatur. Similiter uideamus, & quotidie sentimus, aduersarias utemque sectas in uno consentire, ut aduersus Euangelium grassentur concordēs. Sic Herodes & Pilatus in Christo opprimendo amici fiunt.

Et cum haec dixisset, facta est dissensio inter pharisaeos & Sadduceos, & soluta est multitudo. Sadducei autem dicunt non esse resurrectionem mortuorum, neque angelum, neque spiritum: Pharisaei autem utraque confitentur. Matth. 22. e

Vbi dixisset haec Paulus, orta est dissensio inter pharisaeos & Sadduceos homines perquam facile irritabiles, non minus quam nostri monachi uisi sunt hactenus quamlibet religiosi moribus & professione perfecti. His autem dissidentibus scinditur & multitudo quae aderat in diuersa studia, quemadmodum suos quosque zelatores & fautores obtinuerunt monachi Praedicatorij & Minoritani, & reliqui omnes. Vnde & in studijs generalibus, & inter sapientiae professores talis inuenta est, & nutrita diligenter similtas usque ad odia magna cum ueritatis non paruo prauidicio, quae pugnando perditur, quam illi docent inueniri exactius. Sadducei a iustitia nomen habentes quamlibet impijssimi, credunt animas non uniendas corporibus denuo, ut resurrectio perfecta corporum statuat. Spiritum negant & angelum. Pharisaei contra a separatione nomen habentes, quia a uulgo differrent, ut monachi, resurrectionem quidem credunt, angelos ac spiritus asserunt. De harum sectarum differentia uidetur alia fuisse dissensio, sed praeter fructum aliquem inquirenda diligentius, de quibus & Esseis uide Iosephum. Videmus ut oportuna uoce disturbatum fuerit domino prouidente impium illud conciliabulum. Sadducei quidem Paulum condemnant, pharisaei absoluunt, non iudicio ueritatis, sed studio suarum partium. Peccat autem & iudex, si iustam sententiam proferat iniquo affectu: iudicium enim dei est, non hominum. Sic nec nobis formidanda est impiorum concordia contra ueritatem, quae uincet; non est enim eorum amicitia diuturna. Dissipat dominus consilia malignorum, consilium domini in aeternum manet. Quam diligenter dominus suos defendat, consequenter describitur hoc exemplo.

Factus est autem clamor magnus: & exurgentes quidam pharisaeorum, pugnabant dicentes: Nihil mali inuenimus in homine isto: quid si spiritus loquutus est ei, aut angelus? C

Surgunt interim scribæ docti & arrogantes pro more ex factione phariseorum, atq; in Pauli fauorem depugnabant, dicentes: Nihil mali comperimus in hoc homine, quod si spiritus aut angelus loquutus est ei, non est nostrum pugnare cum domino. Hoc idcirco dicebant, quia Paulus pridie narrauerat sibi per uisum apparuisse dominum in templo loquens. Tantum in præiudicijs ualeat huius aut illius esse factionis. Cumq; contra uociferantibus Sadducæis iam incaluisset dissensio, resq; uideretur ad extremum tumultum spectare, tribunus metuens Paulo, reduxit eum in castra.

Et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerneretur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.

Iam tempus erat ut deus Athletam suum inter tam sæuos tumultus, præsertim quum instarent etiam seniores, aliqua consolatione subleuaret. Interim tamen obseruandum quanto plus iustitiæ præstet tribunus Ethnicus quam hypocritæ Iudæi, sese dei populum gloriantes. Sanctæ enim libertatis privilegium obseruat, cogit concilium pro causa legitime cognoscenda. Propter huiusmodi ciuilem iustitiã quamuis non detur salus cœlestis, largitur tamen deus non raro honores, opes, potestates, sanitatem corporis, & alia sæcularia bona. Qui uero pius est, non quærit in hoc mundo præstans fieri, sed diuinis mauult præceptis obsequi. Pro tantis ergo afflictionibus quæ Paulo accidunt, dominus rependit solatium opportunum.

Sequenti autem nocte assistens ei dominus, ait: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet et Romæ testificari.

Proxima statim nocte rursus adstitit Paulo dominus, dicens: Fortis sis animo Paule. Hi tumultus non te absorbeant, nondum instat tempus resolutionis tuæ: superest enim ut quemadmodum Hierosolymis fortiter mihi præbuisisti testimoniũ, ita testificeris & Romæ. In Hierosolyma urbe, quæ caput est Iudeorum, functus es tuo officio, restat ut & id facias Romæ, quæ caput est mundi. Ex hac autem consolatione diuina apparet Paulũ fuisse uehemētius afflictum propter tribulationes subinde grauius incumbentes. Captus erat, ad tormenta raptus, productus ad concilium, palam percussus in faciem, tanto quoq; Iudæorum odio petitus, ut parum abfuerit quin discerneretur. Quem non mouerent huiusmodi afflictiones, quasi deus non respiceret humanas actiones, ac fidelium suorum salutes: Sed deus in se confidentes & inuocantes non derelinquit: præsto nunc est Paulo, & consolatur, ut & si Iudæi rumpantur, tamen non sint ipsum occisuri.

Facta autem die, collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se dicentes, neq; manducatueros, neq; bibitueros, donec occiderent Paulum.

Derant autem plus quam quadraginta uiri, qui hanc coniurationem fecerant: Non ita suos dominus consolatur, ut nihil aduersi in hoc sæculo sustinere permittat, ac nihil periculorum sint subituri, sed ut ad maiores tribulationes ac lacriores & circumspectiores reddantur, & subinde afflictionibus exerceantur. Sic Dauid una calamitate ereptus, mox grauiore opprimitur. Christus mortis horrore sudans sanguinem, consolatur quidem ab angelo, sed tamen mox acerbissima mala sequuntur. Commiscuntur impiissimi Iudæi facinus crudelissimum, quum cernerent enim se non posse ipsum legitime occidere, struunt ei clandestinas insidias, ut uolenter interficiant et proditorie. Nonne ingens peruersitas

uersitas & obstinata malitia, quod plus quam quadraginta uiri deuouent se di-
ris, & anathematizant seipsos, maledictioni quoque extremæ se reddunt obno-
xios, si quicquam comedant aut bibant, nisi prius Paulum obtruncassent? Cer-
tè iusto se dei iudicio impij damnarunt seipsos, ut maledicti sint & habeantur à
domino, & ut tales iudicati quoque sint æquissima propria sententiâ, quia Pau-
lum minime trucidarunt, & tamen cibum pro naturæ sustentatione minime ob-
miserunt.

qui accesserunt ad principem sacerdotum & seniores, & dixerunt:
Deuotione deuouimus nos, nihil gustaturos, donec occidamus Paulū.
Nunc ergo uos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum
ad uos, tanquā aliquid certius cognituri de eo. Nos uero, prius quam
appropinquet, parati sumus interficere illum.

Non erubuerunt truculentissimi latrones adire summos sacerdotes ac se-
niores, in hoc tam nephario crimine complices, consentientes & gaudentes de
tam crudeli & iniquissimo proposito contra ius & fas omne. Exposuerunt eis
animum ac propositum suum tuto, nihil ueriti illorum probitatem, quæ nulla
erat, sed scientes placere id istis, ut audeant dicere: Arcissima deuotione deuo-
uimus nosipsos, si quicquam gustemus cibi potusue, priusquā occidamus Pau-
lum. Nunc oportet uos huic animo nostro subseruire, quo facilius fiat, quod fa-
ctum esse uolumus omnes. Et uestro & concilij nomine significate tribuno, ut
rursus sistat apud uos Paulum, hoc prætexentes, quasi uelit aliquid certius de
eo cognoscere, quod heri per tumultū non licuit. Nos uero nō commitemus,
ut incolumis redeat in castra, quemadmodum heri, sed priusquam accedat ad
locum concilij, parati sumus illum interficere. Talia sunt concilia huius quoque
nostri sæculi, & fuerunt contra ueritatis assertores, & contra apostolicos homi-
nes, quæ tamen diuina clementia impediuntur, & optime cadunt ad dei glo-
riam. Videmus quomodo hominū impiorum latronū conatus cadat & cōfundat.

Quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, uenit & intrauit in
castra, nunciauitque Paulo.

Quamlibet occulta impiorum consilia & insidiæ minime abscondita manēt
contra domini uoluntatem, dat deus euentum, ut prodantur & deprehendan-
tur. Quale est quod & has tam capitales conspirationes quæ audisset adolescēs
quidam Pauli ex sorore nepos, qui non putauit amplius dormitandum, sed pro-
tinus ingressus castra nunciauit Paulo quod erat præ manibus. Obserua quan-
ta diligentia dominus Paulum suum custodiat, quanta cura pro eius salute ui-
gilet. Hæc enim omnia opera sunt domini, quod insidiæ Iudeorum ad nepotem
Pauli emanent, quod nepos ad Paulum eas defert, quod centurio mandatum
Pauli quamuis captiui exequatur tamen ueluti mandatum domini sui, quod
tribunus clementer & remotis arbitris adolescentem audiat, & prohibeat ei ne
cui effutiat. Hæc omnia, inquam, domini opera sunt, ut significetur, quod pro
eius salute omnes creaturæ sollicitæ sint, de cuius salute dominus deus noster sol-
licitus est, qui uerbum dei fide amplectitur.

Vocans autem Paulus ad se unum ex centurionibus, ait: Adolescen-
tem hunc abduc ad tribunū: habet enim aliquid indicare illi. Et ille qui-
dem assumens eum, duxit ad tribunum, & ait: Vincit Paulus rogauit
me, hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.

Quamquam Paulus habuerit promissionem dei, se incolumem Romam uenturum, non tamen dominum tentat, sed propositis opportunis medijs utitur, nihil tamen iniquum meditatur, sed quae commode fieri possunt instinctu diuini spiritus non obmittit. Iam cum Paulus implorat auxilium tribuni, quid hoc aliud est quam quod petat, ut tribunus gladio suo se ab aduersarijs suis uindictet, si aliud medium non occurrat: accepit enim magistratus gladium ad tutelam fidei & innocentum, Magistratus & armorum usus necessarius & utilis, sed cum iustitia, dei ordinationes sunt, quibus iuste uti potest Christianus. Non ut priuatus se uindictet, sed causam iniuriarum & inimicitiarum magistratui proponat, committatque ei, quem deus instituit causarum huiusmodi iudicem & praefectum, quem inuocare Christus nusquam prohibuit. Eius autem sententiae Christi sensum, ubi dixit: Ne resistatis malo, suo in loco inuenies expositum.

Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogauit illum: Quid est quod habes indicare mihi? Ille autem dixit: Iudaeis conuenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo: tu uero ne credideris illis: insidiantur enim ei ex eis uiri amplius quam quadraginta: qui se deuouerunt non manducare neque bibere, donec interficiant eum: & nunc parati sunt expectantes promissum tuum.

Tribunus placide & clementer diuino instinctu amplexus manum adolescentis, secessit cum eo seorsum, ne quis dicenda audiret, & mysterium propalaret. Percontatus est illum amice prior, ne iuuenis erubesceret uel contaretur. Talis decet humanitas populorum magistratus, tali sapientia & tractabilitate subiecerunt sibi Romani gentes, & seculum gubernarunt. Quid, inquit, habes quod significare uolebas mihi? Tum adolescens cum fiducia loquitur domino disponente: Iudaei, inquit, coniurati in necem Pauli, hoc inter se statuerunt, ut rogent te, quo crastino die rursus adductum Paulum sisti iubeas in concilio, illud praetexturi, quasi cupiant aliquid de eo inuestigare, quod heri non potuerunt liquido cognoscere. Caeterum aliud agunt. Quare tu caue, ne postulationi illorum obsequaris imprudens. Nam destinatis animis moluntur insidias capiti Pauli, uiri plus quam quadraginta, qui se diris deuotionibus obstrinxerunt, si uel ederint uel biberint quicquam, priusquam interficiant illum. Et iam nunc ad hoc facinus parati sunt, expectantes quod tu promissurus sis.

Tribunus igitur dimisit adolescentem, praecipiens ei ne cui loqueretur quoniam haec nota sibi fecisset. Et uocatis duobus centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, ut eant usque Caesaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos, a tertia hora noctis: & iumenta praeparate: ut imponentes Paulum, saluum perducerent ad Felicem praesidem.

Quandoquidem uerbo domini eruditi nos sumus, quod nec unus passerulus in terram sine patre nostro cadat, & quod omnes capitis nostri pili numerati sint, sentire debemus & credere, quod & si tribunus multa prudenter egerit, & potenti militum ac equitum manu Paulum ad Felicem mittit, haec tamen omnia sola prudentia & potentia dei administrantur. Nam quod dominus solus suos in ipsum confidentes non uiribus humanarum fortitudinum, sed caelestibus et angelicis

angelicis seruet, multis adeò miraculis frequenter approbauit. In patriarchis & prophetis satis est uidere. Ratio enim miraculorum dei est, ut semel aut iterum manifeste reuelent ea quæ deus semper abscondite operatur. Nonne cibamur & fouemur pane? Sed quod semper nos sub pane abscondite cibet ac foueat, reuelatum est miraculis in Mose et Christo, quorum uterque quadraginta diebus & noctibus absque cibo & potu diuinitus nutritus est. Sic hoc loco Paulus non tantum humana prudentia seruatus est, sed diuina, domino ordinante, & gratiam largiente tribuno, ut tanta sollicitudine pro salute Pauli studeat nil obmittere, idque clam Iudæis fieri, & ad Felicem saluum adduci.

(Timuit enim, ne fortè raperent eum Iudæi & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, tanquam accepturus pecuniam) scribens ei epistolam continentem hæc:

Hac tanta diligentia non ob id tantum usus est tribunus, ut unius hominis uitæ consuleret, quem deus disposuisset seruari (nec enim erat usque adeò religio sus) sed cupiebat hoc medio absolui à Paulo, quem neque tueri poterat aduersus tam obstinatum odium totius concilij, nec audebat illorum odijs dedere ciuem Romanum. Atque ideo noctu iussit eum educi magna manu militum, metuens ne si interdium aut paucis comitatus exisset, Iudæi in itinere raperent eum & interficerent, atque hinc deinde calumnia recideret in ipsum, qui prodidisset ciuem Romanum.

Claudius Lysias optimo præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum à Iudæis, & incipientem interfici ab eis, superueniens cum exercitu, eripui, cognito quod Romanus est: uolensque scire causam quæ obijciebant illi, deduxi eum in concilium eorum.

Paulus non solum diuina clementia per tribunum ab insidijs Iudeorum seruatur, sed etiam ab omnibus criminibus per eum excusatur, sitque uir Ethnicus innocentia Pauli testis. Sic enim scribit Claudius in epistola quæ de causa Pauli ad præsidem Felicem mittit. Volens, inquit, scire quam ob causam accusaret illum Iudæi, deduxi eum in concilium eorum, quem comperi accusari de quæstionibus legis ipsorum, nullum dignum morte aut uinculis habentem crimen. Honestum hoc est testimoniū, quale & Christo Iesu à Pilato contigerat, & Centurione. Quibus monemur ueræ pietati operam dare, & non timere calūnias. Deus enim non sinit innocentiam nostram latere, quin si omnes alij tacuerint, inimicos certe nostros excitabit qui de nostra innocentia testimoniū sint laturi.

Quem inueni accusari de quæstionibus legis ipsorum: nihil uero dignum morte aut uinculis habentem crimen. Et cum mihi perlatum esset de insidijs quas parauerant illi, misi eum ad te, denuncians & accusatoribus ut dicant apud te. Vale.

Dexteritas declaratur Gentilium contra iniquitates grauissimas Iudæorum, qui cum dei populus constituti essent, ex aduerso per omnia diuinis legibus uiebant, pleni odio, superbia, ira, truculentia, publica iniquitate, præ se gentes reliquas contemnentes, cum essent omnium impijssimi, nedum diuinas leges, sed & humanas & naturalem posthabentes. Sic primi facti nouissimi, & nouissimi primi. Vbique enim ferme uidemus Gentiles naturali legi obsequentes, Iudæis præuaricantibus diuinam. Obijciunt quæstiones legis, quam minime uel curabant uel intelligebant, eisque utuntur contra scopum legis, qui charitas est, & uerus dei cultus.

Milites uero, secundum præceptum sibi, assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem. Et postera die dimissis equitibus ut cum eo irent, reuersi sunt ad castra.

Milites Ethnici ad tutelam prouinciæ ordinati, & contra Iudæorū perfidiā & mutuū odium iuxta tribuni iussu Paulū in suā capiunt tutelā, noctuq; perduxerūt Antipatridē. Postero uero die, quoniā nō longe aberat Cæsarea, iamq; minus periculi uidebatur, milites redierūt Hierosolymā in castra, equites uero comitati sunt Paulum usq; Cæsaream, ubi præses habitabat plerūq; qui tunc erat Felix, quem dicunt fuisse libertū Claudij Cæsaris, sed quē Cæsar tanta beneuolentiā cōplexus sit, ut ipsum cohortibus & alis prouinciæq; Iudææ præponeret. Dicitur tamen multa contra Iudæos scelera designasse in Iudæa. Id autē à Iosepho scribitur Iudæo.

Qui cum uenissent Cæsaream, & tradidissent epistolam præsidi, stauerunt ante illum & Paulum. Cum legisset autem, & interrogasset de qua prouincia esset: & cognoscens quia de Cilicia, Audiam te, inquit, cū accusatores tui uenerint, iussitq; in præterio Herodis custodiri eum.

Felix hic quantumcūq; alioqui sceleratus dicatur, & à Iudæis tandē accusatus corā Nerone Claudij successore, tamen hoc loco uirtus quædā ciuilis in eo cōmemoratur. Literis enim perlectis, percontatus est Paulū cuius esset prouinciæ. Cognito uero quod Cilix esset, Audiam, inquit, te quū accusatores tui uenerint: hoc est, non condemnabo te inauditū, nec altera tantū parte audita iudicabo, sed audiam simul ambas partes. En Ethnicum iudicem, liberū sese utriq; parti seruantem. Vult uero Christus ut iustitia Christianorum abundet plusq; scribarum & pharisæorum, quanto magis Ethnicorum?

CAPVT XXIII.

A Post quinq; autem dies descēdit princeps sacerdotū Ananias, cum senioribus quibusdam & Tertullo quodam oratore qui adierunt præsidem aduersus Paulum.

Iterum instant calumniatores, iterum urgent apostolorū homicidæ & prophetarū, ut sanguis innocentis effundatur, ac tanto ardore Pauli sanguinē sitiunt, ut qui antē in concilio fuerant iniquissimi iudices, nunc coram præside Felice fiant mendacissimi accusatores, nihil intentatū relinquentes quō Paulum opprimant. Egerunt primo uolentia, deinde specie legitimi cōcilij, insidijs postea, nunc auctoritate et eloquētia conant impetrare, idq; festinando ad quintū diem, cōparendo in persona ipsiusmet summi sacerdotis Ananiæ, & primorū de senioribus, ut præsidē sua auctoritate & præsentia mouerent. Adducūt etiā secū oratorē, nomine Tertullū, ut sic oibus modis armati Paulū opprimerent.

Et citato Paulo, coepit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiā: semper et ubiq; suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarū actione. Ne diutius autem te protraham, oro, breuiter audias nos pro tua clementia.

Hi cum adissent præsidē flagitantes exhiberi reum, Felix iussit citari Paulū ac sisti. Ibi Tertullus malæ causæ non optimus patronus, hunc in modū coepit accusare Paulū: Cum tibi debeamus quod rebus admodū pacatis ac tranquillissimam pridē fruimur, quūq; & alia permulta feliciter & recte gerantur in hoc populo per tuam prouidentiā, nos tuā in nos beneuolentiā & beneficentiā & semper &

per & ubiq; agnoscimus ac prædicamus præstâtissime Felix, quâtoq; possumus studio gratias agimus. Atq; ista tua dexteritas nobis etiã spem facit, te & in hac causa, quã nunc deferimus, nostræ gentis tranquillitati consulturũ. Verum ne prolixiore proœmio te plurimis ac maximis negotijs occupatũ remorer, oro te ut nos pro tua humanitate paucis audias. Hic quidem Felix seditiones magorũ & pseudoprophetarum seducentiũ populũ prudenter oppressit. De quo apud Iosephum. Et magistratibus sæpe oratores ea decora tribuũt ad quæ prouocãt,

Inuenimus hunc hominem pestiferum & cõcitantem seditionẽ omnibus Iudæis in uniuerso orbe, et authorem seditionis sectæ Nazarenorum, qui etiam templum uiolare conatus est, quem & apprehensum uoluimus secundum legem nostram iudicare. Superueniens autem tribunus Lysias, cum ui magna eripuit eum de manibus nostris, iubens accusatores eius ad te uenire, à quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.

Pontifices, pharisæi & scribæ cum sint & fuerint authores impietate suã omnium malorum quæ super gentem Iudaicã euenerunt, Paulus autẽ & alij apostoli ministri erant perpetuæ salutis, & authores erant quod Iudæa non statim post Christum occisum uastaretur, ut haberẽt interim spaciũ prædicandi euangeliũ & dilatandũ regnũ Christi, attamen Paulus hoc loco omnium uelut author malorũ accusatur. Nacti sumus, inquit, hunc uirũ pestiferũ tam sceleratum ut propter ipsum tota regio ueluti peste quadã contaminẽt ac inficiatur. Quod uero in accusatione sua addunt Paulũ concitare seditionẽ inter Iudæos, & esse authorẽ sectæ Nazarenorum, ac conatum esse prophanare templum, ad hæc quantũ satis est respondebit Paulus in sua Apologia, quæ mox sequitur. Quid autẽ impudentius quã quod tribunũ testem criminum Pauli producant, qui antẽ fuerat innocentia eius testis? Sed huic impudẽtia aliam iniquitatẽ addũt, adducentes secũ Iudæos, quosdam honestate uenerabiles, qui adiecerũt, dicentes ita se res habere omnes, ut iam Tertullus dixerat.

Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita se habere.

Ita similes habent labra lactucas: quales sunt accusatores, tales & testes, nisi mirum impij, impudentes, mendaces, homicidæ, & si quid est sceleratius. Quid his testibus in mentem uenit, quod affirmant Paulum conatum esse prophanare templum, cum compererint eum in templo purificatum?

Respondit autẽ Paulus, annuente sibi præside dicere, Ex multis annis te esse iudicẽ genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. Potes enim cognoscere quia non plus sunt mihi dies quã duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem, & neq; in templo inuenerũt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientẽ turbæ, neq; in synagogis, neq; in ciuitate, neq; probare possunt tibi de quibus nunc me accusant.

Post hæc ubi præses innuisset Paulo, ut pro se diceret, sic defensionẽ suã exorsus est. Aequiore animo pro meipso causam dico, quã sciam te iam multos annos uersatum in hac gente, & in cognoscendis Iudæorum causis non esse rudem: quò nuperius actum est quod isti obijciunt, hoc certius potes cognoscere, quod non sunt nisi duodecim dies, ex quo pro more Iudaicæ religionis ascendi Hierosolimam adoraturus, meq; pro suscepto uoto solenni ritu purificaturus. Hoc si est uiolare templum, crimen agnosco: neq; me cõpererunt in templo cũ

quocumque disputantem, aut populi concursum facientem, ac ne in synagogis quidem, aut in ciuitatis ullo loco: nec ullis idoneis argumentis probare possunt ea crimina quae mihi obijciunt. Quod autem obijciunt de secta Nazareorum, non inficias ibo, quod uerum est. Quanquam ea res nihil attinet ad accusatores, quando nec ea secta damnata est apud Iudaeos, nec ego huius sectae sum princeps.

Confiteor autem hoc tibi quod secundum sectam, quam dicunt haereticam, sic deseruio patrio deo meo, credens omnibus quae in lege & prophetis scripta sunt: spem habens in deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum & iniquorum. In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad deum & ad homines semper.

Si tibi curae est quam sectam profitear, dicam. Ego iuxta institutum pharisaeorum, quod uocant sectam, colo patrium deum, nequaquam author nouae religionis, sed a maioribus tradita diligens obseruator, credens omnia uera quae in lege & prophetis scripta sunt, quae cum magna ex parte iam deus ita ut promiserat praestitit, certam spem habeo, & illud futurum quod promisit, uidelicet resurrecturos olim mortuos, iustos pariter ac iniustos: iustos ad immortalitatis gloriam, iniustos ad aeterna supplicia. Nec ista credo leuiter, uerum adeo penitus habeo persuasa, ut quoniam scio me olim ad dei tribunal sistendum, pro factis relaturum praemia, toto studio contendam ne qua in re peccem aduersus legem dei, sed conscientiam habeam puram ac synceram, non solum apud deum, qui scrutator est cordium, uerum etiam apud homines. Idcirco in hunc usque diem facio. Proinde non habent quod accusent in uita mea superiore, ut hinc demonstrent, & haec quae nunc obijciunt in me probabiliter haerere. Non se iactat Paulus perfectum in omni iustitia, sed studiosum obseruatorem eorum quae domino placere se nouit, & humanae conuersationi tranquillum sese exhibere, ut decet probos homines. Caeterum peccatorem se fateri non grauatur frequenter, sed gratiam consequutum, ut sit fidelis Christi domini sui minister in euangelio, in doctrina ueritatis, & in promotione charitatis uerbo & opere.

E Post annos autem plures, eleemosynas facturum in gentem meam ueni, & oblationes, & uota in quibus inuenerunt me purificatum in templo, non cum turba neque cum tumultu. Et apprehenderunt me clamantes, & dicentes: Tolle inimicum nostrum.

Multis annis sine crimine peractis, tandem ueni Hierosolymam exhibiturus pauperibus religionis meae eleemosynas inter gentes collectas a fidelibus ad uentum dei cultum conuersis officio et praedicatione mea tam in Asia quam in Macedonia. Si hoc est esse pestilentem subleuare beneficio gentem meam, agnosco quod obijciunt. Atque interim ne quid turbae nasci posset ab his qui querebant occasionem, raso capite sum ingressus templum, ac solitis ritibus peregi purificationem, nihil admittens unde quicquam uel turbae uel tumultus oriri posset. Nihil enim a me noui factum est, sed iisdem ritibus usus sum, quibus tota gens utitur.

Quidam autem ex Asia Iudaei, quos oportebat apud te praesto esse & accusare, si quid haberent aduersum me: aut hi ipsi dicant si quid inuenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio, nisi de una hac solummodo uoce, qua clamaui inter eos, stans: Quonia de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a uobis.

Caeterum si quid tumultus tum est concitatum, per Asiaticos quosdam Iudaeos

Supra 21.6

Supra 23.6

daos concitatum est, quos quoniam huius negotij sunt authores, oportebat in hac causa adesse, & accusare quid haberent aduersum me. Est autem malæ conscientia signum, quod se subducunt huic iudicio, posteaquam uidēt rem apud præsidem agi. Si quid admissum est, per illos potissimum poteram reuinci, aut per illos poteram absolui, quanquam ego nullius accusationem metuo. Vel hi ipsi qui adsunt proferant, quandoquidem sto in concilio, si quid à me commissum deprehenderunt, secus quam ius fasque est. Siquidem in legitimo iudicio licet & obijcere crimen reo, licet & reo suam causam agere. Verum non habent quod obijciant, nisi forte uellent unicam illam uocē obijcere, quia cum starem inter illos, exhibitus à tribuno, uideremque nihil agi iure, sed manifestis odijs tendi in perniciem meam, clamaui pharisæum me esse, & ob hoc reum agi apud illos, quod prædicarem resurrectionem mortuorum. Nam ad hanc uocem coeperunt ipsi inter se tumultuari, donec tribunus eripuit me ex illorum manibus. Quod uerum erat professus sum, & æquum erat multitudinem scire quam ob rem periclitarer apud concilium, quandoquidem perspiciebam in primoribus nihil esse præsidij.

Distulit autem illos Felix, certissime sciens de uia hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam uos.

Virtutis specimen Felix exhibet, dum & audire aduersarios sine testibus non uult legitime examinandis, & Paulum interim non molestandū permittit, sed humaniter tractandū committit: quin & Centurioni præcipit, ut neminē ex amicis eius humaniter eum tractare prohibeat. Sed poterat & debebat mox absoluisse, quem Lysias nihil dignum morte aut uinculis habentē rescripserat. Quæ est enim hæc iustitia, innocentem detinere in uinculis, & fauorem populū uenari simul cum pecuniæ quæstu ex amicis Pauli?

Iussitque centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quenquā de suis prohibere ministrare ei.

Custodiendus quidem fuerat, si testium aliorum necessitas id postulasset, nunc autem tribuni sententiam habebat, & Iudæorum improbitatē probe iam dudum didicerat, sed sperabat se ab ipso pecuniam accepturum præses, quem admodum dicitur. Omnia enim apud gentes erant plena foedissima ambitione & crudelissima auaritia. Quin ubicunque fides abest, clarissimæ quoque uirtutes humanæ fiunt apud deū uitia. Requiem habere, uidetur in custodiam mitiorē reponi, sine uinculis onerosis, sic ut subinde detur relaxatio, ut pateat aditus illius familiaribus amicis & discipulis, ne quid omnino illi rerum necessariorum offerri à suis uetetur.

Post aliquot autem dies ueniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, uocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem quæ est in Christū Iesum.

Acceperat hanc Drusillam Felix, iam assequutus præfecturam Iudææ, filia regis Agrippæ, quæ nupserat Aziazo regi Amazorum, superasse autem dicitur pulchritudine omnes mulieres, propter quam amore in illam accēsus, blanditijs & promissis magnificis eam Felix interpellauit, ut relicto suo marito, ad se diuerneret. Desiderauit ergo hæc Drusilla hunc Paulum celebrem fama uide re & audire, ac muliebri curiositate impetrauit à Felice, ut uocaretur ad prædicandum coram se religionem fidei in Christum. Ibi quod Paulus antè dissimulauerat, aperit ei uiam euangelicæ salutis, quæ non constat obseruatione lega-

lium Iudaicarum, sed fiducia uera in deum per Iesum Christum, quem Iudaei tot saeculis expectatum crucifixerant. Per baptismum autem aboleri semel omnia peccata uitae superioris, sic, ut in illum renati per Christi doctrinam & aquae mysterium, deinceps pure sancteque uiuant iuxta regulam euangelicam, donec idem dominus Iesus qui ob salutem humani generis semet impenderat, rediret sublimis cum gloria patris, iudex uiuorum & mortuorum.

G Disputante autem illo de iustitia & castitate & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, uade: tempore autem oportuno accersam te: simul & speras quod pecunia ei daretur à Paulo, propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.

Summatim perstringit Lucas, quibus de rebus Paulus differuerit concione sua coram praeside, nempe ut accepta fide in Christum, dei gratia, diuinae uocationi inseruiat, et uere bonis operibus fidei fructibus incumbat adendis. Ut si quis magistratum gerat, ne leges condant iniquas, non opprimat in iudicio pauperes, non diripiat uiduas et pupillos, sed ut officium suum in iustitia & iudicio diligenter administret. Huiusmodi initiatos fide per baptismum & spiritum unctio docet unumquemque castitatem & iustam continentiam, ut non se iungat scorto, alterius uxorem non clam uitiet aut rapiat. De iudicio quoque extremo differuit, quod nemo possit effugere. Quod audiens quidem Felix inhorruit, hactenusque commotus est, non ut absolueret Paulum (metuebat enim Iudaeos, quibus sciebat illum esse uehementer inuisum) sed ut interim haberetur in humaniore custodia, donec sese daret occasio liberandi illum. Suberat & alia causa quaedam quare differret absolutionem. Sperabat futurum, ut Paulus aliquam pecuniam summam numeraret, ac ipsi daret in manum pro liberatione sui. Atque hac de causa frequenter accerserat Paulum ad colloquium, quo daret occasionem offerendae pecuniae, ut contracta familiaritas, perspectaque praesidis facilitas, excuteret pudorem, quem suspicabatur obstare, quo minus auderet Paulus offerre pecuniam. Nam & Caesarum leges damnauerant iudicium pecuniae redemptum. Quod autem abire iubet Paulum, simulans sibi iam non esse otium audiendi, exemplo suo indicat impios non ferre praedicationem uerbi dei. Noluit peccata sua redargui, nec cupiditates suas relinquere.

Biennio autem expleto, accepit successorē Felix, Portium Festum. Volens autem gratiam praestare Iudaeis Felix, reliquit Paulum uinctum.

Interea dum Paulus biennio detinetur Caesarea, iussu Caesaris Neronis Felix successorem accepit Portium Festum. Ac tum quidem erat occasio dimittendi Paulum. Ceterum nolens à prouincia decedere, odio sui relicto, malensque gratificari Iudaeis, quam ex sincera conscientia liberare innocentem, reliquit Paulum uinctum. Conscijs sibi erat Felix tyrannicis prouinciam Iudaeorum administrasse. Iam uero Nero successerat Claudio, cui iam non tam acceptus erat, metuens ergo accusari Neroni à Iudaeis, sperauit se uinculis Pauli Iudaeorum animos sibi conciliaturum, quo minus pergant accusare. Sed quod sperauit non est assequutus: nam eiectus est à principatu, à Iudaeis accusatus, poenasque dedisset tyrannidis, nisi preces fratris sui Pallantis plus potuissent apud Neronem, quam ipsius flagitia. Ut discamus iniquitatem non posse alia iniquitate expiari.

Festus ergo cum uenisset in prouinciam, post triduum ascendit A Hierosolymam à Cæsarea. Adieruntq; eum principes sacerdotum, & primi Iudæorum aduersus Paulum: & rogabant eum, postulantes gratiam aduersus eum, ut iuberet perduci eum in Ierusalem, insidias intendentes ut interficerent eum in uia.

Ad noui præsidis aduentum recruidit Iudæorum malitia. Mox enim adierunt eum summi sacerdotes ac primores Iudæorum, hoc fauoris à nouo præside flagitantes, ut hæcenus sibi faueret aduersus Paulum, ut accerferet eum Hierosolymam, quod incommodum esset Cæsareæ causam persequi. Sperabant enim præsidem, qui nuper uenisset in prouinciam, & ignarus esset eorum quæ gerebantur, hac in re facile gratificaturum ipsis. Cæterum hoc conuenerat inter Iudæos, ut si Festus annuisset ipsorum postulationi, structis insidijs occiderent: tam irreconciliabili odio Iudæi Paulum persecuti sunt. Aliorum odia diuurnitate temporis frigescere, & miseris odiosi exaciari solent: horum de tempore crescit & plus accenditur, nullamq; requiem ducit, nisi prorsus perdidit. Festum præsidem primum uenientem Hierosolymam persuadere tentant summis uiribus, quasi regio non possit incolumis consistere nisi Paulus interficeretur, idq; Hierosolymis, Vbi iterum uita Pauli in summo uersatur discrimine, quando nihil impedire posse uideretur, quando Festus ignarus esset innocentia Pauli, & autoritate summorum pontificum facile permouendus. Et erant primaria preces gentis Iudaicæ, quas inciuile esset aspernari. Et erat Paulus contemptior quàm ut nouus præses propter eum sese inuidia Iudæorum & pontificum exponeret. Sed est deus in cœlis qui excubat pro salute in eum sperantium, & defendit etiamnum ignorantes.

Festus autem respondit, seruari quidem Paulum in Cæsarea: se autem maturius profecturum. Qui ergo in uobis (ait) potentes sunt, descendentes simul: si quod est in uiro crimen, accusent eum.

Demoratus autem inter eos dies non amplius quàm octo aut decem, descendit Cæsaream: & altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulum adduci.

Paulus à domino custoditur, ut occasione horum consiliorum, tandem Romam perueniat, iuxta promissionem diuinam. Festus non obsequitur Iudæis, reijcit autem cognitionem causæ ad Cæsarem, dicens, Non esse consuetudinem Romanis ob gratiam cuiuscunq; donare aliquem ut pereat prius quàm reus præsentis habeat accusatores, locumq; se defendendi à crimine. Et sunt interim nunc Christiani, qui ad aucupandam gratiam pontificum & principum non solum abiectos homines supplicijs afficiunt, sed ueri dei ueram religionem abnegant. Quanto iustior est Festus, qui nondum conuictum morti obijcere in Iudæorum gratiam noluit, quum esset idololatra: Dominus autem deus operatus est in eo hanc uirtutem ciuilibus iustitiæ, propter Paulum ut is ab insidijs Iudæorum seruaretur. Sic cor regis in domini manu est.

Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Hierosolyma descenderant Iudæi, multas & graues causas obijcientes, quas non poterant probare, Paulo rationem reddente, Quoniam neq; in legem Iu-

dæorum, neq; in templum, neq; in Cæsarem quicquam peccaui.

Nemo pius tam innocēter uiuere potest, qui à nullo unquā accusetur. Hic Paulus multorum & grauissimorum criminū accusatur. Et Christus hominū accusatione non caruit, qui tamen peccatum nō fecit. Accusationes cauere nō possumus, at cauere possumus crimina. Et ideo hic accusatur quidē de multis Paulus, quæ accusatores probare non possunt. Paulus enim pro se respondens perspicuum facit se neq; in legem Iudæorum quam seruaret, neq; in templum in quo pure & quiete cōuersatus fuerat, neq; in Cæsarem quicquam peccasse. Ad publicam Cæsaris maiestatem pertinent leges ciuiles, obedientia subditorum, honoris exhibitio, tributorum, censuum, exactio, & id genus alia, in quæ Paulus non peccauerat, religionis autem uarietas sub Romano imperio capitalis nondum erat.

Festus autem uolens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me?

Festus cum intellexisset & Pauli innocentiam, & implacabile odiū Iudæorum, sic studens gratificari Iudæis, ut tamen reo non uideretur fecisse iniuriā, ait Paulo: Vis ire Hierosolymam, & illic iudicari apud me? Suspiciabatur enim id fore gratum Iudæis, qui prius hoc flagitauerant. Ipsi uero non pacatiore instantia pro exitio Pauli laboraturi erant, quā fecerant iam olim de Christo. Et non erat Pilato Festus futurus in defendenda innocentia constantior. Gratia tamen erat, quod non cogere tentat, ut auferatur à Iudæis, & inuitus Hierosolymam perducatur, à qua uolentia illum Lysias eripuerat.

Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari. Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si uero nihil est eorum quæ hi accusant me: nemo potest me illis donare. Cæsarem appello.

Paulus non ignarus quid molirentur Iudæi, respondit præsidī: Non est cur aliō reijciatur hæc causa, quandoquidem nihil obstat quo minus hic uel absoluar uel damner. Ad tribunal Cæsaris adsto reus, in ciuitate Cæsaria, hic oportet me iudicari. Vana sunt omnia quæ isti mihi obijciunt, nemo iudicem agens potest me præter ius illorū odijs iudicandū donare. Neq; iudex in gratiam cuiusquam potest damnare reum. Cæsarem appello. Vbi rursum cōprobatur Christiano licere ex fide uti politicis ordinationibus, et implorare auxilium iudicis, non solum in respondendo, sed etiam in accusando, quemadmodum supra pluribus ostensum est. Nam si licet ab inferiori iudice ad superiorem appellare, licet etiam aduersarium corā iudice accusare. Appellatio enim facit ex reo actorem, & accusator non tantum accusatur, sed & iudex iniquæ sententiæ arguit.

D Tunc Festus cum consilio locutus, respondit, Cæsarem appellasti: ad Cæsarem ibis.

Iustitia ciuili Festus defert appellationi ciuis Romani, idq; communicato consilio, non ut credo Iudæorum, qui pars erant & accusatores, sed quia nouus præses suorum non caruit consiliariorum assistentia, & amicis Romanis longe iustioribus quā Iudæi, inuitisq; Iudæis abstulit eis sæuendi in Paulum licentiam. Interim tamen Iudæi relegari eum ad Cæsarem malebant quā absolui, sperantes oblatum iri occasionem, per quam tollerent illum aliquando e medio. A quibus tamen deus illum liberauit potenti manu sua, quandoquidē
semel

femel domino decretum erat, & Paulo promissum, Vt Hierosolymis de me testificatus es, sic te oportet & Romæ testificari. Quis ergo diuinis promissionibus non credat?

Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandū Festum. Et cum dies plures ibi morarentur, Festus regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus à Felice uinctus, de quo cum essem Hierosolymis, adierunt me principes sacerdotum & seniores Iudæorum, postulantes aduersus illum damnationem.

Fit ordinante deo Paulus spectaculum, non paucis tantum hominibus, sed angelis & toti mundo. Concurrerunt ad uidendum Paulum quidam ex inuidiâ cupientes perditum, alij curiositate adacti uidere toto terrarum orbi clarū nomine, alij ex amore, ut amicitiam declararent in periculis, ex fide nonnulli, ut religionis negotium agentē audirent, & fide confirmarentur. Erat uero hic rex Agrippa filius Herodis Agrippæ, qui Iacobū occiderat. Hunc Agrippā Claudius tanto fauore prosequeretur, ut aliquot ei principatus daret in Syria & Iudæa & Iudæa, cuius & tēporibus uastata est à Tito & Vespasiano Ierusalem. Erat enim uir magnæ prudentiæ, cuius consilijs si acquiescissent Iudæi, nō concidissent in tantam calamitatem. Bernice uero uel Beronice, cuius fit hic mentio, dicitur fuisse soror Agrippæ, primum nupta Herodī patruo suo; deinde cū aliquandiu uidua ageret, suspicio intercessit ob consuetudinem stupri cum fratre suo Agrippa, inde nupsit Polemoni regi Liciæ. Cum igitur intrasset Festus prouinciā, uenerunt Agrippa & soror ad Cæsaream ut salutarerent eum. Honoris quidem gratia, quem non tam Festo præsidī quàm Romanorum maiestati defert non indigne, quorum beneficio tanta possidebat, quorum quoque hic Festus nomine præsidem agebat.

Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem prius, quàm is qui accusatur, præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obijciuntur. Cum ergo huc conuenissent, sine ulla dilatione, in sequenti die sedens pro tribunali iussi adduci uirum.

Hac quidem narratione indicat Festus regi causam Pauli, indicans quid iudici iusto faciendum sit. Non, inquit, est consuetudo Romanis donare aliquem hominem exitio, nihil legitime de crimine confictum, consuetudine certe non tam communi sensu quàm omnibus legibus approbata. Et hæc quidem gentes iuxta dei legem agebant sine testibus legitime examinatis neminem iudicantes, cum Iudæi de lege diuina præ omnibus gentibus tantopere gloriâtes, frequenter latrocinijs suis opprimere consueuerint sanctos etiam uiros, prophetas & apostolos ad se missos. Quin & testes redemptos pecunia subornare non ueriti sunt, ut iustos occiderent. Non ergo laudis est amplæ legibus gloriari non seruatis, quamlibet iustis & diuinis.

De quo, cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant de quibus ego suspicabar malum: quæstiones uerò quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus uiuere.

Prodierant quidem, ait, accusatores multi, sed non erant conuenientia testi-

monia eorum. Nullū enim obijciebant uel testabantur crimen, ob quod mortis sententiam pronunciare debuerim, ut uolebant, tantū quæstiones quasdam mouebant de sua superstitione aduersus eum. Ethnico autē more loquitur, superstitionem nominans, quod erat uera solidaq̄ religio. Earum autem rerum, ait, quæ ad religionem Iudaicā spectant ignarū se esse, tum quia nouus in officio, tum quia gentilis, & quod Romani in ciuilibus causis moderamen tantum illi cōmiserant: quo in prouincia Iudaica Iudei tranquille agerēt. In qua Paulus nihil nouauerat, nec quicq̄ deliquerat, iudicio prudentū, & causam intelligētū.

F Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam, si uellet ire Hierosolymam, & ibi iudicari de istis. Paulo autem appellante ut seruetur Augusti cognitioni, iussi seruari eū, donec mitterē eū ad Cæsare.

Videns ego huiusmodi quæstiones, non admodū conuenire meæ cognitioni, neq̄ satis certū habens quid in ea causa pronunciarē, rogauī eum num uellet ire Hierosolymam, atq̄ illic experiri iudicium super hisce rebus quæ notiores essent sacerdotibus & scribis & pharisæis. Id quum recusaret, expertus inuidiam, & præiudicia illorum, testibus tribunis nostris & militibus, Cæsarem appellauit, ut illius cognitioni seruetur. Iussi itaq̄ illū interim seruari, donec per occasionem posset transmitti.

Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominē audire. Cras (inquit) audies eum. Altera autem die cū uenisset Agrippa & Bernice cum multa ambitione, & introissent in auditorium cum tribunis & uiris principalibus ciuitatis, iubente Festo adductus est Paulus.

Agrippa Iudæus erat genere, non ignarus rerum quæ inter illos agebātur, potuit multa audisse de Paulo, sicut Herodes de Christo. Ideoq̄ se dicit multa de Christo quoq̄ audisse & ipsius discipulis, quam ob rem, ait, uellem et ipse audire hominē istum, priusquā eat ad Cæsare. Fieri potest ut non statim euocatus sit ad conspectū regis, uel quia deerat Bernice, uel ut non subito & imparatus ad regiam maiestatem oraturus induceretur. Cras, inquit, audies eum. Non modica enī erat illius fama de doctrinæ excellentia in Paulo, & diuina eloquentia, quā eidē spiritus suppeditabat, præter id quod Christi pmissio, & ueritatis energia, homines auditores uehementer permouent, dum uult deus. Apparet quoq̄ ex tanta ambitione & concursu regis & sororis cū reliqua nobilitate, magnam quoq̄ fuisse existimationē omnium de Paulo perducto in auditoriū, ubi tribuni Romanorū & principes uiri Cæsareæ urbis audituri Paulū conuenerāt.

G Et dicit Festus, Agrippa rex, & omnes qui simul adestis nobiscum uiri, uidetis hunc hominē, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Hierosolymis, petentes & acclamantes, non oportere eum uiuere amplius. Ego uero comperi, nihil dignū morte eum admisisse. Ipse autem hoc appellante ad Augustum, iudicauī mittere.

Festus præses ne tantū in regis gratiā uideretur adduxisse Paulum, sed simul quoq̄ causam illius agnitā uolens regi, & audire consiliū quid factū sit opus, posthac narrare incipit de negotio præsentibus primoribus regni. Hunc autē in modū locutus est: Agrippa rex (obmissis innumeris epithetis, quibus nostri stulte utuntur & gaudent, cum id profani tunc nihil curarint, uno contenti officij nomine appellari, ut reges dicerentur) & omnes quotquot hic nobiscū adestis uiri, uidetis hominē, de quo tota multitudo Iudæorū interpellauit me, cum Hieroso-

Hierosolymis, tum hoc in loco, magnisq; uociferationibus acclamarunt, Non esse fas eum amplius uiuere. Ego uero disquisitione facta, comperi illum nihil dignum admisisse supplicio capitis. Cæterum quum ipse ultro appellasset Cæsarem, statui illum eo mittere.

De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod perduxim eum ad uos, & maxime ad te rex Agrippa, ut interrogatione facta, habeam quod scribā. Sine ratione enim mihi uidetur, mittere uinctum, & causas eius non significare.

In hac oratione simpliciter dominum nominat Neronem Cæsarem. Quamquam uero summus magistratus summis etiam epithetis honorandus sit, & in solennibus titulis regionis mos nostro tempore lex esse possit, intelligimus tamen potentissimos reges & monarchas minime arrogantibus titulis usos, & quomodo Domini epitheton Neronis tempore nouum fuit. Quandoquidem Octavius Augustus Domini appellationem ut maledictū et opprobriū semper exhorruit, spectante eo ludos aliquādo cum pronunciatū esset à Mīmo: O dominum, æquum & bonum, & uniuersi quasi de ipso dictum exultantes cōprobassent, statim manu uultuq; indecoras adpellationes repressit. Sequenti quoq; die grauiſſimo corripuit edicto. Dominūq; se posthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis uel serio uel ioco passus est, atq; huiusmodi blandicias etiā inter ipsos prohibuit. Hæc nō ideo cōmemorantur, ut magistratus debitis honoribus fraudentur, sed uanitas secularis comprimatur, ut discamus sentire modestius. De Pauli uero negotio intelligimus consilium dei circa electos, contrarium consilio impiorum. Quò enim plus à Iudæis accusatur, tanto clariora testimonia à præsidibus assequitur. Lysias dicit, Nihil dignum uinculis, cōperi in Paulo. Felix iubet ut relaxetur tanquam innocens. Festus nihil dignū morte comperit in eo. Agrippa dicit, Nihil morte & uinculis dignum egit iste homo: dimitti poterat, nisi Cæsarem appellasset. Sic quò magis Iudæi conantur in Paulo Christi euangelium extinguere, tanto latius spargitur. Sic cōsilia domini uelint nolint impij promouent.

CAPVT XXVI.

Agrippa uero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere.

Agrippa rex conuersus ad Paulum qui adstabat, ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso si quid habes quo causam tuam defendas. Moxq; Paulus libera conscientia fretus, & spiritu Christi cōfortatus, porrecta manu defensionē suā sic exorsus est: Magni referre puto, rex Agrippa, apud quē iudicē reus causam dicat. Etenim qui fidit innocentia suā huic nihil optabilius q̄ ut cōtingat iudex qui causam aut optime norit, aut facillime possit discere. Nā apud iudicē non intelligentē negotiū de quo agitur, frustra disertus est qui dicit. Subin dicat hisce uerbis doctrinam Christianæ religionis tantæ ueritatis & claritatis esse, ut si etiā non habeat iudicē credentem, & suarū partium, sed tantū prudentem uirum, rerū non ignarū, & partiū studio non excæcatū, aduersarios tamen uincat. Declarat autē alacritatē animi extenta manu, nō dubitans de promissis Christi, & spiritus assistentia, si quando protracti Christi discipuli ante reges & præsides uerbum domini essent prædicaturi. Ad id sciebat se peculiariter electū uas & Gentium doctorē, apud quas maiore cum fructu euangelizare posset, quam apud Iudæos pertinaces.

De omnibus quibus accusor à ludæis rex Agrippa, existimo me beatum, apud te cum sim defensusus me hodie, maxime te sciente omnia quæ apud ludæos sunt, cōsuetudines & quæstiones: propter quod obsecro, patienter me audias.

Quamquam mihi uaria & graua crimina obijciuntur à ludæis, tamen hoc nomine me fortunatum iudico, qui causam hanc hodie dicturus sum apud te, cui notissimæ sunt & cōsuetudines & quæstiones gentis Iudaicæ. Quapropter te rogo, ut patienter me audias. Hinc quoque discimus quanta animum fortitudine cōfirmet deus in credente, etiam in magnis periculis laborante, & ardua loqui compulso.

B in Hierosolymis, nouerunt omnes ludæi: præscientes me ab initio (si uelint testimonium perhibere) quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis, uixi pharisæus.

Principio quod quidam obijciunt me peccare aduersus legem, quam sit falsum omnis mea uita ad hunc usque diem acta satis declarat. Quamquam enim Tar-si natus sum, tamen à primis annis inter ludæos institutus sum Hierosolymis, ubi & legem studiose didici ad pedes Gamalielis. Itaque uitam meam pure religiosam actam, inter gentis meæ homines, & in omnium celeberrima ciuitate nouerunt ludæi, qui me ante multos annos cognouerunt, ex quo primum Hierosolymis uersari cœpi, si modo uelint id quod sciunt profiteri. Neque enim solum Iudaicæ religionis sedulus cultor fui, uerumetiam eam sectam, quæ cæteris & religionis studio & legis exactissima diligentia & cognitione præcellit amplexus sum, nimirum pharisæorum. Impudenter autem accusant me parum esse ludæum, qui fuerim & sum pharisæus, quasi quis ludæum esse neget qui Hierosolymis sit natus. Nam ex ludæis pharisæorum secta præcipue credit futuram corporum resurrectionem, & unumquemque prout in uita hac se gessit præmia sortiturum.

Et nunc in spe quæ ad patres nostros repromissionis facta est à deo, sto iudicio subiectus, in quam duodecim tribus nostræ nocte & die deseruientes, sperant deuenire. De qua spe accusor à ludæis, rex.

Nec unquam deseciui à secta pharisæica, quin & nunc ob spem felicitatis quam deus repromisit patribus nostris, his qui pie transegerunt hanc uitam, sto subiectus iudicio. Quod si crimen est sperare quod deus promisit suis cultoribus, mihi crimen hoc cum multis commune est. Etenim duodecim tribus gentis nostræ quo tandem animo colunt deum instanter die & nocte, nisi quod sperant sese ad hanc felicitatem ab eo promissam peruenturas? Vix igitur ludæi nomine dignus uideatur, qui non sperat quod deus promisit. Atque ob hanc spem, rex Agrippa, nunc potissimum uocor in ius à ludæis. Sic prudenter & recte accusationis statum attingit hic Paulus, quod prædicet resurrectionem mortuorum, quæ promissa sit patribus, & quam sperant. Idque in Christo fieri cœptum ostendit, qui resurrexit à mortuis. ludæi uero dissimulabant hunc statum, impingentes illi hæreses & defectiones à uera religione: negabantque hunc hominem Iesum Hierosolymæ crucifixum à mortuis resurrexisse.

Quid incredibile iudicatur apud uos, si deus mortuos suscitatur? Et ego quidem aestimaueram me aduersus nomen Iesu Nazareni debere multa cōtraria agere: quod & feci Hierosolymis, & multos sanctorum

ego in carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate accepta: et cum occiderentur, detuli sententiam.

Scio, inquit, multis absurdum uideri, si quis dicat corpus semel mortuum ac putrefactum reuiuiscere. Sed multa uidentur hominibus absurda, quæ post comperiunt esse uerissima. Si quis prædicet hominem ab homine posse reuocari ad uitam, merito uideatur absurda dicere. Verum cur incredibile iudicatur apud nos, si deus qui potest quicquid uult, suscitatur mortuos? An qui uitam dedit omnibus, non potest quibus uult reddere? An illum mendacem esse credimus, ut quod promisit non sit præstaturus? Sed hoc argumētum nondum huic satisfacit causæ, nisi etiam probetur deū id uoluisse, hoc est egisse: dei enim uelle est agere. Pergit igitur Paulus, & probat dominum deum in Iesu opere perfecisse, quod uiribus omnipotentia potuit facere, ac dicit: Mihi quoque, ut alijs usu uenit, ut quod mihi impossibile uidebatur & absurdum, post compererim uerissimum: & quod ante uidebatur impiū, & legi nostræ aduersum, post compererim & pietatis & religionis esse caput, adeo ut quo animo nunc in me sunt Iudæi, hoc ipse quondam fuerim erga discipulos Iesu Nazareni. Aduersus cuius nomen rebellans totis uiribus, existimabam me religiose facere, si quantis possem malis illius professores affligerem, quod & feci Hierosolymis. Multos enim sanctos conieci in carcerem, impetrata ut id facerem à summis sacerdotibus autoritate, quumque occiderentur detuli sententiam. Non est uero otiosum hoc loco quod Paulus narrat, sauitiā & persecutionem suam in Christianos. Hoc enim signo confirmat Iesum ex mortuis surrexisse, & sibi uere apparuisse. Quomodo enim fieri potuisset, uirulentissimum & peruicacissimum Euangelij persecutorem tanta nunc constantia prædicare Euangelium Iesu Christi, nisi diuina aliqua potentia mutatum subito, & per miraculum.

Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: & amplius infaniens in eos, persequabar usque in exterarum ciuitates.

Nec, inquit, tantum Hierosolymis, sed & per omnes synagogas, ubicunque conciliabula illorum deprehenderem, puniebam illos, malis huc adigere studens, ut in sanctissimum nomen illud essent blasphemæ, quemadmodum ego tunc eram. Nec his contentus maiore etiā infania debacchatus sum in illos, adeo ut in exterarum etiam ciuitates procul etiam ab Ierusalem semotas proficiscerer, ut eius nominis professores afficerem supplicio. Cumque totus intentus huic crudeli negotio, non ex malitia, sed studio legis patriæ proficiscerer Damascum, armatus autoritate summorum sacerdotum, die medio, o rex Aprippa, uidi e caelis subito promicare lucem multo clariorem splendore solis, ea circumfulsit & me & comites meos qui aderant. Quum autem omnes attoniti & c.

In quibus dum irem Damascum cum potestate & permissu principum sacerdotum, die media, in uia uidi, rex, de caelo supra splendorem D solis circumfulsisse me lumen, & eos qui mecum simul erant. Omnesque nos cum decidissemus in terram, audiui uocem loquentem mihi Hebraica lingua, Saule Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Ego autem dixi: Quis es domine?

Non sine rationabili & necessaria causa libuit auctori huius libri eadem ca-

pite nono & uigesimosecundo scribere etiam hoc loco, ut & illa essent nobis maxime omnium notissima, & altissima mente reponenda, pro doctrina Pauli expendenda & amplectenda diligentius, tum ad confirmandam fidem nostram ex insigni clementia, qua Christus suum persecutorem complexus est. Commendat etiam Paulus ipse sepius conuersationem suam in Iudaismo, zelosam probatam & studiosissimam traditionum paternarum obseruantiam, & Christianorum persecutionem, ut patet ad Galatas, quatenus ex antithesi uocabiliorem reddat, adeoque ostendat eam non nisi diuina potentia factam esse. Etenim Paulus tanta eruditione in patria lege institutus fuit, ut scientia & doctrina multos aequales in genere suo superauerit, ut non fuerit ruditas causa quoque tanta legali excelluit, ut iuxta exquisitissimam uiuendi regulam, nempe pharisaicam uitam instituerit, et ab omnibus maxime approbatam. Non igitur malitia aliqua aduersus legem perpetrata impulit eum, ut legis deserto studio ad Euangelij professionem se conferret, sed plane celestis aliqua uirtus & diuina id egit in ipso, ut mutaretur tantopere. Diuinae autem uirtuti quomodo repugnare potuisset homo? Docet quoque his relationibus studiorum suorum Euangelij praedicationem non esse contrariam legi ac prophetis, sed potius id implere quod lex requirit, & prophetae uaticinati sunt. Nam si quis haec doceret & ageret, non eruditus in lege & prophetis, male audiret us esset de rebus sibi ignotis differens. Suo quoque exemplo docet non continuo rectum esse quod nobis uidetur, nec mox impium quod nobis bona intentione iudicantibus impium uidetur. Usque adeo iuste Paulus se credebatur persequi ecclesiam, ut existimauerit se praecipuum deo obsequium praestare persequendo Christum; longe autem aliter sensit, posteaquam diuina desuper reuelatione est illuminatus. Docet tandem his uerbis, non habendam fiduciam aliquam in sanctitatem legalem; sic enim & ad Philippenses capite 3. scribit: Si quisquam alius uideretur fiduciam habere in carne, ego magis habeo. Circuncisus octauo die, Israelita, ex genere tribus Benjamin &c. addens, Sed quae mihi erant lucra, ea arbitratus sum propter Christum damnatum esse. Si autem legis iustitia damnum reputanda est, quae alia iustitia relinquatur nobis ad iustificationem, praeter eam quae est in Christo Iesu.

Domini autem dixit: Ego sum Iesus quem tu persequeris. Sed exurge & sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum & testem eorum quae uidisti & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te de populis & gentibus, in quas nunc ego mitto te aperiire oculos eorum, ut conuertantur a tenebris ad lucem, & de potestate satanae ad deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem, quae est in me.

Vocationis suae uerba diligenter recitat ad sensum, ne ludere discamus in uerbis, & ea exigere ad corticem. Ideo, inquit Christus, deieci te persecutorem meum, ut erigam praedonem nominis mei. In hoc enim nunc apparui tibi, ut a me delectus, & haec quae uidisti testificeris, & exequaris, & ea quae in posterum per uisiones significabo tibi. In quibus omnibus adero tibi protector, eripiens te de populis ac Gentibus Barbaris, proculque semotis, ad quas nunc te legatum mitto; ut quemadmodum tu nunc subito liberatus ab errore pro caeco factus es oculatus,

oculatus, ita prædicatione ueritatis Euangelicæ aperias oculos eorum, ut à tenebris errorum & uitiorum, quibus hæcenus detinentur, conuertantur ad lucem Euangelicam: utq; qui hæcenus idololatriæ dediti mancipia fuere satanæ, transferantur ad lucem ueram, ad dominum deum uerum, qui est dominus omnium: & qui hæcenus omnis turpitudinis genere fuerunt inquinati, nunc per fidem Euangelicam gratis accipiant remissionem omnium peccatorum: quiq; hæcenus dicti sunt non populus, alieni à deo, alieni ab omni consortio sanctorum, nunc sortem accipiant inter eos qui sanctificati sunt, nõ per circumcissionem, aut legalium obseruantiam, sed per fiduciam in deum per Christum, quia credunt Euangelio. Eleganter itaq; & clare hic & breuibus describitur officium Euangelicæ prædicationis, quia aperiat oculos Iudæorum & Gentium, liberet à potestate satanæ, & à tenebris uitiorum, promittat certissimam remissionem peccatorum, sortem quoq; inter electos per fidem in Christum.

Vnde, rex Agrippa, non fui incredulus coelesti uisioni: sed his qui sunt Damasci primum, & Hierosolymis, & in omnem regionem Iudææ, & gentibus annuntiabam ut pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Supra 23. 24.

Hæc, inquam, Agrippa rex, neq; noctu neq; in somnis acta sunt, sed clara luce fulgorem conspeximus multi, & uocem clare loquentem audiuimus. Vnde certus hæc à deo cœlitus geri, non me præbui inobedientem coelesti uisioni, sed omisso negotio quod institueram longe diuersum agere cœpi, prius ac potius ducens exequi quod deus mandarat, quam quod summi sacerdotes. Nam statim Damasci, mox Hierosolymis, deinde per omnes Iudææ regiones, deniq; & inter Gentes uarias & procul semotas prædicabam Euangelium, ut uitæ superioris pœnitentiam agerent, & conuerterentur ab idolis mutis ad deum uerum ac uiuum, utq; semel purgati baptismo deinceps facerent opera digna ijs qui uere respiciunt.

Hæc ex causa me Iudæi cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere. Auxilio autem adiutus dei, usq; in hodiernum diem Supra 21. c. testificans minori atq; maiori, nihil extra dicens quam ea quæ propheta loquuti sunt futura esse, & Moyses, si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo & gentibus.

Hanc ob causam Iudæi quum me uidissent in templo, comprehensum tentabant interficere. Nec armis humanis hæcenus me defendi, sed protectore deo, cuius iussu facio quod facio, subsisto usq; in hodiernum diem, testificans tum maximo cuiq; tum minimo, de his que iussus sum omnibus absque delectu per sonarum prædicare, nullam nouam doctrinam ex me comminiscens, sed nihil aliud prædicans quam ea quæ Moses ac propheta prædixerunt futura. Si quidem & Iudæi hæc solent disputare de Christo ex uaticinijs prophetarum, an Messias esset uenturus, malis hominum mortiq; obnoxius, an esset omnium primus auspicatorum resurrectionem corporum, an lumē ueritatis annunciaturus primum populo Israelitico, deinde & Gentibus. Hæc omnia quum prædicta sint à prophetis & Mose de Messia, prædico non expectandum diutius & alium Messiam, quandoquidem ista iam expleta sunt in Iesu Nazareno, nihilq; iam superesse, nisi ut per pœnitentiam uitæq; nouitatē omnes sese præparent in illius re-

ditum, quando uenturus est iudex totius mundi, Nunquid uero hoc meum fluitum, hæc prædicatio mea accusatione & supplicio digna sunt, scilicet quod quis magis obsequitur deo quam hominibus? quod quis populum ad poenitentiam & ad facienda bona hortatur? quod Mosen & prophetas quis explicat? & honorem Messiae, de quo prophetae & Moses scripserunt, illustrat? Profecto laude hæc & præmio digna sunt. Inique ergo à Iudæis accusor.

Hæc loquente eo & rationem reddente, Festus magna uoce dixit: Insanis Paule: multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Et Paulus: Non insanio (inquit) optime Feste: sed ueritatis & sobrietatis uerba loquor.

Hoc illud est quod aliàs Paulus scribit, Nos, inquit, prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uero stultitiam. Quid enim coram humana ratione stultius quam asseuerare crucifixum, & turpissimo mortis genere extinctum, non solum uiuere, sed etiam in cælo & terra regnare, & omnes credentes in ipsum iustificare, in omnibus afflictionibus eos seruare, & eosdem ad fruendam perpetuam felicitatem à mortuis resuscitare? hæc enim sunt officia Christi. Sed addit Paulus, Isdem uocatis Iudæis pariter et Græcis, Christum dei potentiam ac dei sapientiam. Festus hic quoque exemplum est impiorum semper prædicatoribus Euangelij obijcientium insaniam. Nihil ille intelligebat rei Iudaicæ, pro deliramentis ducens quæ dixerat, de resurrectione mortuorum, ideo dixit: Insanis Paule: multitudo literarum sanam tibi mentem, ut fieri solet, eripuit. Excusant huiusmodi incredulitatem suam, si doctus est, insanum appellant, si indoctus, aiunt, In peccatis natus es totus, & tu doces nos: si iuuenis, Vnde homini, inquiunt, adulescentulo hæc: si senex, Desipit, aiunt, & delirat. Sic semper impij nec saltant dum canitur, nec plangunt dum lugubria canuntur. Tolerabilis his erit Sodomæ Christo decernente & iudicante, Paulus autem ad hæc ait: Non insanio præstantissime Feste. Siquidem insaniam est per errorem mentis à uero delirare. Ego uero sobrius quæ uera sunt eloquor, quæ scire, uera est sanitas.

G Scit enim de his rex, ad quem constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quicquam horum gestum est. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quia credis.

Hæc ita se habere nouit rex, apud quæ his de rebus eo liberius loquor, quod existimem illum nihil latere eorum quæ narro. Neque enim res uniuersa in angulo gesta est, sed in propatulo. Deinde rumor per uniuersam Iudæam dimanauit, dicentibus hominibus de quodam, qui quum maxime insectatus fuisset Christianos & Christi discipulos, nunc omnium constantissime prædicare Christum, & propugnare fideles, confundere autem Iudæos, quod & non latere poterit regem. Præterea sciebat rex, Iesum aliquot annis in Iudæa uersatum, à Iudæis crucifixum; postea eius resurrectionem prædicatam passim ab apostolis. Et non ignorabat hos discipulos non dicere se nouam religionem prædicare contra Mosen & prophetas, sed ueterem à patriarchis obseruatam, & à prophetis prædicatam restaurare & confirmare. Vnde & mox Paulus uersus ad Agrippam ait: Credis rex Agrippa prophetis? Scio quod credis. His autem qui futurum prædixerant.

Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me Christianum fieri. Et

ri. Et Paulus: Opto apud deum & in modico, & in magno: nō tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodie, fieri tales, qualis & ego sum, exceptis uinculis his.

Agrippa sermonem interrumpens Paulo dixit: Modica ex parte persuades mihi, ut fiam Christianus. Siue hæc dixerit rex serio siue ludibrio, certè Paulus serio respondens, ait: Equidem illud optarim à deo, non tantum modica ex parte, uerum etiam magna, nec te modo, sed omnes etiam qui me audiunt hodie, esse tales qualis ego sum, exceptis his uinculis. Quàm uehemens autem hæc optio Pauli fuerit, satis testatur Paulus Romanis: Optarim, inquit, ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis cognatis secundum carnem. Significat autem regi & auditoribus his uerbis, credentem in Christum talem obtinuisse felicitatem, quæ superet omnes opes & dignitates huius sæculi. Quod uero Paulus excipit uincula sua tanquam ignominiosa, cum sint apud deum triumphalia signa, accipiendum est hoc, ut accommodet optionem suam ad illorum iudicium, coram quibus loquebatur, ne uideretur ipsis foeda & abominanda imprecari.

Et exurrexit rex & præses & Bernice & qui assidebāt eis. Et cum secessissent, loquebantur adinuicem, dicentes: Quia nihil morte aut uinculis dignum quid fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

Iterum pronuntiatur Paulus innocens, idè non ab hominibus sordidioris notæ, sed à rege & principibus. Quid ergo Iudæi falsis suis accusationibus & calumnijs aliud effecerunt quàm quod innocentiam & gloriam Pauli magis illustrarunt? Non sunt igitur timendæ calumniæ propter ueritatem, sed timendus est dominus deus, & danda opera, ut innocenter uiuatur. Quum, inquit, secessissent de negotio communicari rex & principes, discessum est ab omnibus in hanc sententiam, ut dicerent, nihil admissum à Paulo dignum morte & uinculis. Itaque futurum erat, ut dimitteretur Paulus, nisi rex dixisset Festo præsidè: Poterat hic homo absolui à causa, nisi Cæsarem appellasset.

CAPVT. XXVII.

VT autem iudicatum est nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodijs centurioni nomine Iulio, cohortis Augustæ: ascendentes nauem Adrumetinam incipientem nauigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti autem die uenimus Sidonem. 2. Cor. 11. f

Apparet Romanos legum suarum ordinationem grauer administrasse, & à præsidibus ac regibus Romano imperio subiectis seueriter exegisse. Quid enim rex Agrippa & præses Festus tam longa & periculosa nauigatione, qualis est à Cæsarea Palæstinæ ad Romam, tanto quoque impendio tum captiuorum tum militum captiuos custodientium, uinctos Romam misissent, nisi seueritas administrandi publici iuris id extorsisset? Atque hæc est non minima causa dilatati imperij Romani. Regna quidem parantur armis, sed seuera æquitatis administratione retinentur. Contra uero neglectus iustitiæ certissima interuentio nis imperiorum causa est. Si iudicia mea, inquit dominus, non seruaueritis, di-

spendam terram uestram, Paulus uero datur centurioni unâ cum multis alijs uinctis, multis & magnis sceleribus nobilibus. Et hæc est fors sanctorum, quâlis & Christi inter latrones crucifixi. Quamlibet enim Paulus innocentiae suae testimonium habebat à regibus & principibus, publice tamen sceleratis adnumeratur. Habebant cohortes sua nomina, sicut & insignia, unde centurio iste Augustae cohorti præerat. Adrumetina uero nauis dicitur, quæ ad emporium Hadrumetense pergebat uel pertinebat. Est autem Hadrumetum ciuitas Aeo-
liæ. Clementia autem dei subornantur Paulo captiuo & nebulonibus comparato & associato in ea nauigatione p̄ssimi uiri, Lucas & Aristarchus, de quibus habuimus decimo octauo capite, qui erant indiuidui comites, ut horum conuictu solati quippiam haberet in afflictionibus. Sed & gratiae dei erat, quod conciliatus est amicitia quadam Paulo centurio Iulius. Postridie, inquit, quam sol-
uimus Caesarea, appulimus Sidonem.

Humane autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere. Et inde cum sustulissimus, subnauigauimus Cyprum: propterea quod essent uenti contrarij. Et pelagus Ciliciae & Pamphili-
ae nauigantes, uenimus Lystram, quæ est Lyciae: & ibi inueniens cen-
turio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, transposuit nos
in eam.

Hic Iulius centurio quoniam Paulum constituerat tractare humaniter, per-
misit ut egressus nauim iret ad amicos, si quos haberet Sidone, atque ab illis cu-
raretur. Hinc rursus ubi soluissimus, non commisimus nos spatiofo mari, sed
ad leuam præterlegimus littora Cyprî, eo quod uenti essent aduersi. Atque ita
pelagus quod est contra Ciliciam ac Pamphiliam, ad dextram nauigantibus ea-
mensi peruenimus Lystram: ea est in littore Lyciae. Hic centurio nactus aliam
nauim, quæ uenerat ex Alexandria Aegypti, nauigatura in Italiam transponit
nos in illam.

B Et cum multis diebus tarde nauigaremus, & uix deuenissemus con-
tra Cnidum prohibente nos uento, adnauigauimus Cretæ iuxta Sal-
monem: & uix iuxta nauigantes, uenimus in locum quendam qui uo-
catur Boni portus, cui iuxta erat ciuitas Thalassa.

Quum multis diebus tarde nauigassemus, uixq; tandē deuenissemus con-
tra Cnidum, uidelicet reflante uento, defleximus cursum ad insulam Cretam,
iuxta ciuitatem eius insulae littoralem, cui nomē Salmon, siue, ut nonnulli uo-
cant, Sammonium. Hanc quum agre præternauigassemus peruenimus ad al-
liud Cretæ littus, cui nomen Pulchri portus. Huic loco erat uicina ciuitas La-
sæa. De his & alijs locis quorum nomina secundum tempus & homines saepe
mutantur, & uarie proferuntur, uide Vadianum in Insulis maris, ubi & elegan-
ter docteq; explicat. Vbi Salmon, Pulchri portus, Lasæa, Cnidus et Assus, Pau-
li quoq; nauigatio periculosa describitur cum cæteris ad hunc locum pertinen-
tibus capiendum. Nos in ecclesia proferamus circa hunc locū pericula, in quæ
deus apostolum posuit, ut cogitemus quàm dispar fors sit piorum hominum in
hoc sæculo, & impiorū. Gloriabatur Dionysius tyrannus & sacrilegus, secun-
dis se uentis nauigare; Paulus omni genere pietatis præditus, cum suis comiti-
bus periculosissimam nauigationem ferre cogitur. Vt nos exemplo piorum
discamus huius mūdi aduersa modestius tolerare, & per aduersa quoq; promif-
siones dei impleri, nullisq; discriminibus quantūuis magnis reddi mendaces.
Multo

Multo autem tempore peracto, & cum iam non esset tuta nauigatio, eo quod ieiunium iam præterisset, consolabatur eos Paulus, dicens eis: Viri, uideo quoniam cum iniuria & multo damno, non solum oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse nauigatio.

Quum iam perspiceret Paulus quod inciperet esse periculosa nauigatio, non solum ob id quod uentis aduersantibus non possent tenere cursum quem uolebant, uerum etiam quod ultra iustum tempus non curassent corpus, non ualentes oportuno littori applicare, & cibos parare laborantibus necessarios in tanto periculo, tamq̃ diuturno, admonuit nautas futuri periculi, & damni non tam oneris quam nauis, quin & uitæ, ut mallent à nauigando desistere, & in Creta potius hybernare. Et non erat in Paulo timida incredulitas, sed fidei prudentia. Didicerat usu Paulus ingenium maris & uentorum hyberno tempore. Fides autem in promissiones dei non debet esse temeraria, sed prudens, & tum demum se manifestis periculis obijcere, cum non pateat pius ad tutiora receptus. Vbi uero ob oculos ponitur non iniusta ratio deuitandi pericula, ibi certe occasio diuinitus oblata non est negligenda. Magnanimum uirum decet ante pericula caute & prudenter de rebus consultare, in periculis autem constare fortiter.

Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quam his quæ à Paulo dicebantur. Et cum aptus portus non esset ad hybernandum, plurimi statuerunt consilium nauigare inde, si quo modo possent deuenientes Phœnicem hyemare, portum Cretæ, respicientem ad Africum & ad Chorum.

Centurio magis auscultabat gubernatori & nauclero quam Pauli monitionis. Quoniam autem illic non occurrebat portus idoneus ad hybernandum, complures hoc cepere consilium, ut si quo modo possent, perueherentur usque ad Phœnicem, non eam Syriæ oram quæ sic quoq̃ dicitur, sed ad portum quemdam Cretæ uel Candia insulæ sic dictum promontorium quoddam, promans in mare oppositum uento Aphrico & Choro. Non fuerat contemnendum ab ipsis causis sumptum consilium ignoti hominis: quamuis rerum periti in dubijs consulendi sint & audiendi, Prouerbiū tamen uulgo iactatum non mentitur: Sæpe est olitor ualde oportuna loquutus. Experimur tamen benedictionem rerum non ab humana prudentia sed à diuina liberalitate proficisci.

Aspirante autem Austro æstimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson, legebant Cretam. Non post multum autem misit se contra ipsam uentus Typhonicus, qui uocatur Euroaquilo.

Quum interim aspiraret Auster, rati se uoti fore compotes, ut Phœnicem peruenirent, soluerant à litore Assi: ea est Cretæ ciuitas, ac præterlegebant oram Cretæ. Concipiunt enim nauitæ sententiā suam, non ex futuris periculis, sed ex præsentī euentu aliquatenus felici. Habent autem plerunq̃ prospera in initia fines infelicissimos, & contra, quod huius quoq̃ loci exempla probant. Haud multo enim post, obortus est uentus subitus & uiolentus, omniq̃ maxime formidatus nauitæ, quem uocāt Typhonem, qui idem & à plaga mundi unde flat dicitur Euroaquilo, quod inter Eurum flet & Aquilonem. Qui numeratur inter repentinos flatus, & dicitur præcipua nauigantiū pestis, non an-

tennas modo, uerum ipsa nauigia contorta frangens, dum inualefcit fortius.

Cumq; arrepta esset nauis, & non posset conari in uentum, data naue flatibus ferebamur. In insulam autem quandam decurrentes, que uocatur Clauda, potuimus uix obtinere scapham. Qua sublata adiutorijs utebantur, accingentes nauem, timentes ne in Syrtim incideret, submisso uase sic ferebantur.

Is uentus quum impetu suo corripuisset nauim, nec posset obniti potestati, dedimus uela uentis, et arbitrio uentorum ac fluctuum ferebamur: talia sunt pericula maris. In insulam autem quandam delati, quæ Crete est ad Austrum nomine Clauda, ægre potuimus obtinere scapham, ut si quid accideret, esset præsidio. Qua tandem sublata in nauem, & alijs item auxilijs utebantur, funibus subcingentes nauim, ne uado illisa facile solueretur: metuebant enim ne uentus impelleret in Syrtim ad austrum uicinam, quo typhon ferebat, simulq; demiserunt uas ad retardandum nauis impetum. Atque his præsidijs adiuti ferebamur. Vbi uidemus maximam tempestatem, & extremum periculum, in quod temeritas nautarum coniecit Paulum, & alios simul nauigantes. Hic nunc uidet centurio quid sit, non causas consiliorum, sed personas consultantium respicere, tamen quod temeritate commissum est, prudentia resarcire conantur.

D Valida autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt: & tertia die suis manibus armamenta nauis proiecerunt. Neque autem sole, neque syderibus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ.

Quum non conquiesceret tempestatas, sed magno periculo iactaremur, sequenti die uenerunt ad extrema præsidia, ac proiectis oneribus in mare iacturam fecerunt, quo nauem subleuarent. Rursus perseverante tempestate, tertia die etiam nauis armamenta nostris manibus proiecimus, ait Lucas. Maluerunt omnia sua bona in mari perdere quam his seruatis uitam amittere. Sic nos qui sæculo uiuimus, tantis subinde periculis nunc huc nunc illuc impellimur, ut toties ferè nobis mori uideamur, quoties discrimen aliquod subimus. Et in tantis aduersitatibus huius uitæ, quæ alioqui in hoc sæculo commoda credimus, ut diuitiæ, honores, gloria, sanitas, potentia, & id genus alia, ea nobis non nunquam salutem nostram maxime omnium remorantur. Abijciendum ergo quicquid salutem impedit. Si manus tua uel pes tuus &c.

Et cum multa ieiunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, o uiri, audito me non tollere à Creta, luceriq; facere iniuriam hanc, & iacturam. Et nunc suadeo uobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex nobis, præterquam nauis.

Quum ad dies complures neq; sol appareret neq; sydera, ac tempestatas semper grauior urgeret, iam omnes coeperat desperatio salutis. Accedebat huc quod occupati difficultate nauigationis multo iam tempore non sumperant cibum. Paulus autem in tanta mortis formidine non inuocat Castorem & Pollicem, deos maris, aut Neptunum, non multa holocausta se oblaturum uouet.

non peregrinationem ad aliquem diuorum: non inuocat Abrahā, aut Ionam, uel Mosen ipsum ē mari seruatos sanctos, sed recta petit ad cœlum, dominum inuocat, plenus fide de ueritate promissorū dei, nō tamē obmittit orare deum, ut promissa seruet, ipsum & socios eripiat gratiose. Mittit itaq; dominus angelum suum Paulum consolaturus, qui primum reuelat incolumen ipsum Cæsari sistendum, deinde nauim tantum perituram, tandem omnes reliquos seruandos propter Paulum: quæ ex oratione Pauli discuntur. Sic dominus præsto est suis in summis afflictionibus, Paulus solatium nō reticet, sed enarrat, & domini dei dona fratribus etiā infidelibus impartitur & communicat. Obiurgat tamē principio ob incredulitatis culpam, sed modestissime. Oportebat, inquit, ō uiri, prius obtemperare consilio meo, quo monui uos, ne solueretur à littore Cretæ, sic enim hoc incommodum & rerum iacturam uitassetis: id quoniā mutari non potest, superest ut uel sero sapiatis. Nolite despondere animum, nullus enim ex uobis peribit, tantum nauis erit iactura.

Astitit enim mihi hac nocte angelus dei cuius sum ego, & cui deservio, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi deus omnes qui nauigāt tecū. Propter quod, bono animo esto te uiri: credo enim deo quia sic erit quemadmodum dictum est mihi.

Non hæc ex me somnio, sed nocte hac astitit mihi angelus dei, cuius ego sum minister & cultor, dicens: Ne metuas Paule, non hic peribis, sed oportet te prius sisti Cæsari: nec tu solus euades incolumis, sed omnes hos qui sunt in nauī tecum, tuis precibus donauit deus. Quapropter bono, inquam, animo esto te uiri, nihil enim dubito, quin quemadmodū per angelum suū promissit deus, sic futurum sit. Sic sæpe agit dominus, ut multi etiā mali propter unum pium hominem in periculis seruati sunt. Exempla sunt Noe, Loth, Moses, Raab, Samuel, Non ut propterea sancti colantur, aut inuocentur in periculis, tanquam auerruncatores malorum, & dij tutelares. Omnis enim salus à domino est, cui soli adscribendum est omne bonum. Nihil de mortuis uel curandum uel desiderandum, largitor bonorum dominus est. Quanquam aliquando unus seruatur propter alterum, ut uelut organum bonitatis diuinæ agnitum uenerari possit & amari, sed minime inuocari. Tota liberatio & salus clementiæ dei referatur accepta. Sancti uiuentes ciuilitate sunt tractandi, & eis in uerbo domini obsequendum, imitandi sunt in bono, hic est legitimus sanctorum cultus.

In insulam autem quandam oportet nos deuenire. Sed posteaquā quartadecima nox superuenit, nauigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nauæ apparere sibi aliquam regionem.

Si, inquit, quæritis qua ratione possit consuli uitæ omnium, oportet nos in insulam quandā eijci, ibi nauī fracta seruabimur. Porro ubi decimaquarta nox superuenisset, iamq; nauigaremus in mare Adriaticum, nauæ prospectantes circa medium noctis suspicati sunt sibi apparere regionem aliquam. Grandis calamitas, tot uiros tot diebus nescire omnem salutem, destitui solatio solis, terræ, ciborum, spei, mortē ob oculis uersari, diu noctuq; submergi timentes, peccati, quia uas electionis tam indigne tractatū ab eis, à cuius salute pendebat omnium salus. Adria urbs est Italiæ, unde nomen habet Adriaticum mare, aliàs Adrianum, quod Venetias usq; & Tergestum ingreditur.

Qui & submittentes bolidem, inuenerunt passus uiginti: & pusillū inde separati, inuenerunt passus quindecim. Timentes autē ne in aspera

loca incideremus, de puppi mittētes ancoras quatuor, optabāt diē fieri. Volentes experiri an eo tuto possent appellere demiserunt funiculum alligato plumbo, quem nautæ à iactu bolidem uocant, ac repperunt profunditatē passuum uiginti, &c. Omnia plena periculis, siue altum mare transeas ex uentis, siue littora appellas ex arenis, & tamen lucri auaritia nihil timetur à filiis hominum.

Nautis uero quærentibus fugere de nauī, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent à prora ancoras extēdere, dixit Paulus centurioni & militibus: Nisi hi in nauī manserint, uos salui fieri non potestis.

Iactatis de puppi ancoris quatuor, optabant oriri diem quò certius dispicerent quanam appareret regio. Nautæ uero desperata nauī, quoniam senserant se non procul abesse à terra, primum sibi studuerunt consulere, eoque scaphā demittunt de mari, quam sustulerant in nauim antea, dissimulantes se parare fugam, sed prætexentes quasi ob uim tempestatis uellent & à prora ancoras demittere, Paulus autem non ignarus quid agerent, & sciens ad seruandos ceteros qui erant in nauī nautarum opera fore opus, admonuit centurionem ac milites. Nisi isti, inquit, manserint in nauī, uos seruari non potestis. Quū Paulus nuper dissuaderet nauigationem hoc tempore anni, nautæ optimam nauigationem centurioni pollicebantur, & gloriabantur artifices præ Iudæo. Nūc cōprehensi periculis, timidissimi sunt, impij in deum, cuius uerbo non credūt, in homines iniurij, quos deserere statuunt, quos sua temeritate in hoc periculo coniecerant. Actum tamen est à Pauli consilio, ut impium suum consiliū exequi non potuerint.

F Tunc absciderunt milites funes scaphæ: & passi sunt eam excidere. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicēs: Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes. Propter quod rogo uos accipere cibum pro salute uestra: quia nullius uestrum capillus de capite peribit.

Promissiones quidem dei non pendent ab humanis firmamentis, operibus & autoritatibus, sed ab ipsa diuina misericordia & ueritate, quæ firma & stabilia sunt, etiam si omnes homines sint mēdaces. Verbis autem suis his Paulus non respicit ad constantem diuinæ promissionis ueritatem, sed ad externum rerum ordinem. Iuxta enim hunc impossibile uidebatur, ut si nautæ fugerēt, ipsi nauigandi imperiti, & nescientes quomodo aut ad quem locum nauis cōmode dirigenda esset, incolumes euaderent. Non sunt autē negligenda iusta & utilia organa, ac media diuinitus pposita, sed his quidē utamur quoad licet, solis autem diuinis promissionibus confidamus. Hortabatur autem Paulus omnes, ut cibum sumerent, uires recuperarent, ut laboribus sufficerēt, naue iam fixa, ne liberati à tempestate fame periclitarentur. Significat oratione sua nihil horribilius dici posse hoc nauigationis periculo. Quantulūcunq; certe comederint, factis liquet animos omnium ob tam aduersam tempestatem tantū non emortuos fuisse. Monet autē eos Paulus magna alacritate, ut uel tandē legitimum cibum sumant, animos recreent, ne euadentes tempestatem inedia pereant.

Et cum hæc dixisset, sumens panē gratias egit deo in conspectu omnium: & cū fregisset, cœpit māducare. Animæ quiore aut facti omnes, & ipsi

& ipsi sumpserunt cibum. Eramus uero uniuersæ animæ in nauī ducen-
tæ septuaginta sex. Et satiati cibo alleuiabant nauem, iactantes triticum
in mare.

Hæc locutus Paulus, sumpto in manus pane, Christianorum & apostolico
more gratias egit deo in conspectu omnium: cumq̄ si egisset, domini Iesu exem-
plum referens, cœpit comedere. Porrò Pauli tum oratione tum exemplo iam
omnium recreatis animis, sumpserunt & ipsi cibum. Summa autem omnium
qui erant in nauī, erat ducentorum septuaginta sex. Expleti cibo & confortati
subleuabant nauim quò propius posset appellere in terram, eijcientes in mare
triticum, quod ex Ægypto uetere Romanorum granario deuehebant in Ita-
liam. Magnum est habere in periculis comitem magni & fortis animi. Videba-
tur Paulus ab initio nauim ingressus, nihil nauigantibus allaturus, nunc pro-
pter eum omnes saluantur, consolantur. Nemo contemnendus ut inutilis, siue
pauper siue captiuus, et inglorius: dominus res suas sic administrat, & qui corā
mundo incōmodus uidetur, fit ordinante deo magnæ salutis aptissimū organū.

Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant: sinum uero
quendam considerabāt habentē littus, in quem cogitabant, si possent,
eijcere nauem. Et cum ancoras sustulissent, committebāt se mari, simul
laxantes iuncturas gubernaculorum: & leuato artemone secundum au-
ræ flatum, tendebant ad littus.

Vbi iam diluxisset, terram quidem uidebant, sed non agnoscebant. Cæterū
animaduertunt eam habere sinum quendam hinc atq̄ hinc porrecto littore,
in quem destinabant, si possent nauim impellere. Sublatis igitur ancoris, com-
mittebant se mari, simul laxatis & gubernaculorum iuncturis, quò possent &
his uti ad dirigēdum quò uellent nauis impetum. Tum sublatis in altum uelis,
antennis ad uentum offlexis, secundum auræ flatum tendebant ad littus. Arte-
monem dicit id ueli genus, quod à suspendendo nomen habet. Dithalassum ue-
ro significat sinum duo habentem littora prominentia, quæ mare utrinq̄ alluit.

Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt nauem: &
prora quidē fixa, manebat immobilis: puppis uero soluebat à ui maris.

Quum non possent obtinere sinum quem petebant, sed ui uentorum inci-
dissemus in locum prominentem in mare, huc impegerunt nauim: ac prora qui-
dem infixæ uado, manebat immobilis, puppis uero soluebatur ui undarū. Itaq̄
iam nihil supererat nisi ut natando suæ quisq̄ uitæ consuleret. Hoc est naufra-
gium illud, quod hæcenus tam aduersa tempestas minata est. Et quidē omnes,
ut postea scribitur, incolumes euaserunt in terram, sed interim in nauī maior
penē tempestas aduersus Paulum & reliquos uinctos oriebatur quàm in mari.

Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent: ne quis cum
enataisset, effugeret. Centurio autem uolens seruare Paulum, prohibuit
fieri: iussitq̄ eos qui possent natate, emittere se primos, & euadere, & ad
terram exire: & cæteros alios in tabulis ferebāt: quosdam, super ea quæ
de nauī erant. Et sic factum est ut omnes animæ euaderent ad terram.

Erat improbum & ingratiſſimum consilium militum, ut uinctos omnes oc-
ciderent, ne quis quum enataisset effugeret. Hoc barbarum & immane consiliū
coercuit centurio, cupiens seruare Paulum, cuius consilio ipsi seruibantur. Ve-
rum ne quis omnino periret, iussit ut qui natandi essent periti, se primos abijce-

rent in mare, & natatu in terram euaderēt; qui natate nescirent, partim nixi tabulis, partim alijs nauis instrumentis adiuti, reciperent sese in terram. Hac ratione factum est, ut omnes tandem euaderent in terram. Discimus in hoc consilio sæculi gratitudinē, quo enim plura beneficia hominibus huius sæculi conferas eo atrociora maleficia illi rependunt; unde & non desistendum quidem à beneficijs, uerum simul quoq; animus componendus ad patienter tolerandum aduersa, quæ malle debemus indigne pati quàm meriti. Dominus gratus est beneficijs, ut nec poculum aquæ frigidæ sitienti exhibitū sit obliuioni traditurus. Quamquam denuo periclitetur Paulus, sed tamen uerbum domini mentiri nō potest; subornat dominus euentum quo in uita seruetur. Ex huiusmodi naufragio Pauli fides docenda et confirmanda est, in hoc mari huius sæculi iactatis uarijs & multis procellis, in quibus dominus suos, hoc est fideles, nō patietur submergi, sed in portum salutis reponet.

CAPVT XXVIII.

A **T** cum euasissimus, tunc cognouimus quia Melite, in insula uocabatur. Barbari uero præstabant non modicam humanitatē nobis. Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem qui imminebat, & frigus.

Quum primum appellerent, non agnoscebant quanam esset insula, uerū posteaquam euasissent in terram ex incolis cognouerunt quod Melite uocaretur. Ea est inter Epirum & Italiam, spectans Siciliam ad Septentrionem, quam nunc uulgo Maltam uocant. Barbari uero miseri calamitatis nostræ, non meriti diocrem humanitatem præstiterunt hospitibus. Qui euaserant naufragiū partim milites erant, partim uincti, oēs ignoti, egeni, opibus spoliati, & ideo mendacis hominibus odiosi, humanissime tamen tractantur à Barbaris, hoc est non Latinis, minime tamē Barbare fauoribus & officijs prosequendo sine fastidio; tantum abest ut miseriam miseria cumulent. Exemplo suo Ethnici & idololatras docent nos hospitalitatis gratiam, pro qua Melitenses quoq; magnum fructum hospitalitatis sunt assequuti. Multa enim apud eos miracula per Paulum aduntur. Habet enim pietas suum præmium etiam in hoc mundo.

Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, uipera à calore cum processisset, inuasit manum eius.

Erant sanè in ea congregatione hominum Gentilium penè omnes digniores, quos non solum corporalis uipera morderet, sed draco etiam infernalis deuoraret, qui Paulum cum captiuis occidisse uolebant, sed prouidentia dei beneficium & officiosum in sancto opere promouendi ignem egētibus. Vipera latitans in sarmentis superpositis igni, quæ prius frigore torpuerat, excitata calore prorepsit, ac mordicus arripuit manum Pauli, ut eum ueneno inficiat & necet infectum. Voluit dominus Paulum sibi fidelem & credentem clarum fieri ac celebrem inter Gentes, ut huiusmodi occasione aperiretur ei ostium prædicandi euangelium. His quidē qui diligunt deum omnia simul adiumento sunt in bonum. Et afflictiones fidelibus immittit deus, non ut perdat, sed ut seruet. Id uero nondum uidebatur Barbaris Melitensibus: unde & sequitur.

B **U**t uerò uiderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, adinuicem dicebant: Vtiq; homicida est homo hic, qui cum euasit de mari, ultio

ultio non sinit eum uiuere. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.

Barbari Melitei, ut uiderunt letalem bestiam pendentem ex manu Pauli, dicebant: Necessse est omnino hunc hominem homicidam esse quēpiam, quem cum tempestas eiecerit incolumem ē mari, tamē ultio diuina non sinit in terris uiuere. Cum hac Barbarorum sententia conuenit ferē omnīū opinio hominū, iuxta carnem iudicantium, eos qui affliguntur omnes esse flagitiosos: afflictiones nō nisi propter peccata accidere, ut Iob cum amicis disputat, & apostoli cū Christo: Rabbi dicentes, quis peccauit, hic an parētes eius, ut cæcus nasceret? Quam sententiā Christus doctrina & exemplo probauit non uerā, passus ipse omnia afflictionū genera sine peccato. Verum inseruit deus quoq; hominū peccatoribus, ut credant experiētia docti, homicidiū nō manere inultū. Opus enim legis gentes habent scriptum in cordibus suis. Paulus autē ut sensit uiperæ morsum, excussit eam in ignem, neq; quicquam præterea passus est mali.

At illi existimabant eum in tumorem conuertendum, & subito caesurum & mori. Diu autem illis expectantibus & uidentibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se, dicebant eum esse deum.

Existimabant Melitei statim futurum, ut præsentissimum uenenum uiperæ in uulnus effusum per uenas delapsum incenderet corpus totum, ut intumesceret, ac sic repente mortuus concideret Paulus, ui ueneni recta penetrante ad cor. Tandem cum illi diu expectassent quid Paulo accideret, uiderentq; nihil illi accidere mali ex morfu uiperæ, rursum barbarica leuitate mutata sententia, dicebant illum esse deum. Nondum enim audierant Melitei de Iesu, qui hoc donarat sui nominis professoribus, ne uis ulla ueneni, quantumuis præsentanea, posset ipsis nocere. Sic semper uulgi iudiciū nullam nouit mediocritatē, aut enim extreme uituperat quem odit, aut quem diligit efferit in cœlum.

In locis autem illis erāt prædia principis insulæ, nomine Publij, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit.

Hæc Publij humanitas paucis & simplicibus uerbis narratur, sed re ipsa maxima fuit. Erat is princeps insulæ, non tamen fastidit peregrinos & humiles, captiuos & abominabiles, & nihilominus in tanta multitudine egentes, & sanè famelicos, benigne tamen eos tractat, hospitio excipiens, totoq; triduo fouens, nihil sumptui parcens. Eam tam benignam hospitalitatem domini misericordia & benignitas clementissime compensat; ut hospitalitatis iterum gratiam discamus & æmulemur, in omnibus diuinis scripturis laudatissimam.

Contigit autē patrē Publij febribus & dysenteria uexatū iacere. Ad quē Paulus intrauit, et cū orasset et imposuisset ei manus, saluauit eum.

Laborabat grauius pater Publij lecto decumbens febribus & dysenteria, quem morbum nostri tormina & uiscerum exulcerationem uocant. Paulus itaque memor præcepti dominici, ad ægrotum ingressus, precibusq; ad deum fuis, imposuit illi manus, & eum sanauit statim. Sic dominus hospitalitatem beneficij compensare consueuit. Abraham angelos hospitio excepit, & filium recepit, Lot ē Sodomis liberatus, Sareptana mulier & Sunamitis remuneratae sunt per prophetas domini. Et quare non seruauit nauim Paulus, & uentos dimouit precibus suis? Respondetur, Paulus author non fuit suorum miraculorum, sed domini uirtus & bonitas: unde non ad arbitrium hominum aduntur miracula, sed spiritus sancti proposito. Hic ergo Paulus spiritui sancto inseruit

& obsequitur, uincula sua negligens, & Publij patrem morbo leuans, cum reliquis de quibus consequenter.

C Quo facto, omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur: qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus imposuerunt quæ necessaria erant.

Factum miraculum illud ubi rumor sparsisset per insulam, ceteri quoque qui laborabant adeuntes Paulum sanati sunt: non ut corpore tantum ualerent, sed ut miraculis ueritas euangelij de Iesu Christo confirmaretur, & Melitenses euangelio credentes, ueram & perpetuam ualeitudinem consequerentur. Nam adhibuisse eos fidem euangelio, quod Paulus eo per tres menses minime otiosus prædicabat, testantur opera charitatis. Donec enim ibi commorabantur, plurimum beneficiorum in eos contulerunt insulani, & dum adornarent iam nauigationem, imposuerunt in nauim ad comeatum ulteriorem necessaria. Hi sunt fructus fidei, ut honorent Apostolum, & propter ipsum omnes naufragos. Est enim in Christum fides minime otiosa.

Post menses autem tres, nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hyemauerat, cui erat insigne Castorum.

Mensibus tribus in insula transactis, nacti sumus nauim alteram Alexandrinam, quæ in Melite hybernauerat, huic erat insigne Castor & Pollux, quos Græci Dioscuros appellant, filios Iouis & Ledæ. Credidit antiquitas eos esse deos salutes nauigantibus, si simul apparerent: (Apparent autem ignis specie malo aut antemne insidentes) contra, diros, si singuli aut solitarij. Horum insigne habebat ea nauis, quò tutior esset nauigatio. Nec nobis tam ridicula uideantur, qui talium gentilium superstitionem excessimus, diui Nicolai, Georgij, Barbaræ & Anthonij cultu surrogato illorum idolorum loco. Eam nauim sic idolorum ornatam simulachris ingressi sunt uiri sancti, Paulus, Lucas, & Aristarchus, utpote non suam, sed domini alterius nauim, cum altera captiuis non permitteretur.

Et cum uenisset in Syracusas, mansimus ibi triduo. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium: & post unum diem flante Austro, secunda die uenimus Puteolos, ubi inuentis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem: & sic uenimus Romam.

Syracusa ciuitas est Siciliae maritima, ibi triduo commorati sunt. Vnde tandem soluentes ac præterlegentes Siciliae littora deuenimus Rhegium, Italiae ciuitatem in agro Brutiorum. Ab ea ciuitate breuissimus traiectus est in Siciliam. Nam hac parte olim Sicilia contigua erat Italiae, donec uis maris intercurrentis diuulsit utramque regionem, interfuso freto, non amplius quam quindecim milium passuum, ubi & Scylla est scopulus, & Charybdis mare uorticosum, unde & Græcis nomen inditum Rhegio à ruptura sortita nomine. Hinc post unum diem afflante uento commodo, nimirum Austro, delati sumus Puteolos. Ciuitas est colonia, sita in extremo promontorio, quod in Austrum spectat urbi Neapolitanae, antè dicta Dicearchia, mutatum autem nomen à puteorum frequentia. Ibi repertis fratribus, apud eos septem diebus mansit rogatus, magno argumento, iam tum non in urbe solum sed in reliqua quoque Italia fuisse qui Christo fiderent. Iam enim in annum sextum & uigesimum historia uitæ, mortis & resurrectionis Christi apostolica predicatione longe lateque insonauerat. Ex Pauli enim

li enim epistola ad Romanos liquet e Græcia & Macedonia discipulos Pauli, sed & ex Palæstina uenisse in urbem, non quosuis, sed eximios, & apostolica etiam dignitate præstantes uiros, qui Romanam illam ecclesiam fundauerint, ad quam ut celebrem iam & multis ecclesijs notam scribere, & præcipuos illius operarios longe antè cognitos, ut familiares salutare uoluerit, minime obmissurus Petrum si Romanus tunc fuisset episcopus, quod collatis annorū historijs comprobari non potest. Certe ipse Paulus nominatim Andronicum & Iuniam inter insignes apostolos numerat, qui etiam ante se in Christo fuerint. Mirum autem Eusebium secundo Claudij anno Petrum Romam uenisse scribere ausum, quum Hierosolymis fuisse eum etiam post octauum annum imperij eius, ex ipso Paulo colligatur. Vide Vadianum in Italia. Quod uero septem diebus Puteolis manserit cum fratribus, sine Centurionis assensu fieri non potuit, qui uel secum mansit, uel detulit uiro fidem, uel ex militibus quendam addidit, quo sociatus non cum alijs nauigio Romam ueniret, sed pedes, ac fortassis liber à uinculis, data fideiussione, cui pro experta sanctimonia multipliciter signis & prodigijs Centurio credere potuit, & fidere fortiter ac sine metu.

Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usq; ad Appij forum, ac tres Tabernas.

Quoniam iam rumor Romam pertulerat ad fratres aduenturum Paulum cum suis comitibus. Nam Pauli nomen apud Romæ agentes Christianos cum primis erat celebre, ob epistolam ad illos scriptam pridem. Prodiert obuiam ex urbe usq; ad Appij forum, per quod Roma proficiscentibus in mediterranea Campania iter est. Tres Tabernæ autem proxime Appij foro erant, ubi postea Seuerus Cæsar à Maximino Herculio à uita priuata iterum ad publica & tyrannidem reuerso extinctus est, cum militum perfidia desciscentium solus relictus esset. Hoc in loco Paulus exceptus est à fratribus, deductusq; in urbem, uia unius diei, per tot discrimina uiarum & marium saluus pietate diuina, cuius ueritas labefactari non potuit, quamlibet in magnis periculis.

Quos cum uidisset, Paulus gratias agens deo, accepit fiduciam. Cum autem uenissemus Romam, permissum est Paulo permanere sibi cum custodiente se milite.

Fratrum Romanæ ecclesiæ obuiam uenientium conspectu uehementer recreatus est Paulus, intelligens & illic esse qui sincero pectore fauerent euangelio, & actis deo gratijs sumpsit fortem & bene sperantem animum. Romam ergo pariter ueniunt Paulus & comites. Nihil hic de Centurione & uinculis dicitur à Luca. Verisimile est postquam Rhegium appulerit Centurionem liberum permisisse iter per Campaniam Paulo, cui diffidere non potuit, quin sese Romam perueniens Centurioni denuo sisteret cum suis: quod & satis fecisse certatur, cum hic dicitur, permissum esse Paulo à Cæsarianis, ut maneret solus, unico tantum adhibito milite, qui eum seruaret, non tam in onus quam in seruitium & tutelam, idq; nomine Cæsaris, ne quis ei uiolentas ingereret manus. Sic deus sanctis suis, ea quæ maxime mala uidentur & aduersa, in maxime bona prosperaq; commutat. Et quod homines uel satan malum machinantur in pios, hoc dei bonitas ipsis in bonum uertit.

Post tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum. Cumq; uenissent, dicebat eis: Ego uiri fratres, nihil aduersus plebem faciens, aut morem paternum, uinctus ab Hierosolymis traditus sum in manus Ro-

manorum: qui cum interrogationem de me habuissent, uoluerunt me edimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. Contradicientibus autem Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem: non quasi gentem meam habens aliquid accusare.

Ne quis Iudæorum suspicaretur Paulum ob aliquod maleficium Romanum missum captiuum, & detineri milite, post tertium diem conuocauit primores Iudæorum Romæ degentium, apud quos sic est locutus: Ego uiri fratres, quum nihil admiserim aduersus populū meum, aut instituta maiorum, uinctus Hierosolymis traditus sum in manus Romanorum, delatus Cæsaream ad præsidem Felicem, deinde ad Festum. Qui quum causam examinassent, uoluerunt me absolueri, eo quod, ut ipsi fatebatur, nihil in me comperissent capitis supplicio dignum. Verum odiose reclamantibus Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem: non quod ob hanc causam sim offensus genti meæ, paremque criminationem uelam apud Cæsarem, & odium quo laborat augeam, sed ut meam tuear innocentiam. Omnibus enim bene cupio, qui deum pure colunt iuxta legem patriam.

Propter hanc igitur causam rogauit uos uidere & alloqui. Propter spem enim Israel, catena hac circumdatus sum.

Hoc pio & fideli affectu erga uos ductus, iussi uos huc accersiri, quando uinculis onusto non licuit uos adire, ut ex uestro conspectu & alloquio nonnihil solati caperem. Cur autem colit gens Israelitica tanto studio deum, contemptis Gentium simulachris, nisi quia sperat in resurrectione pietatis suæ præmium? Ob hanc itaque spem, quæ mihi communis est cum tota gente mea, circumdatus sum hac quam uideatis catena: nec aliud mihi crimen potest obijci. Sic ergo Paulo ciuilitate suam causam Iudæis exponenti, ciuilitate quoque responsum est.

At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem à te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur.

Quod ad tuam, inquiunt, personam attinet nihil mali de te scimus, neque quicquam à Iudæa per literas significauit nobis aliquid mali de te, neque quisquam inde huc ueniens quicquam de te mali locutus est. Quod autem attinet ad sectam illam Christianorum, quam uideris profiteri, hoc scimus, quod ubique ab omnibus male audiat & ei contradicatur. Si igitur talis semper fuit fors euangelij, ut ipsi ubique contradicuntur sit, profecto non est mirum si multi contradicentium potentia, sapientia, doctrina, & sanctitate offensi, euangelio non crediderint. Reuera contradicitur illi ubique, quia tam inter Iudæos, penes quos uidebatur esse iustitia ac sanctitas, quam inter Gentes, penes quas erat potentia & sapientia, fuerunt præstantissimi uiri, qui euangelio resisterunt. Quis autem simplicioris ingenij non offenderetur, & multitudine, & sapientia, & potentia, & sanctitate resistentium euangelio? At quod illis tunc fuit magnum offendiculum, nobis hoc tempore magna fit fidei confirmatio. Cum enim audiamus euangelio ab initio ubique tam à Gentibus quam à Iudæis contradicuntur esse, & uiderimus nunc re ipsa euangelium nihilominus in totum orbem dimanasse, & contra omnium hominum sapientiam, potentiam, sanctitatem ac multitudinem constistisse, nonne manifestum est euangelium esse ipsissimam ueritatem dei: & talem quæ aduersus omnes portas inferorum consistet, iuxta Christi promissa.

Cum

Cum constituisset autem illi diem, uenerunt ad eum in hospitium **R**
 plurimi: quibus exponebat testificans regnum dei, suadensq; eis de Iesu
 ex lege Moysi & prophetis, à mane usque ad uesperam.

Comperit, inquit habemus, quod ubiq; ab omnibus filii reclametur tan-
 quam uane. Gratum erit igitur si nos exactius de hac quid tu sentias, docueris.
 Id quum Paulus libenter se facturum respondisset, præscripto die rursus ad illū
 conuenerunt Iudæi, plures quàm antea uenerant in hospitium, in quo Paulus
 uersabatur. Quibus exponebat doctrinam euangelicam, testificans iam adesse
 regnum dei, nec amplius expectandum esse Messiam, docens hunc esse Iesum
 Nazarenum, idq; demonstrans ex figuris legis Mosaicæ ac uaticinijs propheta-
 rum, ostendens quicquid erat adumbratum in lege, quicquid prædictum à Mo-
 se & prophetis, in Iesu palam ac plene exhibitum esse.

Et quidam credebant his quæ dicebantur: quidam uero non crede-
 bant. Cumq; inuicem non essent consentientes, discedebant,

Ostendit quomodo hæc Pauli concio de euangelio & Christo excepta fue-
 rit à Iudæis: quidam enim ipsorum crediderunt, quidam non. Hæc est enim per-
 petua & solennis euangelij fortuna, ut minor auditorū pars credat, maior con-
 temnat, tanquam aduersam carnī & sanguīni. Est enim Christus positus in lapi-
 dem angularem, qui alijs quidem est firmamentum, alijs in quem impingitur la-
 pis, & petra scandali. Nihil igitur etiam nunc noui accidit, si seruorum Christi
 uerbum à paucis recipitur.

dicēte Paulo unum uerbum, Quia bene spiritus sanctus locutus est *Isaie 6. e*
 per Isaiam prophetam ad patres nostros, dicens: Vade ad populum *Math. 23. b*
 istum, & dic, Aure audietis & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & *Mar. 4. b*
 non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus gra- *Luce 8. f*
 uiter audierunt & oculos suos compresserunt: ne fortè uideant oculis, *Ioan. 12. f*
 & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. *Rom. 11. b* **G**

Dissentientibus Iudæis, Paulus proluxæ orationi suæ unum adhuc uerbū
 adiecit, quo taxauit eorū incredulitatem à prophetis per spiritū sanctum prædi-
 ctam. Bene, inquit, spiritus sanctus de uobis uaticinatus est per Esaiā propheta
 ad patres nostros, quorū obstinatā incredulitatē uos refertis. Vade, inquit, ad
 populum istum, & dic ad illos, &c. Et patet sententiā ex proprio loco. Hic uero
 notandū Paulū dicere, uerba Esaiæ nō esse nisi spiritus sancti uerba & sententiā.

Notum ergo sit uobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare
 dei, & ipsi audient.

Proinde sciote quod hæc salus quæ per Iesum offertur à deo, quando uos
 respuitis, deferetur ad Gētes. Respuit enim qui non credit, nec capax est huius
 gratiæ, qui fidem non habet euangelio. Vobis primum annunciatum est donū
 dei, sic enim iusserat dominus: Oportebat autem uos potissimum credere, qui
 profitemini legem & prophetas, sed aduersus hæc omnia habetis oculos occlu-
 sos, aures obturatas, & cor incrassatum, reclamantes manifeste luci ueritatis
 euangelicæ. Gentes autem quæ nec deum nouerūt, nec legem habent aut pro-
 phetas, à simulachris suis conuertentur, per fidem assequentur hanc diuinam
 benignitatem, quam uos aspernamini gratis oblatam.

Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se
 quæstionem.


Cum disceptationibus recedunt ab euangelica concione Iudæi, sicut hodie quoque, & semper, aliqui fastidiunt audita, aliqui accusant mendacii, alij cū quouis obuiō contendunt de euangelica ueritate, sed non minus interim proficit euangelium, & inuitis inferorum portis diffunditur & proficit nunc ut fiebat apostolorū temporibus inuitis tunc Iudæis, nunc hominibus huius sæculi amatoribus quocumque nomine appellentur.

Mansit autem biennio toto in suo conducto: & suscipiebatur omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum dei, & docens quæ sunt de domino Iesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.

Non solū iuxta diuinas promissiones Paulus incolumis Romam peruenit, & de regno Christi testificatus est coram Iudæis & Gentibus, sed duobus annis euangelium Iesu Christi Romæ liberrime prædicauit. Sic enim cōcludit Lucas historiam, Toto biennio mansisse Paulum in ædibus quas conduxerat, solum cum milite sibi adiuncto custode, excipiens humaniter omnes qui ipsum adibant, siue Iudæos siue Gentiles; ut uideatur non sibi permissum, ut theatra pro concionibus accederet uel Iudæorum synagogas. Vbicumque autem licebat prædicabat regnum dei, docens cum omni fiducia, nemine prohibente doctrinam euangelicam. Porro non hoc solum egit pro summa cura & sollicitudine sua captiuus Apostolus, ut coram doceret fratres, sed ecclesias etiam Asia atque Europæ, quas & ipse coram instituisse, aut sui cooperatores & comministri Christum docuissent, missis epistolis studuit consolari, & falsorum fratrum blandiloquentia laborantes, sermone euangelij puro nec adulterato humanis decretis confortare, atque ea ratione etiam posteritati consulere perrexit. Non compedes ferro graues, non custodia tot nominibus molesta, nuncium illum euangelicum, spiritu plenum, & tertio è cælo edoctum, remorantur: quin per dius & pernox inunctum sibi ministerij munus summa cum fiducia fuerit executus. Scripsit ex urbe Galatis, Philippensibus, Ephesijs, Hebræis, & Collossensibus, similiter ad Timotheum secundam, & ad Philemonem. Paulum liberatum fuisse post illud biennium & redisse ad euangelij prædicationem testatur posterior epistola ad Timotheum cap. 4. In prima mea defensione, &c. Post quam liberationem sentiunt quidam decem adhuc eum annos prædicasse in partibus occidentis, & postea reuocatum ad tribunal Neronis, & sic propter nomē Christi capite truncatum esse. Vnde & non indiligentes doctores colligunt, Paulum à primo conuersionis suæ anno, in euangelico negotio plus minus trigintaquinque annos esse uersatum. Magno certe dei miraculo, ut potuerit tot annis à tantis periculis liberari, quæ illi satan per Iudæos, Gentes, pseudapostolos, & per omnes creaturas adhibuisse legitur in epistola ad Corinthios secunda, in exemplum omnibus uocatis ad ecclesiastica officia, ut in aduersis suis fiducia in Christum plena firmentur, & animo consolentur, donec à domino fideles serui & prudentes in gloriam suscipiantur cœlestem.

COMMENTARIORVM IN EVANGELIUM IUXTA
Matthæum, Ioannē, Marcum, Lucam, & Acta Apost.

F I N I S.



Selbig ligatura xij ff

A 1397379

des
tr
m
p
re
or
bl
t

7

si
va
mi
on
m
n
a
v
e
p

t
a
h
t
v
e
f
a
r
l
1
1
1
1
3
1
v
t
t

